





THEOLOGIA
MORALIS
QUADRIPARTITA,

Incipientibus accommodata,

ET

In Aula Theologica S. J.

Treviris publicè

exposita

à R. P. JOANNE REUTER

Ejusdem Societatis, SS. Theologiæ Doctore in Universitate Trevirensi, & Professore publico,

NUNC

IN USUM ET UTILITATEM

plurium Typis data

Cum [illegible]

DOCTRINÆ MORALIS à SEDE APOSTOLICA REPROBATÆ.

PARS I.

Editio Secunda Auctior & Emendatior.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Ex Officina METTERNICHIANA

Sub Signo Gryphi Anno MDCCLVI.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Majestatis Speciali,

& Permissu Superiorum.



REVERENDISSIMO, ET AMPLISSIMO DOMINO,

D. LEOPOLDO CAMP
Sacri & Exempti Ordinis Ciſtercienſis, Clauſtri B. M. V. in Himmenrode ABBATI Digniſſimo.

COmpertum eſt, Reverendiſſime, & Ampliſſime Domine, & nemo Eruditorum ignorat, eam in omni ſcientiarum genere eſſe Librorum copiam, ut illam volens augere videri poſſet oleum, & operam perditurus; nihilominus, ſi eos ſpectemus, qui Theologicas quæſtiones pertractant, vertuntur querimoniæ. Contingit nimirum, quod accumbentibus in conviviis evenire ſolet: quemadmodum enim in his epulorum copia, & varietas oculos quidem oblectat; ſtomachum autem potiùs gravat, quàm relevat; ita ingens Librorum copia Bibliothecas quidem exornat, legentium autem ingenia non rarò perturbat, & memoriam

confundit. Quare sunt, quibus si offerantur magna Scriptorum volumina; continent, inquiunt, hæc doctrinas optimas, sed quis eas seligat, quæ cujusvis captui, & statui sint accommodatæ, quis discernat à subtilibus quæstionibus, quæ in Academiis disceptari solent, & ad mores formandos, populumque instruendum parum videntur utiles? Si verò Doctrinæ Moralis exhibeantur compendia, iterum querelæ oggeruntur. Quidam, inquiunt, immanem duntaxat Legum, Canonum, Censurarum congeriem, meris allegationibus nixam, posteris reliquerunt, alii ex aliis quædam nudè transcripserunt, nec authoritate, nec rationibus firmata, atque ità nec memoriæ, nec conscientiis satis prospexerunt; alii neglectis levioribus, quæ Theologiæ studium incipientibus scitu sunt necessaria, nimis succinctam Doctrinæ Moralis dederunt Epitomen

men, & ità iis, quibus aut natura ſingulare negavit ingenium, aut quibus, in Scholis breviori tempore verſatis, diuturnior defuit inſtructio, ad profectum parum conſecerunt: ingenia verò fatigant, & memoriæ non conſulunt, dum lecta non ſatis penetrata mox elabuntur. Alii Libros, caſibu fere tantùm, fusè inutiliter deductis, implent, quos legendi permultis nec otium, nec animus eſt. His querelis multi viri eruditi obviârunt: quibus ego impar, ut quid accommodatius adderem, eò conatus meos retuli; ut illa, quæ ad mores pertinent, methodo, Theologiæ ſtudium ordientibus adaptatâ, eaque non prolixâ, nec ſuccincta nimis in Scholis exponerem: quam cùm diſcipuli avidè excepiſſent, poſtmodum deſiderârunt; ut, quæ calamo exceperunt, in majorem legentium commoditatem, & fructum typo ederentur. Quod etſi

recusarem primùm, tandem tamen, accedente aliorum suasu, & Superiorum placito, eorum voluntati detuli.

Cur autem Reverendissime, & Amplissime Dne, hunc conatum meum Tuo potissimùm Nomini inscriptum & dedicatum cuperem non una causa fuit: Ac imò quidem ad hoc movit me mutua inter nos in Humaniorum Literarum studiis germana conjunctio: dein & præcipuè singularis Tuus gloriæ divinæ augendæ zelus, eximiaque Tua Sacra & Theologica Scientia, quâ suo quæque merito novisti æstimare. Zelum Tuum manifestum facit vigilans Tua disciplinæ, divinique cultûs non in Tuo solum celeberrimo Monasterio, sed in pluribus etiam Deo dicatarum, Tibique subjectarum Virginum Parthenonibus, cum forti benignitate conjuncta accuratio, magnificumque Templum, quod honori

Om-



PRIVILEGIUM CÆSAREUM.



Os FRANCISCUS Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ & Hierosolymarum Rex, Dux Lotharingiæ, & Barri, Magnus Hetruriæ Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckensteinei &c. &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis: Quod, cum Nobis Nostri Sacrique Romani Imperii fideles dilecti, quondam Francisci Wilhelmi Metternich Bibliopolæ Coloniensis hæredes humillimè supplicarint, quatenus Privilegium Impressorium super PATRIS JOANNIS REUTER S. J. *Theologiam Moralem quadripartitam, cum Neo Confessario* in Octavo à Nobis mox dicto Francisco Wilhelmo Metternich sub quinta May Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo ad decem annos Concessum in ipsos suplicantes transcribere, & & ad aliud decennium à lapsu prioris extendere

 cle-

clementissime dignaremur ; Nos submissæ pariter , ac æquæ eorundem petitioni annuendum censuerimus , Ac proinde Authoritate Nostrâ Cæsareá omnibus & singulis Bibliopolis , Bibliopegis , Typographis , & aliis quibuscunque Rem Librariam, seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus , nequis supra nominatam PATRIS REUTER *Theologiam Moralem quadripartitam cum Neo-Confessario* sub hoc , aliove Titulo , aut hac , aliave formâ, seu ut ajunt, formato, per ulterius decem annorum spatium à lapsu prioris , à quinta die May Anni currentis nempe computandum , intra Sacri Romani Imperii fines recudere, vel aliis recudendum dare , aliorsumve impressam apportare vendere, vel distrahere citra præfatorum Impetrantium voluntatem & assensum in Scriptis obtentum ausit , vel præsumat, si quis vero secus faciendo Privilegium hoc Nostrum, seu Interdictum violare , contemnereque præsumpserit, cum non solum ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dicti Francisci Wilhelmi Metternich Hæredes, sive propria Authoritate, sive Magistratus illius loci auxilio sibi vindicare poterunt) de facto privandum, sed & quinque marcarum auri puri pœna , ærario seu Fisco Nostro Cæsareo , & parti læsæ exequo pendenda, omni spe veniæ sublatâ mulctandum decernimus , dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Concilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur.

Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris,

& Sa-

& Sacri Romani Imperii subditis & Fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim vero iis, qui in Magistratu existentes, vel suo vel Superiorum suorum loco, aut nomine jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum impune violare, spernere, aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta à Nobis mulcta, eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint.

Harum Testimonio Literarum Manu Nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur Viennæ die prima Martii Anno millesimo septingentesimo sexagesimo, Regni Nostro Decimo quinto.

FRANCISCUS
mpp.

(L. S.)

Vt Comes de COLLOREDO.
mpp.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Matth. Wilhelmus Nob. D. de Hann.
mpp.

FACUL-



FACULTAS.

A. R. P. PROVINCIALIS.

INfraſcriptus, Societatis JESU ad Rhenum inferiorem præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi ab Adm. R. P. Noſtro LAURENTIO RICCI ejuſdem Societatis Præpoſito Generali ad hoc factâ, concedo Hæredibus D. FRANC. WILH. METTERNICH Bibliopolis Colonienſibus facultatem ad decennium recudendi *Theologiam Moralem quadripartitam*, & *Neo-Confeſſarium cum caſibus* P. JOANNIS REUTER S. J. Iisdemque Jus Cæſarei Privilegii uſurpandi eatenus indulgeo, ut ipſis invitis nemo intra dictum tempus Libros illos recudere, nemo intra fines S. R. Imperii & Hæreditarias S. Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has literas manu propriâ ſubſcriptas, atque Officii mei Sigillo munitas dedi Coloniæ 16. Maji An. 1759.

HIERONYMUS de WYMAR
S. J. mpp.

(L S.)

REVE-

Omnipotentis Dei difficilibus belli temporibus è fundamentis erigere cœpisti, & jam coronide feliciter donâsti; Scientiam vero patefecisti non solùm, dum in celeberrima Universitate Coloniensi Theologiæ qua Scholasticæ, quà Morali (cum non vulgaris ingenii specimine) operam dedisti, sed vel maximè, dum per plures annos summa cum satisfactione Religiosos Tuos Confratres eâ imbuisti. His accessit fervens, quod in Tuis Religiosis subditis constanter promoves Theologiæ, & Sapientiæ studium: quibus in spem adducor, fore, ut conamen meum non solùm in juniore sæculari Clero; sed in Religiosis etiam Asceteriis fructum uberiorem ferat. Pluribus, quæ in laudem adduci possent, supersedeo, ne Modestiam Tuam offendam. Postremùm, Reverendissime & Amplissime Domine, eâ, quâ par est, veneratione rogo; ut Opuscula, quæ inclinatis peregrinatio-

nationis meæ diebus, viribusque jam fatiscentibus, elucubravi, solitâ humanitate & benignitate acceptare digneris, & si quid Theologo dignum in iis repereris, *Patri luminum, à quo omne datum optimum, & donum perfectum*, idipsum adscribas; si verò quid humile nimis, impolitum, ambiguum, minùsque commodum, ùt non pauca erunt, visum fuerit, id meæ imbecillitati condones, Deumque ores, ut, sicut animis in terra jam pridem conjuncti fuimus; ità jungamur in felici æternitate vinculo amoris beatifici, nunquam interrumpendo. Trevirìs Anno à partu Virginis millesimo septingentesimo quinquagesimo, die 1. Martii.

Reverendissimæ, & Amplissimæ Dignitatis Tuæ

Humilis in Christo Servus

JOANNES REUTER S. J.

PRÆ-



PRÆFATIO.

Dilecti Theologiæ Candidati: Moralem, quam offero, Theologiam vestris potissimùm usibus accommodavi, non prolixam eam quidem, ne lectio tædium pareret, studiumque tandem languesceret; nec omninò succinctam: tum ut facilioribus jam instructos, ad graviora in magnis Authoribus perdiscenda, viâ jam complanatâ, feliciùs deducerem; tum ut claritati, & soliditati, quæ duo semper præ oculis habenda existimavi, quoad possem, consulerem: non ignarus, alioquin permultos, Philosophiæ peritia, quam non quidem ad superficialem, ad solidum tamen in Theologicis profectum necessariam esse, & Professores, & discipulos quotidiana docet experientia, vix leviter tinctos progressum magnum (nisi singulare naturæ talentum defectum suppleat) haud facturos. Utrumque illud si sum assecutus, & vobis de profectu, & mihi de incremento gloriæ divinæ gratulabor. Ut autem id assequerer, omnia per quæstiones plerumque breves, ubi licuit, rationibus stabilitas, iisque non multis, ne infirmioribus innitendi, & occasionem errandi præberem, sed paucis, quas firmiores existimavi, pertracto. Vos sedulò expendite singulas, sique in Corollariis, in quibus casus ex rationibus in assertione allatis deductos resolvo, nullam reperiatis;


ad

ad aliquam, in responsionum probationibus productam, vos referte, vel ad numeros marginales antecedentes, quos per singulas partes à capite ad calcem reperietis deductos, secundùm quos dabo & Indicem universalem, ne necesse sit, Tractatus, Capita, Quæstiones longa indagine perquirere. Analysis tamen Doctrinæ Reprobatæ, quam primæ Parti præmitto, suos sibi proprios habet numeros, cum ea terminatos. Hanc enim, cùm singulæ Theologiæ partes jam essent elucubratæ primùm conscripsi; ideoque propositiones aliquas, jam antè in iis discussas, paucioribus expono, atque ad Theologiæ partem, ad quam pertinent, Lectorem remitto.

Postremùm hoc mihi expeto, si quædam in tanta tam vastæ materiæ varietate sibi contraria, aut minùs probanda videantur, non præcipitate judicium; sed antecedentia cum consequentibus, & responsa cum limitationibus maturè ponderate. Ut cohærent omnia, & non nisi Theologis probata, velut probabilia proponerem, equidem conatus sum; si nihilominus, quod fieri in his pronum est, humani quid sim passus; doctiores consulite, & errata benignè corrigite. Ego enim saniori, & imprimis infallibili Sedis Apostolicæ judicio lubens omnia submitto, & ad hujus mentem corrigenda, & revocanda ex nunc correcta, & revocata volo. Vos interim frequenti lectione, & studio indefesso ad promovendum divini Nominis honorem, & gloriam idoneos vos reddite, & valete.

DIVI-





DIVISIO GENERALIS

TOTIUS OPERIS IN QUATUOR PARTES DIVISI.

PARS I.

De Actibus humanis, tum in genere, eorumque principiis directivis; tum in ſpecie de malis, & Merito ſupernaturali. Complectitur Tractatus quinque.

PARS II.

De virtutibus Theologicis, & Moralibus, à Juſtitia diſtinctis. Complectitur pariter quinque Tractatus.


PARS III.

De Jure, Juſtitia, & Injuriis, earumque reparatione. Conſtat quatuor Tractatibus.

PARS IV.

De Sacramentis tum in genere, tum in ſpecie. Abſolvitur Tractatibus octo.

Divi-



Divisionem specialem præmitto singulis Partibus propriam, seriemque materiarum, in iis contentarum.

Ad quas tamen priusquam accedam pertractandas, præmitto Propositiones in materia Morum, à Sede Apostolica reprobatas cum brevi earum Analysi, in qua eas, secundùm ordinem hujus Operis digestas, expono; ut Theologiæ Canditati statim sub initium videant, quæ sint reprobanda, & non impingant, si quæ fortassis in Authoribus quibusdam, præsertim, qui antè Sanctæ Sedis Censuram scripserunt, improbanda legerint; sed ut doctrina sanæ Theologiæ conformi imbuti, suæ proximorumque saluti ad majorem Dei, Domini nostri gloriam, eâ quâ par est, curâ, & zelo allaborent.



ANA-



ANALYSIS
Doctrinæ Moralis reprobatæ,
SEU
Propositiones à Sede Apostolica damnatæ, earumque brevis expositio.

PRODROMUS
De infallibilitate Ecclesiæ, & modo exponendi Propositiones damnatas.

CUM Alexander VII. Propositiones in materia morum quadraginta quinque, Innocentius XI. sexaginta quinque damnaverint, ùt minimùm tanquam scandalosas & perniciosas in praxi; Alexander verò VIII. alias triginta tres tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, hæresi proximas, hæresin sapientes, schismaticas, & hæreticas respectivè, ita ut quælibet notanda sit censurâ consentaneâ, quamvis, quæ singulis conveniat, non exprimatur; simulque feratur in illum pœna reservatæ excommunicationis, qui aliquam ex iis propositionibus docuerit, aut defenderit; & in virtute sanctæ obedientiæ præcipiatur, ne quis ullam in praxin deducat: hinc ut intelligatur, quæ vis insit Censuræ Pontificiæ, & quo sensu propositiones illæ sint accipiendæ, quædam præmittenda sunt.

1. *Propositionum censura.*

QUÆSTIO I.

An Summus Pontifex, loquens ex Cathedra sit infallibilis extra Concilium Oecumenicum in decidendis quæstionibus fidei & morum?

1. *Ecclesia infallibilis in Conc. universali.*

CErtum est 1. Pontificem cum Concilio Oecumenico in iis decidendis esse infallibilem per perpetuam Spiritûs sancti in iis assistentiam à Christo promissam: nam Matthæi 16. dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matthæi ultimo: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Joannis 14. *Alium Paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiscum in æternum.* Et cap. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere , sed non potestis portare modò ; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis , docebit vos omnem veritatem.* Quibus verbis juxta unanimem PP. & Theologorum consensum Christus Ecclesiæ suæ , atque adeò Vicario suo cum Concilio universali, quod repræsentat Ecclesiam , infallibilitatem in docendo, & determinando doctrinam fidei,& morum promisit: quomodo enim aliàs vera essent illa verba Christi? quomodo, ùt loquitur Apost. 1. ad Tim. 3. Ecclesia esset *columna, & firmamentum veritatis.* Id, quod etiam patet à posteriori: nam ab omnibus semper tanquam dogma fidei habitum est, quod à Summo Pontifice in aliquo Concilio universali definitum est. Unde est illud celebre Gregorii Magni effatum;quatuor Oecumenica Concilia (quæ sunt Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, & Calcedonense)

donense) habenda esse perinde, ac quatuor Evangelia. Ratio autem à priori est; quia, cùm neque sacra Scriptura sola, utpote sæpe obscura, neque simul cum traditionibus, quia sæpe dubiis, sit sufficiens regula, pro dirimendis controversiis in materia fidei, & morum, ut Ecclesiæ, prout oportet, sit provisum; necessaria fuit regula viva, & visibilis, quæ aptior dari non potuit, quàm supremus Christi Vicarius in terris, saltem cum universali Concilio, seu Ecclesia in suis Episcopis & Doctoribus congregatâ.

Certum est 2. Errare posse Pontificem non solùm in quæstionibus meri facti, non pertinentibus ad communem Ecclesiæ fidem, religionem, ac mores; sed etiam in quacunque materia, si loquatur ùt Doctor privatus, ùt, dum ex sententiis utrimque probabilibus tenet unam; dum quæritur, an hic, vel iste sit reus criminis, cujùs accusatur; an in voto hoc, vel impedimento matrimonii sit dispensandum; quod innuit S. Thomas Quodl. 9. a. 16. his verbis: *In sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ùt, cùm agitur de possessionibus, de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est, judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.* Ratio hujus est, tum quia infallibilitas Pontificis in hujusmodi materiis non est necessaria ad commune bonum Ecclesiæ, rectamque ejus, ob quam unicè promissa est assistentia Spiritûs sancti, gubernationem; cùm incommodum nullum ex ejusmodi erroribus in totum Ecclesiæ corpus promanet, sicut, si Pontifex erraret in materia fidei, & morum, ex Cathedra loquens: tum etiam, quia nullum datur fundamentumm in illis quæstionibus decidendis attribuendi infallibilitatem, cùm potiùs experientiâ constet contrarium: Quæstio igitur

3. *Papa infallibilis non in quæstionibus meri facti.*

tantùm procedit, an Pontifex ſit infallibilis, quando ùt Doctor univerſalis totius Eccleſiæ in materia fidei & morum loquitur ex Cathedra, hoc eſt, quando re maturè perpensâ, & cum viris doctis examinatâ, ùt Doctor, & univerſalis Magiſter, à Chriſto conſtitutus, alloquitur Eccleſiam ſibi demandatam, proponendo illi aliquid in materia fidei, vel morum tanquam ab omnibus indubitanter credendum, vel obſervandum; ſeu, dum, ùt Caput Eccleſiæ edit Decretum pro univerſali Eccleſia, quod ab omnibus fidelibus vult indubitanter admitti & obſervari.

4. *Sed fidei & morum loquens ex cathedra.* Reſp. 1. Pontifex loquens ex Cathedra in materia fidei & morum, etiam extra Concilium Oecumenicum eſt infallibilis. Eſt communiſſima ſententia, & quoad 1mam partem juxta Suar. l. 3. de fidei defens. c. 13. de fide. Juxta Bellarm. l. 4. de Romano Pontifice, Bannetz, & Lug. de fide, d. 2. n. 109. fidei proxima, agnita ùt vera ab 58. Epiſcopis Galliæ in literis ad Innoc. XI. quas referunt Platelius p. 3. num. 124. & Arsd. Controv. Eccl. Galliæ. Neque negatur ab omnibus Janſeniſtis in quæſtionibus juris ad fidem ſpectantibus. Unde aliqui fatentur, eſſe hæreticas quinque illas propoſitiones Janſenii à Pontifice ùt tales damnatas; ſolùmque negant, eſſe infallibilem in quæſtionibus facti; quare dicunt, eas propoſitiones non eſſe hæreticas in ſenſu à Janſenio intento. Secunda quoque pars moraliter certa eſt, ita ut oppoſita ſit improbabilis. Eſt tamen utraque pars contra Gerſonem & aliquos Pariſienſes, qui neglectâ totâ antiquitate contrariam opinionem primùm in Conſtantienſi Concilio produxerunt. Et quamvis concedant, Papæ aliquid definienti religiosè obediendum

eſſe

esse tanquam supremo Pastori; negant tamen, teneri fideles internè indubitanter credere, quod Papa definit extra Concilium generale, esse credendum. Hanc sententiam quidam Jansenistæ ambabus ulnis amplexi sunt, utpote contra quos nullum fuit congregatum Concilium generale.

Probatur prima Pars 1. ex Scriptura. S. Petrus primus Summus Pontifex, à Christo institutus, habuit infallibilem authoritatem extra Concilium generale definiendi quæstiones in materia fidei: atqui ejus Successores Summi Pontifices habent eandem authoritatem in iis definiendis: ergo. Major imprimis probatur: nam cùm Christus Matth. 16. interrogâsset Discipulos suos: *Quem dicunt homines esse filium hominis*: illique opiniones hominum retulissent, Christus verò dixisset: *Vos autem, quem me esse dicitis?* & respondisset Petrus nomine omnium: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: Respondit Jesus: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus*, (id est, petra, uti habetur in Syriaco, quo idiomate locutus est Christus) *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque solveris, &c.* Quibus verbis coram aliis Discipulis duo Petro promittit, nempe principatum in Ecclesia supra reliquos, dum eum dicit fore fundamentum Ecclesiæ, & habiturum claves regni cœlorum; infallibilitatem verò in decidendis rebus fidei dicendo, portas inferi contra Ecclesiam, fundandam supra illam petram, non prævalituras; hæcque promissa implevit Christus Joannis 21. post resurrectionem, cùm sumpto à Discipulis post piscationem

5. 1. *Probatur ex S. Scriptura. Pars 1.*

prandio, examinando Petri amorem erga se bis dixit: *Pasce agnos meos*, id est, fideles, & dein *oves meas*, id est, Episcopos, Pastores, Confessarios, & reliquos, qui pariunt & nutriunt filios spirituales. Pascere autem est præbere pabulum, seu cibum, præesse, regere, ducere, reducere, tueri, castigare, & cæteros actus pastorales exercere: aliàs enim imperfectus fuisset Pastor: Unde dicit Aug. in hunc locum: *Oves pascendas, hoc est, docendas, regendasque committit.* Et S. Hieronym. l. 1. contra Jovinianum c. 14. *Inter duodecim unus eligitur, ut constituto Capite tollatur occasio schismatis, licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Similia habent alii PP. apud Bellarminum. Confirmatur. Lucæ 22. Christus ad Petrum ait: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ubi bene notanda sunt pronomina: Nam 1. alloquitur Petrum & dicit: Expetivit vos, id est, Apostolos, eorumque Ecclesias particulares. 2. dicit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, nempe vi specialis privilegii infallibilitatis duratura in tuis successoribus. 3. dicit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Dicit: *Tu*; ut ostendat, Petro specialem assistentiam Spiritûs sancti dari, ut cæteros confirmet. Probatur deinde minor. 1. Nam Christus eam authoritatem Petro contulit ùt personæ publicæ, quæ in officio suo successores habere debebat; aliàs Ecclesiæ nequaquam satis provisum fuisset. 2. Petrum posuit fundamentum Ecclesiæ perpetuæ, adversus quam non prævalebunt portæ inferi, seu erumpentes ex inferno dæmones: ergo

ergo & Petrum posuit fundamentum perpetuum; cùm ædificii perpetui debeat esse fundamentum perpetuum: atqui non posuit Petrum fundamentum perpetuum in propria persona; quia per mortem in eo cessavit officium Vicarii Christi: ergo posuit eum fundamentum perpetuum in suis successoribus, & hi vi promissionis Christi primatum tenent in Ecclesia, & sunt æqualis infallibilitatis. Unde dixit S. Leo: *Petrus gubernacula Ecclesiæ non reliquit, sed vivit in suis successoribus.*

Dices: S. Augustinus l. 1. Retract. cap. 21. textum: *Tu es Petrus, &c.* sic exponit: Tu es Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam; ergo textus ille non probat, Ecclesiam esse ædificatam supra Petrum, sed super solum Christum. R. N. Conf. Nam reliqui Patres omnes apud Bellarminum de Romano Pontifice cap. 10. per tò super hanc petram intelligunt S. Petrum, Christi in terris Vicarium. Et meritò: Nam Christus locutus est linguâ Syricâ, quâ Petrus dicitur Cepha, uti habemus Joannis c. 1. Cepha autem significat petram: dixit igitur Dominus: Tu es petra, & super hanc petram, &c. & sic quoque habetur in Hebraico textu, latinus autem interpres vertit non ex Syriaco, sed ex Græco, in quo πέτρος, & πέτρα lapidem significant; maluit autem viro aptare nomen masculinum, deinde secundo loco noluit dicere super hunc Petrum, sed super hanc petram, ut non esset sensus ambiguus, quia πέτρα tantùm saxum significat. S. Augustinus, inquit Bellarminus l. cit. solâ ignorantiâ linguæ Hebraicæ deceptus est; existimavit enim, quòd Cepha non significaret petram, sed aliquid ab eo derivatum, uti, si diceremus petrinum; quia ergo

Ecclesia non est ædificata super aliquem petrinum, ideo putavit S. Aug. per illam petram non intelligi Petrum, sed Christum; at, si advertisset, Cepham nihil aliud significare, quàm petram, & Dominum dixisse: Tu es petra, &c. nihil dubitâsset de veritate communis sententiæ, sed nec hanc improbat, verùm Lectori relinquit electionem sententiæ utriuslibet, aliàs communem secutus. Ita Bellarminus.

6. Probatur assertionis pars prima 2dò. Ex verbo Dei non scripto, seu traditione Apostolica: Certum est, traditiones Apostolicas Divinas fide divinâ credendas esse: atqui est traditio Apostolica divina, Romanum Pontificem extra Concilium generale in rebus fidei esse infallibilem: nam 1. S. Anacletus ordinatus Presbyter à S. Petro, ùt testatur ipse scribens ad Episcopos Italiæ, ait Epistolâ primâ: *Jussione Salvatoris Apostolos statuisse, ut majores & difficiliores quæstiones* (quales utique sunt, quæ ad fidem pertinent) *semper referantur ab Sedem Apostolicam, super quam Christus universam construxit Ecclesiam.* Epistolâ 3. ait, debere ad eam referri velut ad Caput, ut Apostolico terminentur judicio: quia sic Dominum velle ab Apostolis traditum est, loquitur autem in causa Ecclesiæ, in qua est legitimus Judex. Idem testantur primores Ecclesiæ PP. ùt Irenæus Auditor S. Polycarpi, discipuli S. Joannis Evangelistæ l. 4. contra hæreses. Cyprianus l. 1. Epist. 3. & l. 4. Epist. 9. Ignatius Martyr, & ipse discipulus S. Joannis anno Christi 71. dicens: *Qui iis* (Romanis Pontificibus) *non obedit, atheus est prorsus, & impius, & Christum contemnit.* Idem testantur alii passim, constatque ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ fidelissima est divinarum traditionum custos. Patres

1. Ex traditione.

enim

enim & Concilia exurgentes in materia fidei controversias, & hæreses ad Romanum Pontificem, tanquam supremum in terris Judicem semper detulerunt, ita quidem, ut, quod ab eo decideretur, id pro indubitato tenendum censerent: quique decisioni nollent acquiescere, tanquam refractarios, & hæreticos haberent, àcquiescentes solius Pontificis sententiæ, etiam dum Synodus convocari non poterat, aut solùm erat particularis. Et sic constat, plures hæreses singulis sæculis (excepto decimo, in quo nullam hæresin exortam in Ecclesia legimus, ex speciali fortè Dei providentia: quia tunc Ecclesia satis affligebatur Pontificibus vitæ non satis exemplaris) à Romano Pontifice sine Concilio generali fuisse damnatas, & tanquam tales ab Ecclesia habitas. Sic in primo sæculo à S. Petro damnata hæresis Simonis Magi; à Lino, Cleto, Clemente hæresis Nicolaitarum, & aliæ ex ea pullulantes. In secundo sæculo hæresis Marcionistarum ab Anacleto, Evaristo, Alexandro I. Sixto I. In tertio sæculo hæresis Montani, Tertulliani, Origenis, Novati, Pauli Samosateni à Victore I. Cornelio, Lucio, Stephano, qui & rejecit errorem Cypriani de iterando Baptismo ab hæreticis collato, ipso tandem doctissimisque PP. Africanis se submittentibus Stephani judicio. In quarto sæculo hæresis Joviniani à Papa Siricio. In quinto hæresis Pelagii *toties victa*, ùt loquitur S. Augustinus, *toties pugnæ restituta, tum demum profligata est, ubi Romanus Pontifex se prælio immiscuit.* Sæculo nono errores Photii, negantis processionem Spiritûs sancti à Filio, extra Concilium damnati sunt. Sæculo 11. hæresis Berengarii, negantis realem Christi existentiam in Eucharistia à Leo-

 ne IX.

ne IX. & Victore II. Sæculo 16. Errores Lutheri, & Calvini à Leone X. Est itaque Pontifex infallibilis in definiendis quæstionibus fidei tam extra, quàm intra Concilium universale: aliàs tota Ecclesia sine novo examine ejus definitiones admittendo esset exposita millenis erroribus. Atque ita tenent PP. passim apud Polemicos. Audiatur instar omnium S. Aug. l. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3. *Per Papæ rescriptum*, inquit, *causa Pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt*. Sermone 2. de verbis Apost. in fine de hæreticis, necessitatem gratiæ negantibus, ita ait: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est; error utinam aliquando finiatur*. Nec dici potest, non negari Pontificem cum Concilio esse infallibilem: nam hæc Concilia non fuerunt universalia; & nunquam definit aliquid Pontifex sine aliqua Synodo.

Probatur 3. rationibus variis, 1. Ecclesia est infallibilis in materia fidei: atqui talis non esset, nisi Romanus Pontifex extra Gener. Conc. esset in iis infallibilis: nam tota Ecclesia tenetur Pontifici ut supremo Capiti, & Pastori aliquid tanquam fide tenendum definienti obedire, & ab eo definita credere, modò non evidenter falsa; qualia ab eo ut tali procedere non possunt: atqui non possent credi eis fide divina, si errare is posset in eis; quia fides stare non potest cum formidine, ne non sit locutus Deus. Nec dici potest, quòd tantùm externè nos illis conformare teneamur, non verò internè credere, quæ credenda ipse definit: nam hoc esset homines privatos statuere judices omnium definitionum

Ponti-

Pontificis, & credendi libertati cuilibet pro arbitrio, & hæresibus ostium aperire; quod præposterum est, & repugnat rectæ gubernationi fidelium, quam utique Christus instituit. Audiatur S. Augustinus l. 4. contra duas Epistolas Pelagii cap. 12. *Quasi*, inquit, *nulla hæresis aliquando, nisi synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit.* Epistola 157. ait: *In verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, certa, & clara est Catholica fides, ut nefas sit dubitare Christianis.* 3. Christus Dominus Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo, ùt par erat, sapientissimè providit. Quis dubitet? atqui hoc non fecisset, si suo Vicario supremo in terris, quem voluit pascere agnos suos, & oves, cuique voluit, ùt omnium visibili Capiti, obedire omnes; non contulisset speciale privilegium infallibilitatis, ut haberemus visibilem infallibilem regulam fidei extra Conc. Generale, nam semper difficillimum, & sæpe moraliter impossibile est, toto ex orbe Episcopos convenire in unum locum: & hinc tribus primis sæculis post Concilia Apostolica nullum in tanta sævitia persecutionum est coactum. Et à Partu Virginis usque ad hoc 18. sæculum tantùm sunt habita Concilia Generalia 18. à Pontifice approbata: nempe duo Nicæna, quatuor Constantinopolitana, unum Ephesinum, unum Chalcedonense, quinque Lateranensia, duo Lugdunensia, unum Viennense in Gallia, unum Florentinum, & unum Tridentinum ab anno 1545. ad annum 1563. continuatum; quæ his versibus exprimuntur:

Conventus habuêre Patrum, quos Roma probavit,

Byzantum quatuor, Lateranos quinque Latini,
Lugdunum & Nicæa duos, unumque Viennæ,
Unum Chalcedon, Ephesus, Florenza Tridentum.

Quòd si & nunc, ubi controversia oritur, univ. Concil. convenire deberet, immensi essent sumptus necessarii: viduarentur suis Episcopis particulares Ecclesiæ per plures annos, sique convenire non possent, versarentur in dubiis per sæcula fideles, prævalerent hæretici suis erroribus, ad libertatem vitæ ducentibus, totaque perturbaretur Ecclesia. Ad providentiam ergo Christi pertinebat infallibilem in rebus fidei decernendis statuere supremum suum in terris Vicarium.

8. *Probatur Pars 2.* Probatur denique pars 2da assertionis, quòd Pontifex ex Cathedra loquens sit infallibilis in decidendis quæstionibus in materia morum iisdem fere argumentis, quibus probata est pars 1ma: nam 1mò, Pontifex est à Christo positus fundamentum Ecclesiæ, Pastorque, & Magister universalis; si autem in iis non esset infallibilis, mille errores induceren tur in Ecclesiam; cùm fideles teneantur eum audire, & tenere, quod definit tenendum, sicque portæ inferi prævalerent adversus eam, Pontifex non esset necessaria potestate oves Christi pascendi instructus; posset errores pro veritate proponere, à virtute ad vitia deducere. 2dò. Cuilibet liceret sentire in animo, saltem ubi apparet ratio aliqua pro eo, quod lubet: cùmque Concilia generalia rarissimæ possint convocari, grassarentur errores; quos, si postmodum Conc. Gen. corrigeret, nulla fides haberetur definitionibus Pontificum. Hinc Christus suâ providentiâ

dentiâ defuisset Ecclesiæ. 3tiò. Ecclesia definitiones Pontificum in materia morum semper recepit ùt indubitatas, & doctrinam sanctam; ergo tenet, Pontificem in iis esse infallibilem: ergo & est; aliàs Ecclesia erraret, doctrina morum ejus non esset sancta, declinaret à pascuis ad noxia.

Nec dicas, tunc definitiones Pontificis esse infallibiles, quando ab universali Ecclesia, vel saltem à potissima ejus parte acceptantur; cùm portæ inferi adversus eam prævalere non possint. Nam 1mò. Licèt Ecclesia admittendo definitiones eas in praxi confirmet; ab ea tamen non habet primam infallibilitatem, ùt constat ex dictis. 2dò. Ecclesia eas acceptat sine examine, & dubio de veritate in sensu Pontificis: ergo infallibilitatem supponit; alias sine prævio examine temerè eas acceptaret. 3tiò. Si ab acceptatione Ecclesiæ penderet infallibilitas definitionum, subditi statuerentur præposterè judices sui superioris; & definitiones sæpe aut nunquam, aut nonnisi post longa tempora, multasque controversias sortirentur effectum; quod iterum repugnat debitæ providentiæ, & recto ordini in Ecclesia Christi. Quæ adversarii tum ex Jure Can. tum aliunde congerunt contra communissimam, veramque sententiam; facilè solvuntur, si attendantur circumstantiæ materiæ, in quibus responsa, vel Decreta Pontifices dederunt, modusque loquendi; an scilicet locuti sint ùt privati Doctores, vel è Cathedra, &c. Tannerus de fide d. 1. q. 1. dub. 6. dat has regulas, quibus cognoscatur, quod, & quid loquatur Pontifex ex Cathedra, vel ùt privatus Doctor.

9. *Regulæ, quando & quid Papa loquatur ex Cathedra?*

1ma est. Quando Pontifex loquitur non omnino asseveranter, sed per modum dubitantis, vel opinantis, tunc non intendit definire ex Cathedra. 2da. Si in suis responsis addat aliquid præter id, de quo principaliter consulitur, hoc non intendit definire, sed procedit ex particulari opinione. 3. Quòd si respondeat personæ particulari, vel particulari Ecclesiæ, spectanda est materia, verba, circumstantiæ; & ex iis colligendum, an intendat definire: si id ex iis non appareat, censetur non intendere. 4. Si Decretum edat, & loquatur ùt universalis Doctor; ex verbis decreti, occasione scribendi, quæstione propositâ judicandum erit, quidnam directè docere, & definire intendat: quæ enim in probationem tantùm, aut in confirmationem affert, aut solùm incidenter dicit, non cadunt sub definitionem. 5. In responsione directa in materia fidei ponderanda sunt verba: si enim dicat, esse dogma fidei, contrarium repugnare Scripturæ, vel traditioni Apostolicæ, aut esse hæreticum, vel erroneum in fide, si utatur verbis præceptivis, quibus mandet, tenendum aliquid Ecclesiæ sub anathemate: manifestum signum est, quòd id definiat; secùs, si tantùm contrarium prohibeat doceri sub excommunicatione: id enim non sufficit universim ad judicandum, aliquid esse definitum. 6. Decretum debet esse legitimè promulgatum, nec refixum, aut retractatum, antequam tempus elabatur obligationi præfixum. Atque hæc inquit n. 269. cùm etiam ad Decreta Conciliorum accommodanda sint, tum imprimis valent ad Epistolas decretales intelligendas, Canonesque Pontificios. non enim omnia sunt ejusdem authoritatis in iis: quin etiam falsa quædam iis

ad-

admixta esse possunt; quæ frustra sectari contra definitiones Pontificum objiciunt. Neque hoc ipso, quòd Pontifex suam, aut alterius Auctoris sententiam in jure canonico ponat, illico eam publica authoritate definit, nisi ex circumstantiis constet, eum velle, ut ea doctrina deinceps velut Canon, & Regula Fidei habeatur. Addit n. 287. piè credi posse, quòd Spiritus S. nunquam permissurus sit, ut Pontifex etiam in privatis Ecclesiis aliquid approbet, quod inhonestum est; aut prohibeat, quod ad salutem necessarium est: licèt enim tota Ecclesia non teneatur semper se tali decreto accommodare; sumi tamen hinc ùt certum argumentum, quòd id universim teneat; & sic fieri posset, ut in qualibet Ecclesia particulari suus proprius obtineret error.

QUÆSTIO II.

An Pontifex, ex Cathedra loquens, sit infallibilis in decidendis quæstionibus facti dogmaticis, seu conjunctis cum quæstionibus juris.

NOta. Quæstio facti, prout opponitur quæstioni juris, hic generatim est illa, cujus decisio petenda est non ex jure, sed aliunde, v. g. ex testimonio hominum, vel alio simili indicio: Juris autem quæstio est, cujus decisio ex jure divino, vel naturali, vel humano haberi potest. Sic quæstio juris est, an Tobias visum receperit, an Judas fuerit proditor, an lata sit excommunicatio in percussorem Clerici: quia ex jure resolvi possunt. Quæstio facti alia est purè talis; uti, an Petrus illam actionem posuerit, cui

10. *Quæstio facti & juris.*

cui annexa eſt excommunicatio : alia mixta ex quæſtione facti & juris ; ut, dum inquiritur ſenſus alicujus textus, vel libri, quis, & qualis ſit ? Si quæratur, quis ſit illius ſenſus ; eſt quæſtio facti dogmatici : dum quæritur, qualis ſit, Catholicus, an hæreticus, eſt quæſtio juris. Pontificem non eſſe infallibilem in quæſtionibus puri facti decidendis ; conſtat ex dictis, quia talis infallibilitas nullibi ei promiſſa ; cùm talia definire non ſpectet ad officium univerſalis animarum Paſtoris, aut Capitis Eccleſiæ, cui promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritûs S. ad dirigendas oves in rebus ſalutis, ſeu fidei & morum. Controvertitur hîc, an Pontifex ſit infallibilis in dignoſcendo, & dijudicando, quis ſit ſenſus textûs, vel libri jam à ſe examinati, quando de illius qualitate, ſitne hæreticus, Catholicus, verus vel falſus, jam tulit, vel laturus eſt ſententiam.

Negârunt, poſt damnatas ab Inno. X. & Alexandro VII. Janſenii propoſitiones, mordicus Janſeniſtæ, duo circa librorum damnationem diſtinguentes judicia Eccleſiæ. Primum vocant deciſionem facti, alterum juris. Per primum ajunt, judicat Eccleſia, vel declarat, librum, quem examinavit, continere hunc potius ſenſum, quàm illum ; & in hoc juxta eos falli abſolutè poteſt. Per 2dum verò judicium pronuntiat, ſenſum illum, quem in libro putat contineri, eſſe v. g. hæreticum, vel orthodoxum, & in hoc, inquiunt, falli omnino non poteſt. Proinde per illos poſt judicium duplex Eccleſiæ certum quidem eſt, & de fide, ſenſum, quem Eccleſia habuit in mente, & damnare voluit ùt hæreticum, verè eſſe hæreticum. Quòd verò ſenſus ille idem contineatur in libro, ùt per alterum judicium declaravit Eccleſia, neque eſt

de

de Fide, neque certò constare potest saltem ex sola declaratione Ecclesiæ, utpote hac in re falli bili. Et hinc quidam dixerunt, Jansenismum dari solum apprehensivè in mente Pontificum; non autem in Jansenii libris. Hoc notato,

Resp. Pontifex ex Cathedra loquens etiam est infallibilis in decidendis quæstionibus facti dogmaticis, seu facti conjunctis cum quæstionibus juris, ita, ut negata infallibilitate circa quæstionem facti, valeat consequentia ad negandam infallibilitatem in quæstionibus juris: consequenter est infallibilis in declarando, quod doctrina in aliquo libro v. g. Jansenii contenta sit hæretica.

II. *Infallibilitas Papæ in quæstionibus facti dogmaticis.*

Probatur 1. Si Pontifex possit falli, quis sit sensus libri v. g. Jansenii obvius; etiam poterit falli judicando, qualis sit sensus in illo obvius; ergo si non sit infallibilis in judicanda quæstione facti; nec erit infallibilis in quæstione juris: consequens est falsum, ùt constat ex dictis, ergo & antecedens. Prob. antecedens: priusquam enim judicari possit, qualis sit sensus obvius libri, debet judicari, quis sit sensus: quomodo enim judicabit, qualis sit sensus obvius, hæreticus, an Catholicus, si non possit judicare, quis sit sensus? cùm ex quidditate sensûs deducenda sit sensûs qualitas: ergo si non possit Pontifex infallibiliter judicare, quis sit sensus, nec judicare poterit infallibiliter, qualis sit sensus libri: consequenter si erret judicando, quis sit sensus libri, errabit judicando, qualis sit sensus. 2dò. Si Pontifex non sit infallibilis in decidenda hac quæstione facti, quòd liber & sensus Jansenii contineat hæresin; nec erit infallibilis in decidendo, quòd hæc propositio: *Ad merendum, & demerendum sufficit libertas a coactione*, sit hære-

hæretica : ſed in ultimo eſt infallibilis: ergo & in 1mo. Min. eſt certa, & à Janſeniſtis admittitur. Maj. prob. Liber Janſenii manifeſtè habet illam propoſitionem : ergo, ſi non eſt infallibilis in definiendo, quòd liber & ſenſus Janſenii contineat hæreſin, nec eſt infallibilis in definiendo, quòd propoſitio illa hæreſin contineat. Ubi patet, quomodo negatâ infallibilitate circa factum in quæſtione connexa cum quæſtione juris neganda ſit infallibilitas circa quæſtionem juris.

3. Poteſt infallibiliter definire non tantùm illa, quæ continentur in Scriptura ; ſed etiam, quæ ex una præmiſſa de Fide, & alterâ naturaliter evidente inferuntur ; atqui concluſio illa, quòd liber & ejus ſenſus contineat hæreſin, poteſt deduci ex una de Fide, & alterâ naturaliter evidente : ergo. Major eſt certa apud Theologos. Et ſic Eccleſia definivit, quòd Chriſtus habuerit humanam voluntatem : quia de Fide eſt, quòd Chriſtus ſit homo ; & naturaliter certum eſt, quòd homo habeat humanam voluntatem. Item definivit, quòd ſub ſpeciebus hoſtiæ conſecratæ non ſit ſubſtantia panis : quia de Fide eſt, quòd ſub ſpeciebus illis ſit Chriſtus : & naturaliter certum eſt, quod ſub iiſdem ſpeciebus non ſint duæ ſubſtantiæ completæ. Sic poteſt aliquem declarare hæreticum, ſi certum ſit, quòd pertinaciter defendat hæreſin ; poteſt defunctum declarare ſanctum, ſi certum ſit moraliter, quòd poſt vitam, heroicis virtutibus claram, in oſculo Domini obierit. Minorem oſtendo hoc Syllogiſmo : *Hæreſis eſt, quòd libertas à coactione ſufficiat ad meritum : atqui liber & ſenſus Janſenii habet, quòd ea ſufficiat ad meritum : ergo liber & ſenſus Janſenii habet hære-*

hæresin. Maj. est de Fide. Min. est naturaliter evidens scienti latinum, & legenti librum.

4. Si sententia adversariorum sit vera, nullus Canon, nulla damnatio errorum erit de Fide, non poterit Papa declarare, doctrinam alicujus libri esse orthodoxam ; non poterit damnare ullam propositionem etiam in Conc. gener. quia liber constat propositionibus singulis: potest autem per adversarios doctrinam libri Catholicam declarare, potest damnare propositiones.

5. Ecclesia non erravit damnando libros Pelagii, Nestorii, Lutheri, Calvini: ergo nec erravit damnando librum Jansenii. Denique ipse Jansenius agnovit, librum suum posse ab Ecclesia reprobari: nam, ùt habet in ejus Epilogo, & confirmat in suo testamento, submisit illum examini, & judicio Ecclesiæ, inquiens, ut illud jam teneam, si tenendum est; revocem, si revocandum; damnem, si damnandum esse judicaverit. Unde mirum, quòd non pudeat Jansenistas esse magis sollicitos de honore Jansenii, quàm matris suæ Ecclesiæ, & sui superioris Vicarii Christi.

Dicunt Jansenistæ 1. Nec Ecclesia, nec Papa scire potest, quem sensum in mente habuerit Jansenius. *12. Argumenta adversa.*

Resp. Nec scire potuit, quem sensum habuerit in mente Lutherus, Calvinus, Nestor. tamen eorum libros rectè condemnavit tanquam hæresin continentes. Ecclesia non damnavit personam Jansenii velut hæreticam; nec examinavit, quem sensum ipse sibi in mente finxerit. alienum à sensu obvio verborum; sed damnavit librum secundùm sensum obvium, quem verba ex sua institutione ferunt: hunc in mente habuisse Jansenium, certum est; vel enim lo-

qui humano modo voluit, vel non voluit ? Si voluit, significata verborum, mentemque suam iis conformem indicare voluit, si humano modo loqui non voluit; ergo voluit totum mundum decipere, & fuit impostor pessimus, id quod nemo dicet.

Dicunt 2. Ecclesia non recepit condemnationem sensûs Jansenii. Resp. Imprimis Pontifex est infallibilis pro priori ad receptionem Ecclesiæ: deinde falsum est, quod dicitur: nam tota Ecclesia recepit Decreta Pontificum, doctrinæ Jansenii damnatoria, exceptis nonnullis iniquitatis filiis, ùt loquitur Alexander VII. quorum pertinacia non obest receptioni, nec veritati: sicut non obfuit pertinacia hæreticorum aliis Pontificum decisionibus, quas contempserunt.

Dicunt 3. Ecclesia in Conc. Chal. probavit scripta Theodoreti, Ibæ, & Theodori Mopsuesteni; attamen postea in Conc. Constantinop. reprobavit illa velut hæretica: ergo non est infallibilis in intelligendo sensu alicujus libri. Resp. Neg. 1mam partem ant. Nam, postquam Scriptores illi in Conc. Chal. explicâssent in sensu bono sua scripta, erroresque Nestorii fuissent detestati, Ecclesia illorum personas iterum admisit, abstrahendo ab eorum scriptis; hæc autem postea examinavit, & inveniens additum fuisse quaternionem dolosè in Conc. Chalcedonensi exhibitis, damnavit in Conc. Constantinop. eorumque damnatio ab omnibus Catholicis recepta est; etsi ea scripra non legerint omnes, sicut non omnes legerunt acta Conc. Trident. & tamen ea recipiunt, iisque internè assentiuntur, non contenti obsequioso silentio Jansenistarum, quod reprobavit Clem. XI.

man-

mandando, ut animo etiam rejiciantur propositiones Janſ. tanquam hæreticæ. Mirum quantum hallucinantur Janſeniſtæ. Fatentur, illas esse hæreticas, proinde ſciunt, quis ſit illarum ſensus, & negant, ſcire id poſſe Eccleſiam. Quæ contra hactenus dicta afferuntur alia, videantur ſoluta apud Polemicos, & Scholaſticos in tract. de Fide. Ex dictis deduco ſequentia.

1. Sub qua ratione aliqua propoſitio damnata eſt, ſub ea certò talis eſt, & practicè improbabilis. Unde, ſi aliqua damnetur ùt ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiva; ùt talis habenda eſt, & practicè improbabilis. Putat tamen Lugo de Fide d. 20. n. 134. Moya, Canus, Card. in 2da Criſi d. 32. n. 32. non inde inferri, quòd ſit falſa. Si tamen aliqua eſſet damnata ùt temeraria; & aliquis abſque nova ratione inventa judicaret, eſſe veram, eſſet error in Fide: quia judicaret, nunc habere grave fundamentum, cujus oppoſitum pro nunc declarâſſet Eccleſia. La Croix l. 2. n. 204. 13. *Corollaria.* *Quomodo pecet diſſentiens decretis his Papæ?*

2. Qui docet, vel defendit aliquam propoſitionem damnatam, peccat graviter, & incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. Conſtat ex Decretis Pontificum: neque unquam leve eſt ſic reſiſtere doctrinæ Eccleſiæ.

3. Similiter, qui mente diſſentit in materia etiam levi à doctrina in decretis illis declaratâ, & propoſitionem judicat falſam, graviter peccat: quia talis diſſensus opponitur regulæ Fidei; qui verò eidem mente conſentit, & operatur contra damnatam in materia levi: ùt ſi ex pura voluptate comedat ad ſatietatem, vel utatur reſtrictione purè mentali, peccat venialiter tùm contra abſtinentiam, vel veracitatem, tum contra obedientiam: quia Pontifex in virtute S. Obe-

dientiæ praxin singularum propositionum illarum damnavit: qui verò in materia gravi agit contra, peccat graviter, etiam ratione inobedientiæ.

4. Decreta, quibus damnantur propositiones, ùt sunt declaratoriæ doctrinæ, & ùt prohibent praxin talis doctrinæ, si sint Romæ promulgata, nos obligant, etsi in his partibus non sint promulgata; modò nobis constet, esse Romæ promulgata. Ratio primæ partis est, quia factâ Romæ promulgatione certum est, propositiones esse tales, quales eas Pontifex, qui in materia Fidei & morum errare non potest, declarat. Unde, licèt fortè ex permissione benigna ad aliquarum legum Pontificis obligationem requiratur promulgatio in singulis provinciis; tamen, ut obliget damnatio propositionum in materia Fidei, & morum, promulgatio talis non requiritur. Ratio 2dæ partis est: quia, cùm pleræque propositiones damnatæ spectent ad jus naturale, vel positivum divinum, hoc ipso, quòd illas damnet, declarat Pontifex, quòd repugnent juri naturali, vel divino: ut autem jus naturale, vel divinum obliget, non requiritur promulgatio juridica; sed sufficit certa notitia. Et idem dicendum de iis, ùt sunt pœnalia, & ùt sub obedientia obligant. Sed neque requiritur acceptatio subditorum: Pontifex etenim, utpote Superior independens à subditis, potest invitis iis præcipere, & hac in materia præcipit absolutè.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quam vim habeant Sacræ Congregationis Romanæ Declarationes, Responsa, & Decreta?

NOta. Variæ sunt Romæ Congregationes, nempe Sacri Officii, Rituum, Tridentini, Indicis librorum, Episcoporum, Cardinalium, & Regularium. 14. *Variæ Congregationes Romæ.*

Congregatio S. Officii constat multis viris primariis, inter quos quinque Cardinales, à Papa deputati, quorum tres adesse debent, ut aliquid concludatur. Huic concessit Paulus III. potestatem inquirendi, citandi, procedendi in omnibus causis, quæ hæresin manifestam, schisma, divinationes, abusum Sacramentorum, & crimen sollicitantium ad turpia in Confessione, concernunt.

Congregatio Tridentini resolvit dubia circa decreta morum, contenta in Trident. & habetur singulis mensibus. Decreta autem, quæ ad Fidei dogmata pertinent, Papa sibi reservavit.

Congregatio Rituum præest Consultationibus de moribus Ecclesiæ, de Ritibus Sacramentorum, Horis Canonicis, Cultu, Canonizatione Sanctorum, & habetur tantùm semel in anno.

Congregatio Indicis librorum instituit examen circa libros prohibitos, eorumque catalogos, & indices.

Congregatio Episcoporum dirimit dubia, & lites circa jura, immunitates, privilegia, quæ re-

feruntur à Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis.

Congregatio Regularium respondet ad dubia, à Regularibus proposita, atque ad eorum controversias, & circa Apostasiam.

Congregatio Cardinalium tractat de propaganda Fide, habeturque quolibet mense: semel de anno coram Papa, adhibitis aliquot Curiæ Romanæ Prælatis, ac Religiosis viris. Præsunt illi Cardinales, inter quos senior bis in anno eam habet in domo sua. Ita La Croix l. 1. à n. 214.

15. *Forma authentica. declarationum.* Nota 2. Ut declarationes, & responsa Sacræ Congregationis vim habeant probabilitate majorem, hæ conditiones requiruntur. 1ma. Ut fiant consulto, & consentiente Papâ. 2. Ut muniantur sigillo Sacræ Congregationis. 3. Ut subscribantur à Cardinale Præfecto, & Secretario Congregationis. Si unâ ex his conditionibus careant, non sunt authenticæ. Sic statuit Urbanus VIII. 1631. his verbis: *Hujusmodi declarationibus tam impressis, quàm imprimendis, quàm manuscriptis nullam fidem in judicio, vel extra à quocunque adhibendam; sed tantùm illis, quæ in authentica forma solito sigillo & subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti, & Secretarii Congregationis pro tempore existentium: munitæ fuerint. In quorum fidem &c. Datum Romæ 1631. die 2. Augusti,* Ratio sic statuendi fuit: quia olim plurimæ declarationes falsæ, & quandoque inter se contrariæ circumferebantur. Hoc Decretum non solùm declarationes Congreg. Trid. sed & aliarum responsa comprehendit, ut scilicet vim legis non habeant, nisi producantur in forma authentica. Cæterùm Sanch, Salas, aliique Do-

ctores apud, & cum Schmaltzgr. diss. procem. n. 386. notant, facilè deferri prædictarum Congregationum declarationibus, licèt sigillo, & subscriptione debitâ munitæ non producantur; modò referantur à probatis Doctoribus, & aliunde non sint suspectæ, v. g. quòd à jure communi, vel recta ratione, proprietate verborum recedant: tum enim in praxi non facilè ab iis recedendum esse. Quidquid sit de hoc; si inconsulto Pontifice fiant, vim obligandi non habent. Notat Pellizarius in man. tr. 4. n. 108. ex Salas, quòd Cardinales raro consulant Pontificem. Verùm cùm Pius IV. Sixtus V. & Gregorius XIV. apud Card. de Luca in annot. ad Conc. Trid. discuss. 1. n, 17. statuerint, ut non fiant inconsulto Pontifice, sit fides penes Auctorem. His præmissis

Resp. 1. Si Congregatio aliqua, post Papam informatum, & ejus mandato, edat decretum in materia morum, quo v. g. damnat propositionem, illudque ritè communicetur toti Ecclesiæ, erit infallibilis, & censebitur exire à Papa: ideoque opinio illa amittit probabilitatem: tum enim Papa loquitur non ùt Caput tantùm illius Congregationis, sed ùt Caput Ecclesiæ; cùm edat Decretum pro tota Ecclesia, illudque velit ab omnibus observari. Ita Là Croix l. 1. n. 216. Si verò non fiant de speciali mandato Papæ, & nomine ipsius toti Ecclesiæ, non sunt infallibiles: quia nulli Congregationi ùt contradistinctæ à Papa, est promissa infallibilitas; quamvis tribui illi debeat magna authoritas. Ità Card. in 1. Crisi. d. 9. Tirillus in regula morum q. 14. num. 55. La Croix l. 1. n. 215. 16. *Vis declarationum in materia morum.*

Resp. 2. Responsiones Congregationis Ri-

 tuum

17. *Responsa Congregationis Rituum.* tuum non sunt infallibiles : dantur enim solùm pro dubiis singularibus interrogantium. Hinc non promulgantur, nec obligant, si non sint subscriptæ legitimè, & sigillo munitæ. Ita La Croix l. 1. n. 218.

18. *Declarationes S. Cong. Trid.* Resp. 3. Declarationes Congregationis Concil. Trident. si eas Papa examinaverit, approbavit, & promulgari fecerit, censentur exire immediatè à Papa, suntque infallibiles, & vim legis obtinent. Et quamvis aliqui cum Gobat putent, non requiri aliam promulgationem, nisi famam publicam, à principio authentico derivatam; rectè tamen alii requirunt sequentes conditiones: 1. Ut sint comprehensivæ, non verò extensivæ, id est, comprehendantur in verbis Concilii, & purè declarentur, & non extendant se ultra communem, propriam, & usu receptam verborum significationem. 2. Ut sint approbatæ à Papa. 3. Ut sint à Præfecto Congregationis sigillo munitæ, ritæ subscriptæ, & communicatæ. 4. Ut sint publicè notæ. Quòd, si fiant sine forma authentica, nec consulto, nec specialiter mandante Papa, probabiliùs non habent vim legis; sed sunt tantùm doctrinales, nec infallibiles. La Croix num. 574. Declarationes Cardinalium ad Trid. tantùm adjectæ ex Farinacio non sunt authenticæ; sed declaratæ incertæ sub Gregor. XV. & Urbano VIII.

Stat inconcussa authoritas, & infallibilitas Papæ. Atque ex his colligitur, quomodo inconcussa stet Summi Pontificis infallibilitas in declarandis quæstionibus in materia Fidei, & morum, etsi Congregatio Trid. quandoque contrarium responderit, cujus novissimum habemus exemplum in dubiis super valore matrimonii in Belgio fœderato sine forma Trident. contract :

tracti : quamvis enim Sacra Congreg. Trid. non semel in casibus particularibus respondisset, invalida esse talia matrimonia ; tamen, quia adhuc nihil generatim, & universè super ejusmodi matrimoniis fuerat ab Apostolica Sede definitum, Benedictus XIV. declaravit, matrimonia ista usque modo contracta, & deinceps contrahenda (modò aliud non obstet) non servata formâ Trid. habenda esse valida. Patet hoc ex declaratione ; quam exhibebit par. 4. n. 615. in qua vide n. 617.

QUÆSTIO IV.

Quæ observanda sint in propositionum damnatarum expositione ?

RESP. I. Verba Pontificis damnantis propositionem & loquentis ex Cathedra, utì verba Scripturæ & Conciliorum, nisi quid obstet, sumenda sunt in sensu proprio, spectandus est propositionis & damnationis contextus. 19. *Damnantur in sensu proprio.*

Resp. 2. Quando propositio aliqua damnatur, ùt jacet, intelligitur damnari in eo sensu, quem habent verba secundùm se, & ùt separata ab omni contextu ; non autem in sensu , qui fortè est in libro Auctoris talem propositionem habentis : hic enim fortè eam modificavit per antecedentia , & consequentia. Excipiuntur 79. Bajanæ, & 5. propositiones Jansenii, quæ damnantur in sensu ab Auctoribus illarum intento. 20. *Propositio damnata, ùt jacet.*

Resp. 3. Cùm propositio damnata possit facere sensum vel universalem , vel particularem; composita verò sensum copulativum, vel divisum, 21. *Quo sensu*

damnata sint accipienda univers. vel particul. &c.

sum, ut intelligatur, in quo sensu sit damnata, quæque contradictoria illi opposita sit vera, considerare oportet tum materiam, quæ proscribitur, tum rationum momenta, ob quæ proscribi meruit, tum mentem eorum, qui eam propositionem docuerunt, tum denique communem Doctorum sensum. Declaratur in exemplis.

1mò. Ab Inn. XI. damnata hæc v. g. *Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi*, damnata est in sensu hoc particulari: urgens aliquis metus gravis est justa causa, &c. proinde vera hæc ejus contradictoria: Nullus metus gravis est causa justa, &c. quia, cùm intrinsecè malum sit Sacramentorum administrationem simulare, utpote repugnans reverentiæ Auctori Sacramentorum debitæ, ratio eam damnandi militat contra omnem metum quantumcunque gravem. Idem est de 6. damnata ab eodem, quâ dicebatur, nec mendacem, nec perjurum esse, qui utitur restrictione purè mentali, sive hoc, sive illo modo: nam, cùm intrinsecè malum sit mendacium; sit autem restrictio purè mentalis mendacium, damnata est in hoc sensu particulari: Aliquis utens restrictione purè mentali non mentitur, &c. & vera est hæc: Omnis utens restrictione mentali, &c. puta, pura: hæc enim simpliciter venit nomine restrictionis mentalis. 2. Hæc 34. damnata ab eodem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*, damnata est in sensu diviso, quasi diceret: Sufficit vel mors, vel infamia inferenda, veraque est hæc: Nec mors, nec infamia inferenda sufficit: quia intrinsecè malum est, fœtum depellere. 3. Hæc 36.

Per-

Permissum est furari non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate, ab Alexandro VII. damnata est in sensu copulativo ; quòd nempe liceat & in extrema, & in gravi necessitate, solùmque damnatur pars ultima : nam, quòd in extrema necessitate liceat aliena subducere, quæ necessaria sunt ad extremam necessitatem sublevandam , habet communis, veraque sententia. 4. Hæc 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro , qui duas ejus partes , imò quatuor simul à diversis Sacerdotibus audit* , damnata est ab Innoc. XI. in sensu diviso quoad singulas partes, estque vera hæc : Nec qui audit duas , nec qui audit quatuor, &c. Ratio enim est eadem : quia Ecclesia exigit auditionem Missæ tanquam Cæremoniæ successivæ, seu damnata est in sensu particulari : aliqua simultanea auditio Missæ sufficit, & vera hæc : Nulla sufficit : quia ratio pro utroque est eadem. 5. Denique hæc : *Licet per literas seu Internuntium Confessario absenti peccata confiteri sacramentaliter, & ab eodem absente absolutionem obtinere* , à Clem. VIII. per Constitutionem 87. apud Cherubinum, est damnata divisivè , seu quoad singulas partes : quia volebat & absolutionem ab absente acceptam , & confessionem factam absenti in ordine ad absolutionem accipiendam ab absente esse sacramentalem , & sufficere, quorum neutrum verum est. Suar. putavit, Clementem loqui de confessione facta absenti in ordine ad absolutionem à præsente accipiendam; hinc dixit, propositionem illam esse damnatam complexivè , seu propter ultimam partem; sed nunc satis certum est , Clementem locutum esse de confessione facta pro absolutione

tione accipiendâ ab absente. Videri potest La Croix l. 6. p. 2. n. 1156. & n. 1195.

QUÆSTIO V.

An propositiones, sub damnatis contentæ, aut ex iis illatæ, vel ex quibus aliqua damnata infertur, censendæ sint damnatæ?

22. *Si damnetur universalis, non ideo omnis particularis damnatur.*

RESP. 1. Si universalis sit damnata, non sequitur, damnatam esse particularem, sub ea contentam: potest enim universalis esse falsa, & particularis vera, v. g. hæc universalis: Quando in magnis peccatoribus deficit amor, deficit fides, est falsa, & damnata; tamen hæc vera esse potest: In aliquo magno peccatore dum deficit amor, deficit fides. Item falsa est hæc, & damnabilis: Nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, & tamen vera est hæc: Aliquod præceptum Ecclesiæ non obligat sub mortali v. g. non practicandi hanc propositionem: *Comedere, & bibere ob voluptatem non est peccatum.*

23. *Propositio, ex qua infertur damnata, est falsa.*

Resp. 2. Propositio, ex qua evidenter infertur damnata, censenda est falsa, & practicè improbabilis; etsi expresè non sit damnata: quia, cùm juxta Dialecticam ex vero non possit sequi falsum; propositionem, ex qua infertur damnata, adeòque falsa, necesse est, esse falsam. In exemplo damnata est hæc, & falsa: Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, ergo & falsa est hæc, ex qua infertur: Nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali.

Resp. 3.

Resp. 3. Propositio, quæ inferri potest ex damnata, non ideo censenda est damnata, & improbabilis. Ratio est: quia ex falso sequi potest verum, v. g. damnata est hæc: Non tenemur proximum diligere actu interno; tamen nec damnata est, nec improbabilis est hæc: Ergo non tenemur omni momento diligere proximum actu interno. Idem est de aliis ejusmodi. 24. *Non tamen ideò quia ex ea infertur damnata.*

Resp. 4. Propositio, quæ infertur ex contradictoria propositionis damnatæ, est vera, v. g. damnata est hæc: Aliquod festum non est servandum sub mortali, contradictoria est: Omne festum est servandum sub mortali. Ex hac infertur hæc vera: Ergo festum S. Joannis Bapt. servandum est sub mortali. 25. *Illata ex contradictoria damnata vera est.*

QUÆSTIO IV.

Quid de Censuris damnatarum thesium notandum?

CUM ALEX. VII. & Inn. XI. in suis Decretis damnârint referendas propositiones in materia morum, ùt minimùm tanquam scandalosas, & perniciosas in praxi; Alexander autem VIII. alias damnârit, variisque Censuris illas notârit, ùt dixi n. 1. Hinc hæ, priusquam ad illas propositiones descendamus, explicandæ sunt.


Resp. itaque: Censura est nota doctrinæ malæ, inusta propositioni ab iis, ad quos spectat, fidem, & sanam doctrinam tueri. Variæ autem sunt Censuræ, & in diverso gradu: nam 1. Propositio ùt hæretica damnatur, quæ apertè opponitur seu contrariè, seu contradictoriè 26.

veri-

veritati, certò revelatæ ; ſicut ſchiſmatica dicitur , quæ immediatè opponitur unitati Eccleſiæ. 2. Ut erronea notatur, quæ quidem non opponitur immediatè veritati revelatæ ; opponitur tamen concluſioni Theologicæ , deductæ ex præmiſſis , unâ de Fide , alterâ evidente, ùt propoſitio negans Chriſtum Dominum eſſe riſibilem; cùm ſolùm revelatum ſit , eſſe hominem , unde infertur , eſſe riſibilem. 3. Ut ſapiens hæreſin , quæ hominem reddit ſuſpectum de hæreſi : eò quòd propoſitioni, ex præmiſſis de Fide non certò , ſed probabiliſſimè , & juxta communem Theologorum deductæ, opponatur , vel cujus contradictoria non eſt quidem expreſsè definita , ſic tame communiter recipitur in Eccleſia , ac ſi eſſet de Fide. 4. Ut hæreſi proxima , quæ affinitatem habet cum hæretica propoſitione , eò quòd ejus contradictoria à pleriſque habeatur tanquam de Fide , vel evidenter inferatur ex una de Fide , & alterâ indubitatâ. 5. Ut errori proxima , quæ affinitatem habet cum erronea , eò quòd contradicat concluſioni, quæ à pleriſque , non tamen ab omnibus habetur Theologica. 6. Ut ſuſpecta notatur, quæ in rigore Grammatico vera eſſe poteſt , innuere tamen videtur latentem hæreſin. 7. Ut impia , quæ repugnat cultui, Deo , vel Sanctis debito. 8. Ut blaſphema, & injurioſa, quæ continet injuriam contra Deum , vel Sanctos. 9. Ut ſeditioſa, quæ nata eſt concitare tumultum contra Superiores in Eccleſia, vel Republica. 10. Ut ſcandaloſa, quæ & immediatè , & de ſe præbet aliis occaſionem ruinæ ſpiritualis ; ideoque quandoque dicitur pernicioſa in praxi. Antonomaſticè ſcandaloſa

iosa dicitur, quæ præbet occasionem errandi in materia Fidei. 11. Ut piarum aurium offensiva, quæ in materia Religionis præ se fert aliquid, si non falsum, saltem indecens, quo animus Fidelium offenditur: ut si quis diceret: Hodie est festum meretricis, intelligendo Mariam Magdalenam. 12. Ut malè sonans, quæ abutitur vocibus contra communem sensum Fidelium, ut primus, & obvius illius sensus sit hæreticus, alter verò latens sit Catholicus, v. g. si quis diceret, Fidem justificare, Christum esse immensum, esse ubique. 13. Ut temeraria notatur, quæ sine regula rationis profertur. Si habeat contra se rationum momenta gravissima, & pro se nullum, dicitur temeraria positivè; si verò nec pro, nec contra se rationem ullam habeat, dicitur temeraria negativè, ùt, quâ diceres, stellas esse pares numero.





PROPOSITIONES DAMNATÆ a Summis Pontificibus.

Ab Alexandro VII. anno 1665. 24. Sept. & 1666. 18. Martii. Innocentio XI. 1679. 2. Martii. Alexandro VIII. 1690. die 7 Decemb. & 24. Augusti,

Secundùm ordinem Theologiæ Moralis in 4. partes digestæ, & in singulis reprobandæ.

PARS I.

De Actibus humanis, Conscientia, Legibus, Peccatis, & Merito.

PROPOSITIO I.
Damnata ab Alex. VIII. ordine 7.

27. *Errores Baji.* Omnis actio humana deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

PROPOSITIO II.
ab eodem, ordine 8.

Necesse est, Infidelem in omni opere peccare.

PRO-

PROPOSITIO III.
ab eodem, ordine 11.

Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

PROPOSITIO IV.
ab eodem, ordine 9.

Revera peccat, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo respectu ad Deum offensum.

Hæ propositiones omnes descendunt ex damnatis à Pio V. erroribus Baji, qui, ùt notat Ripalda T. 3. d. 22. c. 5. pluribus in locis, præsertim l. de charitate c. 1. & l. 1. de virtutibus impiorum c. 5. & l. 2. de merito docuit, nullam in statu naturæ lapsæ veram infundi virtutem homini præter charitatem; fidem informem propriè virtutem non esse, & nullum dari veræ virtutis actum, qui non procedat à charitate; cùmque omnis amor sit vel Dei, vel creaturæ, omnem amorem, qui non sit Dei propter se, esse vitiosam cupiditatem, & peccatum, ùt patet ex propositione ejus damnata 38. à Pio V. quæ hæc erat: *Omnis amor creaturæ rationabilis aut est vitiosa cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum S. in corde diffusâ, Deus diligitur.* Ex hoc principio Bajus plures alias intulit propositiones ab eodem Smo Pontifice damnatas. Ac primò, non posse

Deum amari amore naturali, uti habet 36 illius propositio. 2. Non posse elici actum bonum viribus naturæ, ùt habet 37. propositio, & aliæ. 3. Omnia opera infidelium, & impiorum esse peccata, ùt habet 28. & 40. damnatæ. 4. Nullum dari opus bonum, si non sit meritorium de condigno æternæ vitæ, ùt habet 54. ejus pariter damnata.

28. *Illata Jansenii* Hinc Jansenius intulit, Deum infidelibus præcipere impossibilia, dum iis præcipit suî dilectionem, eò quòd naturalem elicere non possint, ad supernaturalem necessariò Dei destituantur auxilio. Alii Baji, & Jansenii discipuli ex eodem principio intulerunt relatas jam propositiones; volentes persuadere amorem Dei, qui non sit perfectæ charitatis, esse vitiosum, adeòque omnem actum humanum, ut honestus sit - debere procedere ex motivo perfectæ charitatis supernaturalis, & hinc vitiosam esse detestationem peccati, ex ejus turpitudine, vel gehennæ metu conceptam, vitiosum esse omnem actum humanum objecta honesta prosequentem ob solam honestatem, in iis repertam.

29. *Potest esse actus honestus, etsi ex motivo charitatis non procedat* Ostenditur falsitas tum principii Baji, tum propositionum, quas ejus sequaces ex eo deduxerunt. Imprimis falsum est illud principium. Nam primò repugnat S. Scripturæ, quæ actibus moralibus à justo positis variis in locis promittit vitam æternam, nullâ factâ mentione, quòd debeant procedere ex motivo charitatis Sic Matthæi 25. dicitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à Constitutione mundi; Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ad Hæbr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim*

enim hostiis promeretur Deus. Matthæi 5. Christus beatos dicit pauperes spiritu, mites, misericordes, pacificos, patientes persecutiones propter justitiam, quin requirat, ut hæc omnia fiant ex motivo charitatis; sed proposito præmio, & mercede invitat ad ferendas persecutiones. Apocalyps. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 1ma ad Cor. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut coronam corruptibilem accipiant, nos autem incorruptam.* Ad Coloss. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, non ut hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Ad Hebr. 11. loquens de Moyse Apostolus ait: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in retributionem.* David. Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Matthæi 10. jubet timere nos proposito gehennæ supplicio Christus, dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt, corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* An, dum ad spem præmii, & fugam pœnæ invitamur, excitamur ad actus malos? Quis nisi insipiens ista dicat.

2. Repugnat Concilio Trident. Nam. Sess. 6. Cap. 7. ait: *In justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem,* Quas virtutes etiam Apostolus ad Cor 13. enumerat dicens: *Nunc autem manet Fides, Spes. Charitas tria hæc, major autem horum est Charitas.* Sess. 6. Can. 28. hæc habet: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & Fidem*

semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. Eadem Sess. Cap. 16. ait: *Bene operantibus proponenda est vita æterna... tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Quibus verbis monet Concilium, ut spe præmii excitentur Fideles.

3. Repugnat PP. Nam S. Augustinus in Ps. 120. *Noli*, inquit, *facere bonum opus, nisi propter vitam æternam; ideo fac, & securiùs facies.* In Ps. 14. *Non faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum: ipsa enim est altitudo non quærere hic mercedem, sed sursum.* S. Hieronym. l. 2. Epist. 4. *Ubi non nisi Dei præcepta, & Christi præmia meditantur, voluntas est illic tantùm Dei.* Idem docent alii PP.

4. Repugnat Fidelium sensui, & rationi:

30. *Falsitas primæ propositionis.* nam Fidelibus in mentem non venit, peccare se, si dent eleëmosynam, orent, jejunent, ex motivo honesto, etsi non immediatè ex motivo charitatis. Et recta ratio dictat, honestè, & laudabiliter operari, qui ductu rationis operatur, quod hic & nunc honestum est, uti, si honoret parentes, superioribus præstet obedientiam, si gratus sit benefactoribus pro beneficiis, &c. Hinc falsa est propositio prima: Quis enim dicat, peccare Infidelem, qui ex reverentia erga supremam veritatem captivat intellectum in obsequium Fidei, qui aspirat ad finem suum, confidit Dei promittentis bonitati, misericordiæ, omnipotentiæ, & fidelitati?

31. *Ostenditur præterea* 2dò. 1. Falsa est propositio 2da & 3tia: Quis enim ità deliret, ut dicat, peccare Infidelem, si obtemperet divinis inspirationibus, quibus

bus invitatur ad orandum, & inquirendum instructorem, ad viam salutis; vel deterretur à peccatis. Audiatur Trid. Sess. 6. Can. 7. *Si,* inquit, *quis dixerit: Omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit.* Et ratio à priori est: quia ad actum virtutis naturalis non requiritur, ut procedat ex Fide supernaturali, aliàs in statu puræ naturæ nullus actus honestus potuisset elici, nec requiritur, ut actus explicitè referatur in Deum, sed satis est, quòd prosequatur honestum ex nulla circumstantia vitiatus: hoc ipso enim virtualiter tendit in Deum, imò potest Gentilis naturali cognitione agnoscens Deum, eum amare saltem imperfectè. Unde damnata est hæc Bajana 34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor vitæ, & gratuitus, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Et 3tia. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum illum Apost. ad Romanos 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de Gentibus, Fidem non habentibus,* Et 25. *Omnia Infidelium opera sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Nec juvat Adversarios, quòd quidam Theologi, ùt Vasq. Mæratius, ad Deum diligendum requirant cognitionem congruam ex meritis Christi, etiam in Gentibus: non enim exigunt cognitionem supernaturalem in substantia, sed solùm quoad modum. Nec juvant eos textus quidam Scripturæ, & PP. Nam 1mò, dum dicitur: *Sine Fide impossibile est placere Deo,* intelligitur de complacentia in persona velut amica, & in or-

falsitas propositionis 2dæ & 3tiæ.

dine ad vitam æternam. 2dò, dum dicitur: *Quod non est ex Fide, peccatum est*, sermo est de recta conscientia, ex qua si quis operetur, dicitur procedere bonâ fide. 3tiò, dum dicitur: *Arbor mala non potest bonos fructus facere*, intelligitur de arbore mala, quà tali, sicut, dum dicitur: *Arbor bona non potest malos fructus facere*, intelligitur de bona, quà tali; aliàs justus non posset peccare venialiter. Alii textus Scripturæ & PP. qui ab Adversariis perperam intellecti adferuntur, loquuntur de operibus, quæ ex mala conscientia fiunt, aut ex circumstantia, vel fine vitiantur, v. g. ex vana gloria, cui, quia Philosophi Gentiles inhiabant, eorum opera, quæ apparebant virtutes, vitia à Patribus rectè dicuntur ad virtutem enim, ùt ait Aristoteles, non satis est, quòd fiat justum, sed etiam fieri debet justè: Cæterùm authoritas alicujus sancti Patris non est irrefragabilis, sed cedere debet authoritati Papæ, ex Cathedra loquentis.

32. *Falsitas 4tæ propositionis.* 3tiò. Falsa quoque est propositio IV. Nam claudicat utroque pede: uno, quòd supponat, posse odio haberi peccatum ob suam turpitudinem, & disconvenientiam cum recta ratione sine ullo respectu ad Deum; altero, quòd peccati condemnet, qui odio habet peccatum ob suam turpitudinem: recta enim ratio dictat, etiam rudibus, vel ideo fugiendum esse.

PROPOSITIO V.
Damnata ab Alexandro VII. &c.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Hæc

Hæc Jansenii propositio damnata ùt hæretica ab Innocentio X. anno 1653. cujus Constitutionem postea innovavit Alexander VII. 1656. & Clemens XI. 1705. manifestè repugnat Sacræ Scripturæ : Nam 1ma ad Cor. 7. dicitur: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ.* Eccli. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* 33. *Necessaria libertas activæ indifferentiæ ad demerendum.*

PROPOSITIO VI.
ab Alex. VIII. ord. 1.

In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

Postquam Jansenius Lutherum, & Calvinum negantes in homine post lapsum Adæ liberum arbitrium, secutus, fuit ab Ecclesia condemnatus, ejus asseclæ quidam, non ausi manifestè repugnare definitioni Ecclesiæ, admiserunt quidem voce tenus ad merendum, & demerendum requiri libertatem indifferentiæ, ad demerendum tamen, & ad peccatum formale affirmârunt, sufficere in statu naturæ lapsæ eam activæ indifferentiæ libertatem, quam habuimus in Adamo ad peccandum, & non peccandum, adeòque, sicut Jansenius volebat, peccari per actus necessarios quidem; liberos tamen à coactione, eò quòd libertas indifferentiæ ad actus concupiscentiæ necessarios voluntariè, & liberè à nobis, in Adamo peccantibus, destructa sit; sic illi contendebant ad hoc, ut 34. *Nec sufficit, quòd illa in Adamo peccante fuerit.*

formaliter peccemus, per motus concupiſcentiæ, nunc neceſſarios, ſufficere libertatem in cauſa, nempe quam habuimus in Adamo, ex cujus peccato, moraliter noſtro, nunc motus illi rationis deliberationem prævertunt, eò quòd liberi ſint in cauſa. Ex eodem fundamento perperam dogmatizabant, carentem auxiliis neceſſariis ad vitandum peccatum, formaliter peccare contra legem agendo.

Verùm, quemadmodum doctrina peſtifera
35. *Oſtenditur.* Lutheri, & Calvini à Pio IV. in Concilio Tridentino, doctrina Baji, & Janſenii à Pio V. Innocentio X. ſic hæc doctrina meritò ab Alexandro VIII. damnata eſt. Ac primò quidem: quia repugnat Juſtitiæ Divinæ, & rectæ rationi, eum, qui alienâ voluntate peccavit, fieri peccati perſonalis, æternæque damnationis reum per actus, quos vitare non poteſt, & conſequenter pueros, dormientes & amentes, per motus concupiſcentiæ neceſſarios, inferni mereri ſupplicia. 2dò. Actus ex objecto honeſti, qui ponuntur ſine libertate actuali perſonali activæ indifferentiæ, non ſunt formaliter meritorii; ergo nec ex objecto inhoneſti, ſi ponantur ſine tali libertate, ſunt formaliter demeritorii: nam, ſicut ſine actuali libertate perſonali actus non ſunt imputabiles ad meritum, ſic nec ad demeritum: non enim cenſetur præmio, aut pœnâ dignus, qui ex neceſſitate operatur: his enim præſupponitur neceſſariò condignitas ad laudem, vel vituperium; laude autem vel vituperio dignus non eſt actus, niſi aut debeatur naturæ perfectioni, ut actus neceſſarii voluntatis Divinæ, vel ex libera creaturæ determinatione procedat. Unde, ſicut ad meritum non ſufficit actus neceſſarius, ùt fatentur Adverſarii, ita

ità nec ad demeritum. 3tiò. Repugnat doctrina illa communi Fidelium sensui: nam omnes, etiam pueri censent, se excusabiles esse, si quid egerint sine libertate, & advertentia ad malitiam. 4tò. Peccatum originale tollitur in Baptismo; ergo saltem baptizati non peccant per actus concupiscentiæ necessarios.

Si dicant: Potest tamen quis peccare ponendo causam effectûs mali secuturi. Resp. Potest peccare in causa, ità ut ponenti causam imputetur malitia effectûs prævisi, tunc; quando causam illius ponit, Conc. ut peccet formaliter tunc, quando, jam cessante libertate, effectus sequitur, neg. Sic, qui inebriat se, vel componit se ad somnum, prævidens, se in ebrietate positurum actum malum, vel dormiendo se omissurum Missam die præcepti, peccat formaliter, dum se inebriat. vel componit se ad somnum, eique effectus malus, & omissio Sacri imputatur, non peccat tamen formaliter in ebrietate vel somno: quia deficit libertas. An autem effectus ille sit peccatum denominativè, controvertunt Theologi. Reliqua adversariorum, quæ afferunt, argumenta ex Calvini, & Jansenii penu deprompta, nullius quoque sunt ponderis.

PROPOSITIO VII.
ab Alex. VIII. ord. 2.

Tametsi detur ignorantia invincibilis, juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

Hæc propositio est ejusdem furfuris cum priore, eodemque nititur fundamento, contendens,

dens, quæ fiunt ex ignorantia etiam invincibili contra legem naturæ, esse peccata formalia, si adsit libertas à coactione: eò quòd ignorantia illa sit voluntaria in peccato originali, consequenter, quæ ex illa procedunt, contra legem naturæ esse volita, & libera in causa.

At refellitur 1mò argumentis contra præce-
36. dentem propositionem adductis. 2dò. Per Adversarios inadvertentia, oblivio, ignorantia inculpabilis juris positivi excusat à peccato formali: ergo & ignorantia juris naturæ inculpata: nam oblivio, inadvertentia ad jus positivum oritur ex infirmitate naturæ lapsæ, quæ ortum ducit ex peccato originali. 3tio. Si vera foret ista propositio, sequeretur 1mò, eum, qui invincibiliter putaret esse mentiendum, ut patrem suum à morte eriperet, peccaturum mentiendo, & non mentiendo. 2dò. Peccaturos Superiores, qui suadent, imperant aliquid, contra jus naturæ invincibiliter ignoratum. 3. Peccasse SS. PP. Augustinum, S. Thomam, & alios, qui docuerunt aliqua bona fide contra jus naturæ invincibiliter ignoratum, quæ postea retractârunt. Quæ ex Scriptura, & PP. opponuntur, intelliguntur de ignorantia culpabili.

Ignorantia invincibilis excusat à peccato.

PROPOSITIO VIII.
ab Alex. VII. ord. 27.

Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectum esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

Ostenditur falsitas: ut propositio aliqua
37. censeatur probabilis, niti debet motivo gravi, id

Opinionem pro-

id est, valde inclinante ad assensum, non solùm absolutè, & secundùm se, sed etiam comparativè ad motiva opposita tali; atqui non potest opinio, reperta in libro alicujus junioris & moderni, hoc ipso censeri tali motivo niti, etsi necdum sit rejecta à Sede Apostolica tanquam improbabilis: nam non constat hoc ipso, quòd non reprobetur à communi Doctorum, tanquam improbabilis, adeòque authoritas illius junioris moderni sit alicujus ponderis, & opinionem faciat extrinsecè probabilem, nec constet, quòd motivum, quod affert, sit etiam comparativè grave, ac proinde sit intrinsecè probabilis: constat enim experientia non tantùm, quòd multi sint meri Summistæ, & Collectores, sed etiam, quòd non pauci tum antiqui, tum moderni non semel hallucinati sint: etenim pleræque modò damnatæ propositiones, priusquam Censuram Apostolicam subirent, non unius tum antiqui tum moderni authoritate nitebantur, & tamen communis Doctorum eas jam antè ùt falsas, & improbabiles rejiciebat, quales sunt, quòd delectatio venerea modica, sponte & liberè admissa, non sit mortalis: quòd præceptum jejunandi, & audiendi die festo Missam non obliget sub gravi, & aliæ plures. Ut unius Authoris sententia contra communem sit probabilis, debet esse is omni exceptione major, id est, talis, qui sit valde peritus juris tum naturalis, tum positivi, qui firmis, & validis rationibus soleat conclusiones suas fundare, qui veritatis potiùs, quàm novitatis censeatur amator, demum, qui aliorum fundamenta plenè discusserit, & solidam rationem prò sua afferat, adeò, ut prudenter credi possit, quòd alii viri doctissimi eam, ùt talem, sint agnituri: Ratio horum omnium

babilem non facit Auctor quicunque modernus.

Auctor omni exceptione major.

omnium à priori est, quia in rebus moralibus facilè est aberrare à verò, cum multa falsa sint verisimillima veris. Quòd præcipuè locum habet, si Auctores ad novitates, vel laxitates propendeant, ut idcirco in parœmiam abierit: *Nulla falsitas sine patrono, nulla fœditas sine amatore.*

38. *Solvuntur opposita.* Dices fortassis 1mò. Ex S. Thom. Quodl. 3. a. 10. Potest unusquisque acquiescere opinioni sui Magistri, videlicet pii, & docti. 2. Antequam liber edatur, subit Censuram virorum doctorum, qui censentur, non toleràsse opinionem improbabilem. 3. Indoctis sufficit authoritas sui Parochi, ut licitè operentur, & mysteria Fidei sint sufficienter proposita ad credendum ea Fide Divinâ. 4. Ecclesia deberet reprobare talem opinionem; hoc si non faciat, videtur posse censeri verè probabilis.

Resp. ad 1mum cum Vasq. D. 62. Cap. 2. Id solùm verum est, quando discipulus invincibiliter ignorat, sententiam Magistri sui esse singularem, & contra communem, non verò, si id advertat: tunc enim tenetur, si aptus sit, rationes expendere, aut, si ad id ineptus si, consulere alios doctos. R. 2. Thom. loquitur de quæst. quarum neutra ad fidem vel bonos mores pertinet. Ad 2dum redit eadem responsio: Rudis enim sequi potest sui Parochi instructionem, quamdiù ignorat, esse singularem; tum, quia Parochus authoritate Episcopi approbatus tanquã idoneus meritò censetur posse, & velle suos sanâ doctrinâ imbuere, & pascere, donec prudens dubium, aut fundata suspicio in oppositum occurrat, tum, quia aliàs ex oppidis, & pagis, ubi unicus est Parochus, deberet peregrinari ad indagandam veritatem. Hinc & authoritas ejus, adductis motivis credibilitatis

ad

ad propositionem, quâ inducatur ad credendum mysteria Fidei, sufficit, præsertim, cùm passim audiant eadem doceri ab aliis. Ad 3tium. Censores, quandoque ex oscitantia, vel conniventia leviter pertranseunt expendenda, sæpe non sunt ii, qui valeant opinionum laxitatem taxare, & rationes pro merito expendere. Hinc quandoque probanda improbant, & improbanda probant. Patet id à posteriori: nam libri, in quibus habentur sententiæ nunc reprobatæ, utique habuerunt suos Censores. Ad 4tum. Opiniones laxas non configit Ecclesia, statim, atque libri lucem aspiciunt, quia non mox ejus tribunali offeruntur, & sæpe opus est maturo examine, cùm sæpe verbis implexis virus abscondant. Quare Alexander VII. & Innoc. XI. in suis Decretis monent, non censendas esse approbatas alias opiniones ibi non expressas, etsi Ecclesiæ exhibitæ sint examinandæ.

PROPOSITIO IX.
ab Inn. XI. ord. 3.

Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Exponitur, & refutatur: Vel enim per tò generatim venit, quòd in omni casu & semper, tali opinione ducti, prudenter agamus, id, quod nemo docuit, & apertè falsum est; Vel sensus est, quòd regulariter, scilicet, nisi quid obstet, v. g. conventio, vel periculum gravis damni, & nec hoc sustineri potest: nam imò proposi- 39. *Usus tenuiter probabilis est imprudens.*

tio

tio & hoc ſenſu eſt nimis laxa, cùm difficillimum ſit diſcernere, an opinio cujuſcunque tenuis probabilitatis maneat intra fines veræ probabilitatis. 2dò. Opinio tenuiter probabilis vel eſt illa, quæ eſt dubiæ probabilitatis, ùt vult Cardenas, Diſſert 4. Cap 4. vel quæ nititur motivo gravi quidem ſecundùm ſe, non tamen relatè ad fundamenta oppoſita, atque adeò, quæ fundare poſſit quidem judicium prudens ſpeculativum; At relatè duntaxat ad ſuum fundamentum, non tamen judicium ſimpliciter prudens, & practicum, ùt putant meliùs alii: vel denique eſt opinio tantùm probabiliter probabilis, ùt putant alii non pauci. Si primum, vel ſecundum dicatur, propoſitio non ſubſiſtit: quia non adeſt prudens motivum ſimpliciter tale. Nec videtur ſubſiſtere, ſi dicatur tertium: nam opinio tantùm probabiliter probabilis, ùt tenent multi cum Suarez, Arriaga, carere videtur ſolidâ probabilitate; quia tunc videtur adeſſe prudens formido de fundamenti firmitate, adeoque hoc nutat, & declinat in dubietatem, ſicque impeditur prudens judicium de actionis licentia.

40. *Solvuntur oppoſita.* Dices 1mò. Si Theologus det conſilium ſecundùm probabilem, id tantùm eſt probabiliter probabile, & tamen licet illud ſequi. Idem eſt, ſi medicus ægroto dicat, quòd die feſto non teneatur intereſſe Miſſæ. 2. Cui opinio eſt probabiliter probabilis, habet prudens motivum aſſentiendi immediatè probabilitati, & mediatè objecto; ergo removetur periculum peccati formalis. 3. Saltem in gravi neceſſitate poſſum ſequi opinionem tenuiter probabilem. Reſp. ad 1mum. Theologus, & medicus faciunt evidentiam probabilitatis, quando non eſt prudens moti-

motivum suspicandi de ejus authoritate, peritiâ, & prudentia, aut veritate oppositi, sicut propositio Parochi facit evidentiam credibilitatis mysteriorum Fidei rudibus, ubi non est prudens fundamentum suspicionis de imperitia, vel malitia Parochi. Ad 2dum. Cui opinio tantùm est probabiliter probabilis, etsi prudenter judicare possit de probabilitate opinionis, non tamen de licentia actionis, cùm fundamentum nutet. Ad tertium. Quando utimur in necessitate v.g. Baptismi conferendi opinione tenuiter probabili, non nitimur eâ ùt tali, sed ex necessitate, & periculo salutis accedit motivum verè grave prudenter judicandi, nos certò licitè sic operari, transitque sententia speculativè tenuiter probabilis in practicè certam, quemadmodum econtra potest aliqua opinio esse speculativè probabilis, & esse practicè improbabilis. quia potest considerari secundùm se, & ùt depurata à circumstantiis, à quibus in praxi vel omninò non vel vix potest depurari, & hinc universim debent prohiberi ob periculum proximum errandi in praxi. Tales sunt opiniones de simoniâ, usurâ, vindictâ, luxuriâ, &c.



PROPOSITIO X.
ab Inn. XI. ord. 1.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex; conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

41. *Usus minùs tutæ de valore Sacramenti illicitus.*

Hæc propositio laborat falso supposito, & malè concludit: nam supponit in conferendis Sacramentis, à Baptismo, & ordine Sacerdotali, & Episcopali distinctis, nec lege, nec conventione unquam vetari usum opinionis probabilis de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nec ex eo esse periculum gravis damni incurrendi, & infert, opinione probabili de valore, relictâ tutiore, tunc tantùm utendum non esse, quando confertur Baptismus, & ordo Sacerdotalis, aut Episcopalis. Et hinc falsam esse, facilè apparet: nam conferre Confirmationem, extremam Unctionem, Sacramentum Pœnitentiæ, conficere Eucharistiam sub formâ, vel materiâ dubiâ, vel solùm probabiliter verâ, relictâ tutiore, contrahere matrimonium secundùm tantùm probabilem de valore in dubio facti non tantùm repugnat Charitati, ob periculum gravis damni, & in quibusdam tacitæ conventioni, sed etiam religioni, & reverentiæ Auctori Sacramentorum debitæ.

PROPOSITIO XL.
ab Alex. VIII. ord. 26.

Quando litigantes habent opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

Hæc propositio repugnat non tantùm juri positivo, prohibenti judici munera accipere; sed etiam naturali: nam judex tenetur ex tacito contractu, interveniente in acceptatione officii, sententiam ferre secundùm jura partium: quando itaque jura sunt æqualia, non potest uni adjudicare totam rem, sed tenetur eam, si divisibilis est, in partes æquales dividere; vel, si divisibilis non est, statuere, ut ex conventione partium unus rem, alter dimidio ejus æquivalens habeat, idque non tantùm, quando probationes sunt æquales pro utraque parte, circa factum, sed etiam, ùt habet probabilior, & communior sententia, quando sunt æquales rationes circa jus; jam verò pro sententia ex justitia debita, jure naturali prohibetur judex quid quam admittere: pro pretio enim nihil daret de suo. Deinde illa licentia aperiret viam acceptioni personarum, & oppressioni pauperum, perverteret judicis judicium: spes enim ab uno plus accipiendi inclinaret eum ad judicandum, divitis, aut amici causam esse æquè probabilem, etsi ita non esset.

42. *Ostenditur falsitas.*



PROPOSITIO XII.
ab Inn. XI. ord. 2.

Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

43. *Judex non potest judicare juxta minùs probabilem.* Hæc propositio pariter repugnat juri naturæ: quia scilicet, exigente sic bono communi, tenetur judex ex officio, & tacito contractu justitiam administrare secundùm merita causæ, proinde secundùm dicenda p. 1. n. 103. judicare secundùm sibi probabiliorem. Hinc, si in pluralitate judicum certò sciat, suam opinionem esse probabiliorem, non potest se aliis subjicere, nisi tamen opposita sententia esset usu recepta: hæc enim regulariter censeri debet probabilior: quia consuetudo habet vim abrogandi, vel interpretandi legem, imò & novam inducendi; Si tamen fundamenta intrinseca darent certitudinem, nec talis consuetudo prævaleret. Hæc valent etiam in actibus interlocutoriis, ùt in concedendo termino temporis, in examine testium, &c. Vide p. 1. n. 104.

PROPOSITIO XIII.
ab Alex. VIII. ord. 3.

Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.

44. *Non est obligatio semper sequendi tutiora.* Hunc errorem Synnichius, & alii Jansenii sequaces in medium protulerunt, contendentes, ex præcepto semper eligenda esse tutissima, adeoque non licere unquam, relictâ probabili opi-

opinione pro lege, sequi etiam probabilissimam, faventem libertati ; quia alioquin exponimur periculo peccati, & ignorantia legis naturæ non excusat à peccato. Verùm hic error, uti & cæteri ex Jansenio deprompti, meritò proscriptus est : nam primò licèt consilii sit, nisi aliud obstet, sequi in via salutis, id, quod tutius est, non tamen est præcepti , sed sufficit sequi tuta : obligatio enim semper sequendi tutiora, esset onus humanæ infirmitati importabile, viamque salutis faceret imperviam contra illud Christi Domini : *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Deinde, licèt opinio inter probabiles probabilissima non sit strictè moraliter certa, cùm ad assensum non necessitet; sed maneat intra terminos meræ probabilitatis, tamen fundat judicium certum practicum de honestate actionis, removetque periculum formalis peccati : certum enim est, quòd Deus non imponat hominibus onus excedens eorum vires : aliàs namque abjicerent spem salutis, &, excusso jugo, darent se libertati, & vitiis, ùt advertit S. Th. 2. 2. q. 20. ad 4. inquiens : *Sublatâ spe irrefrœnatè homines labuntur ad vitia, & à bonis laboribus retrahuntur.* Quæ opponi solent, diluentur p. 1. à n. 100. & 107.

PROPOSITIO XIV. ab Alex. VII. ord. 28.

Populus non peccat, etsi sine ulla causa non recipiat legem, à Principe promulgatam.

Exponitur: Opinati sunt Cajet. Valent. Fill. Sa. contra Suar. & alios, acceptationem & consensum populi esse conditionem ad valorem le- 45. *Populus peccat*

sine causa legem non acceptans.

gis civilis essentialiter requisitam, eo quòd lex sub ea conditione, si populus eam acceptet, promulgetur. Hocque valere etiam in lege Ecclesiastica ob præsumptam benignam Ecclesiastici Superioris voluntatem, existimârunt Azor & Becanus apud Viva. Granado & alii putârunt, non peccari, si lex non acceptetur, modò adsit animus obediendi, & legem acceptandi, si legislator non acquiescat, sed legis observationem urgeat. Alii universim censuerunt, populum non peccare, si legem etiam sine causa non acceptet, eò quòd potestas ferendi leges civiles videatur à communitate sic concessâ Principi, ut penes populum sit legem recusare, de legislatore autem Ecclesiastico, licèt ejus potestas non sit à populo, præsumatur, quòd aliter nolit obligare.

At contra est: In Superiore tam civili, quàm Ecclesiastico residet potestas condendi leges independenter à populi consensu, & acceptatione obligantes, & de facto sic feruntur leges. Ratio 1mæ partis est, tum, quia aliàs Princeps non esset Superior, nec populus subditus, sed posset Princeps tantùm ex conventione cum populo obligare; tum quia, si Princeps non posset ferre leges obligatorias independenter à consensu, & acceptatione populi, non esset satis prospectum bono communi, sed populus jugum excuteret, recusaretque leges Reipublicæ humanæ admodum utiles, imò necessarias. Sunt quidem Reges, qui leges ferre non possunt, nisi in comitiis, in quibus Proceres deputati cum Rege condunt leges, quas tamen conditas, & promulgatas tenetur populus, si justæ, & rationabiles sunt, acceptare. Pars 2da constat notitiâ facti: nam Principes cogunt populum ad legis promulgatæ observationem. Quodque aliquando

quando ſequatur aliqua perturbatio, per accidens eſt, nec propter aliquos inquietos Princeps curam boni communis omittere debet. Hinc patet, falſum eſſe, quòd populus non peccet, ſi ſine cauſa legem non recipiat, à Principe promulgatam.

PROPOSITIO XV.
ab Alex. VII. ord. 36.

Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concilium Tridentinum.

Exponitur: Decreta, quibus Privilegia Regularium à Tridentino expreſsè revocantur, ſunt. Primum ex Seſſ. 5. Cap. 2. de Reformatione, ut non ſint exempti à juriſdictione Epiſcopi, ſed poſſit contra eos etiam Concionatores poteſtate Apoſtolicâ procedere, ſi errores, vel ſcandala ſeminent. 2dum. Ut Regulares, extra clauſtra ſua degentes, non poſſint prædicare ſine licentia Epiſcopi, ùt habetur in fine citati Cap. 3tium. Seſſ. 14. Cap. 11. Ut Regulares extra obedientiam ſuorum Superiorum degere non ſinantur. 4tum. In Seſſ. 22. Ne Epiſcopi ſive Sæcularibus, ſive Regularibus permittant, quæ ſunt contra debitum cultum, ac ritum in celebrandis Miſſis: ùt ſunt nimis avaræ exactiones ſtipendiorum, & eleëmoſynarum, facultas, ut Miſſæ celebrentur à vagis, ignotis, notoriè criminoſis Sacerdotibus, vel extra Templa, vel Oratoria ſacra, ad id munus deſtinata, extra conſuetas horas, laſciva muſica, ritus ſuperſtitioſi, & à præſcriptis alieni. Sic habetur

46. *Privilegia expreſſè revocata.*

Seſſ. citatâ in decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ. 5tum. ex Seſſ. 23. Cap. 10. Ne Abbates extra Diœceſin ſuam, vel aliis, quàm ſuis Regularibus Tonſuram, vel Ordines minores conferant. 6tum. Ex eadem Seſſ. Cap. 12. Ne ulli etiam Regularium ante inchoatum 22. annum ætatis Subdiaconatûs, vel ante 23. Diaconatûs, vel ante 25. Presbyteratûs, vel ſine prævio examine, ſi opus fuerit, conferatur. Quibus revocatur privilegium Minorum, qui poterant 22. anno ad Presbyteratum promoveri, quod per communicationem participabant alii Regulares. 7mum. Ex eadem Seſſ. Cap. 13. Ut nemini etiam Regulari duo ſacri Ordines eodem die conferantur, imò nec Diaconatus ſine conſenſu, ab Epiſcopo priùs impetrato, ante integrum annum à ſuſcepto Subdiaconatu elapſum. 8vum. Ex eadem Seſſ. Cap. 15. Nemo, etiam Regularis, Sæcularium confeſſiones audiat, niſi ab Epiſcopo, præmiſſo, ſi opus fuerit, examine ſit approbatus. 9num. Ex Seſſ. 25. Cap. 11. de Reformatione: Bona Eccleſiæ nec liceat, nec valeant elocare pro recepta ſolutione anticipata, ne ſucceſſoribus præjudicetur, ſi anteceſſores eorum illam præripuerint. 10mum. Ex ead. Seſſ. de Reform. Cap. 13. Ut penſio, *Quarta funeralis* dicta, per 40. annos Eccleſiæ Cathedrali, vel Parochiali ſoluta eidem reſtituatur, ſi ex quocunque Privilegio ad Regulares ſit translata. Denique Seſſ. 25. Cap. 22 de Regularib. ſtatuitur, ut omnia decreta illius Seſſionis per viginti duo capita facta, ab omnibus Regularibus conſerventur; non obſtantibus quibuscunque Privilegiis Regularium. Unde Privilegia iis contraria ſunt expreſsè revocata. Hac revocatione non obſtante, putârunt aliqui cum Henriq. L. 6. Cap. 10.

47. *Fisuti non licet*

L. B.

L. B. Rodriq. Tr. 2. q. 8. a. 9. Velaſco, Sa, & aliis, poſſe Regulares privilegiis illis, à Tridentino expreſsè revocatis, uti in foro conſcientiæ. Hanc opinionem reprobavit Pontifex tanquam ſcandaloſam, utpote aptam generare diſſenſiones inter Epiſcopos, & Regulares, ob quam cauſam, juxta communiſſimam, iis uti non licebat pro foro externo; proinde, ſicut Trid. eorum uſum pro foro externo prohibuit, ità & pro interno: ubi enim eſt eadem ratio, eadem eſt legis diſpoſitio. Nec rationes adverſæ partis momenti alicujus ſunt, uti videre eſt apud Viva hîc, Illſung & alios paſſim. Atque hæc valent etiam in locis, in quibus Trid. fortè non eſt promulgatum, quia uſus talium privilegiorum ubique eſt ſcandaloſus, proin ſatis eſt, quòd prohibitio innoteſcat.

Cæterùm, cùm propoſitionis proſcriptio tantùm loquatur de privilegiis per Trid. expreſsè revocatis, dubium manet, an privilegia Regularium, ante Trid. conceſſa, quæ quidem adverſantur alicui ejus decreto, ſed nec expreſsè ſunt revocata, nec adjecta eſt illis clauſula derogatoria, cenſeantur revocata, ideoque illis uti non liceat in foro etiam conſcientiæ. Affirmant Peyrin, Viva, & alii. Negant Rodriq. Suar. L. 8. de II. Cap. 18. n. 18. Reiffenſtuel, Schmaltzgruber, & alii. Quorum Ratio eſt 1mò, quia nulla lex, conſtitutio, vel decretum, quamvis generaliter latum, derogat particularibus locorum, aut perſonarum ſtatutis, conſuetudinibus, aut privilegiis, niſi hoc exprimat: nam hæc probabiliter Legislator ignorare poteſt. Cap. *Licet 1mò de Conſtit. in 6.* Unde, quando in conceſſione, vel reſtitutione privilegii dicitur: *Dummodo ſacris Canonibus, & Decretis Concilii Trid. non adverſentur*, intelligitur de Canonibus, & De-

48. *Secus eſt de non revocatis expreſsè.*

cretis ejusdem tantùm, quibus adjecta est clausula derogatoria. 2dò. In aliquibus Tridentini Decretis additur clausula derogatoria, in aliis non additur; frustra autem in quibusdam adderetur, si omnia etiam, quibus non additur, revocaret privilegia, & consuetudines illis contrarias. 3tiò. Juxta ferè omnes, & ipsos etiam Adversarios Trid. per sua Decreta, quibus clausula non est annexa derogatoria, non derogat specialibus statutis, aut consuetudinibus locorum, vel personarum, ergo nec privilegiis, quæ extra Corpus Juris habentur: nam de utriusque eadem est ratio; ergo & eadem Juris dispositio, nisi aliud exprimatur. 4tò. Si vera esset sententia opposita, Trid. sustulisset omnia Regularium privilegia, quia omnia sunt contra Jus commune, & Canones concessa; Canones autem, omnesque leges Ecclesiasticas Trid: jubet observari ab omnibus, ùt patet ex Sess. citata 25. Quòd autem Trid. non sustulerit omnia Regularium privilegia, patet ex eadem Sess. Cap. 20. sub finem dicente: *In cæteris omnibus præfatorum ordinum* (Regularium) *privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa.* 5tò. Consuetudo est optima legum interpres; viget autem consuetudo, ut Regulares utantur suis privilegiis, etiam iis, quæ adversantur decretis Tridentini, sine clausula derogatoria positis, & expressè non sunt revocata.

49. *Solvuntur opposita.* Dices. Trid. Sess. 25. Cap. 22. quod est ultimum Sessionis illius, præcipit, omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari, non obstantibus quibuscunque privilegiis, sub quibuscunque verborum formis conceptis; ergo censentur revocata privilegia, quæ decreto cuicunque repugnant. R. N. C. loquitur Trident. de

de decretis, non superiorum Sessionum, aliàs id expressisset, sed Sessionis 25. Unde per verba: *Non obstantibus privilegiis, &c.* non intendit supplere clausulas derogatorias omissas in superioribus Sessionibus, sed tantùm omissas in decretis ultimæ Sessionis, in qua, cùm per 22. capita multa statuisset adversus privilegia Regularium, tandem concludit: *Hæc omnia in superioribus decretis contenta observari sancta Synodus præcipit, non obstantibus, &c.* ubi, cùm non exprimat superiores Sessiones, revocatio privilegiorum utpote odiosa benignè interpretanda est; cùm, qui potuit jus clariùs dicere, & non dixit, contra eum fiat interpretatio.

Inst. Pius IV. confirmans Decreta Concilii Trid. per Bullam, quæ incipit: *In Principis Apostolorum Sede*, omnia, & singula etiam Regularium quorumcunque privilegia sub quibuscunque formulis concepta, & ex quacunque causa concessa universaliter, & indistinctè revocat, & annullat in omnibus, & singulis, in quibus illa statutis, & decretis Tridentini repugnant; ergo omnia censenda sunt revocata.

Resp. N. C. Etiam Pius IV. revocat tantùm privilegia Regularium, decretis clausulâ derogatoriâ affectis contraria: nam Bulla illa tantùm est confirmatoria Constitutionum Tridentini; Bullæ autem confirmatoriæ non extendunt se ultra id, quod confirmant, sed intelligi debent juxta sensum ejus, quod confirmant ità, ut recipere debeant easdem extensiones, & limitationes, quas habet id, quod confirmatur. Proinde, licèt Pius IV. suppleat formulas, alioquin pro revocatione præscriptas, non derogat tamen privilegiis, nisi quibus derogavit Tridentinum.

PRO-

PROPOSITIO XVI. ab Alex. VII. ord. 44.

Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.

Docuerunt Sayri, Innoc. Covarr. Suspensionem cessare, si cesset contumacia, & offeratur satisfactio. Similiter existimavit Covarr. excommunicatum, *donec satisfaciat, donec resipiscat;* conditione impletâ, ab excommunicatione in foro externo solutum esse. Idem plures docuerunt de interdicto. Hinc Navarr. D. Anton. Henriq. Sa putârunt, excommunicatum, si per contritionem redeat ad statum gratiæ, posse esse participem suffragiorum Ecclesiæ. Ità Viva in hanc propositionem.

50. *Censura est per absolutionem tollenda.*

Sed hi, aliquid humani passi, aberrârunt à mente Sedis Apostolicæ, ex qua Censuræ feruntur in tempus indeterminatum, & durant, donec censuratus absolvatur: sicut enim censuratio est actus jurisdictionis, ità & absolutio ab illa procedere debet à jurisdictione: actus enim legitimi, id est, qui debent esse absoluti, & non suspensi valoris, conditionem non recipiunt juxta regulam Juris 77. in 6. Et quamvis Censura in fieri pendeat à perseverante contumaciâ velut causâ, propter quam, non tamen in conservari, uti colligitur ex capite *quâ fronte de appell.* & Cap. *cùm desideres de sent. excom.* Et meritò ità statutum est; tum quia, quod legitimâ potestate ligatur, ab eadem dissolvi debet; tum quia, licèt cessante contumaciâ satisfactum sit, debito obedientiæ erga Ecclesiam, non tamen

debito

debito pœnæ donec ab Ecclesia obtineatur absolutio.

Hinc 1mò. Si quis suspendatur, vel excommunicetur, donec restituat, vel resipiscat, sensus est, absolvendum non esse à Censura, nisi positâ restitutione, vel resipiscentiâ, adeoque hâc positâ, adhuc indiget absolutione, licèt enim iis positis cesset Censura, quatenus medicina est, non tamen, quatenus pœna est, nisi per absolutionem: sicut enim inobediens contumax fuit Ecclesiæ visibiliter, ità eidem debet se visibiliter subjicere, ut absolvatur. 51. *Corollaria.*

2dò. Suspensio ad tempus determinatum v. g. ad tres menses propriè Censura non est, sed pœna vindicativa: Censura enim, cùm sit pœna medicinalis, positâ emendatione ante lapsum determinati temporis tollenda foret.

3tiò. Si feratur Censura sub conditione, donec restituat, velitque censuratum tum absolutum esse, non existit eâ liber præcisè ex posita conditione, sed per absolutionem simul datam sub conditione, quâ positâ, absolutio conditionata transit in absolutam. Vid. p. 1. n. 306.

PROPOSITIO XVII. ab Alex. VII. ord. 45.

Libri prohibiti (*donec expurgentur*) possunt retineri, usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Indicem librorum prohibitorum Pius IV. juxta Decretum Concilii Trid. Sess. 25. Cap. 21. de reform. primùm curavit confici, postea verò alii Pontifices Sixtus V. Clemens VIII. continuârunt, maximè Alexander VII. cui etiam posteriores 52. *Index librorũ prohibitorum*

steriores usque ad hæc tempora solent novos apponere. Libri hujus indicis sunt in triplici Classe: In prima sunt libri ab Hæreticis conscripti, qui tractant de Religione, v. g. de Ecclesia, Mysteriis Fidei, Sanctis, bonis moribus, peccatis, Sacramentis, Theologiâ, qui orationes, vel hæresin continent. Hi libri prohibiti sunt in detestationem auctorum hæreticorum, & ob periculum perversionis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Pontifici reservatæ per Bullam Cœnæ, quam pœnam incurrunt non tantùm scienter, & quoad partem notabilem legentes ejusmodi libros, sed etiam retinentes, imprimentes, vendentes, defendentes. In 2da Classe sunt libri tum hæresiarcharum, qui de Religione non tractant, nec hæresin continent, tum Catholicorum, qui damnati sunt propter doctrinam suspectam de hæresi, falsam, scandalosam, bonis moribus repugnantem, superstitiosam, obscœnam, magicam, &c Tales libri hæresiarcharum, uti & Catholicorum, qui ob suspicionem hæresis, vel falsi dogmatis damnantur, prohibentur solùm sub excommunicatione lata, non reservatâ, ùt habetur in Regula decima Indicis; qui verò damnantur ex alio capite v g. propter obscœnitates, offensiones vitandas, & scandala, &c. solùm prohibentur sub peccato gravi citra excommunicationem, ùt in eadem regula habetur. In tertia Classe sunt libri, ob doctrinam Religioni, vel bonis moribus contrariam damnati, quorum auctores latent, ità ut nesciatur, hæreticine sint, an alii. Hi libri sæpè sunt pessimi, & maximè effrontes, qui, si de Religione non tractent, nec ex professo hæresin propinent, non prohibentur, nisi sub peccato, &, si hæresin ex professo tradant, sub excommunicatione non reservata.

Qui

Qui ad secundam Classem pertinent, non raro prohibentur sub hac clausula: *Donec expurgentur, vel corrigantur*; & hos libros posse retineri, donec corrigantur, fuit opinio quorundam apud Viva, quia lex videtur cessare, dum non est periculum perversionis, nec scandalum, aut aliud malum timendum; ubi autem adest animus procurandi correctionem, videntur mala illa cessare.

Verùm hanc opinionem prohibuit cura animarum Apostolica, tum ut avertatur periculum infectionis, tum ut plectatur libri incautus auctor, aliique reddantur in scribendo cautiores. Nec subsistit ratio adducta; quia lex non respicit casus particulares, sed communiter contingentes, fundaturque in communi periculo; sic non licet sine proclamationibus contrahere matrimonium, etsi constet, nullum subesse impedimentum; non licet viro probo ingredi claustra monialium, ex fine instructionis in spiritu, quamvis constaret, nullum esse periculum, aut scandalum timendum, nec licet fornicatio, etsi constaret, nullum esse periculum prolis malè educandæ. Idem est de aliis ejusmodi, bono communi sic exigente, ne facilè homines sibi fingant casus, in quibus se lege exemptos opinentur, & se à communitate difformantes, leges passim violent. Aliud est, si finis legis cesset, respectu alicujus communitatis, aut lata sit directè in bonum personæ particularis, ùt lex fraternæ correctionis, quæ non obligat, dum non est spes fructûs. Vide P. 1. n. 201. 53. *Oppositum tenendum*

Notandum tamen, non omnia circa libros prædictos statuta vigere æqualiter ubique: nam 1mò in Germania Index librorum quoad 2dam, & 3tiam Classem; nisi fortè libri ex professo hæ- 54. *Non omnia in his sta-*

resin

resin tradant, juxta Pichler, Layman L. 2. Tr. 1. Cap. 15. sub n. 8. & alios non est receptus, quod fortassis verum esse ait Engel L. 5. Tr. 7. sub n. 9. quoad pœnam excommunicationis, non verò quoad peccatum ex periculo perversionis, &c. Pariter non est receptus quoad libros à Catholicis conscriptos, & in indicem relatos, propter unam, alteramve doctrinam, quam continent, non satis conformem Theologiæ, sacris Canonibus, Constitutionibus Pontificum, aut, quia in certa materia excedunt, de qua tractare non licet, ùt sunt v. g. Manuale Regularium Franc. Pellizarii, Privilegia Regularium Brunonis, Chassacini, Collectanea Augustini Barbosæ, &c. nam, licèt tales libri reperiantur in indice, passim tamen retinentur, & leguntur. Reiffenstuell L. V. Tit. VII. n. 119. apud quem videre licet plura de hoc indice.

Juxta vigent ubique æqualiter.

2dò. Pro Germania excipiuntur libri Philosophici, Juridici, Politici, & plerique Historici ab Hæreticis conscripti, quibus quidem hinc inde quandoque hæresis inspargitur, non tamen ex professo traditur, nec dedita opera (quod tamen fecerunt Sleidanus, Munsterus, & Aventinus Historici) in contemptum, & vilipensionem Religionis Catholicæ, & hæresis commendationem sunt vulgati: hos enim libros aut Bulla Cœnæ non comprehendit, ùt vult Reiffenstuell n. 51. & seqq. vel quoad hos libros non est recepta, ùt declarat consuetudo, quod tenet Laym. & alii plerique Germani post ipsum. Et hos libros sine scrupulo retineri, & legi, timoratorum praxis notoria ostendit. Id, quod à fortiori valet de libris Hæreticorum, qui nec tractant de Religione, nec ullam continent hæresin, licèt aliàs à Pio IV. horum librorum lectio sub excommunica-

tione

ctione reſervata fuerit prohibita. Verùm, quamvis libri illi ab Hæreticis ſcripti nunc non cenſeantur in Germania Jure Eccleſiaſtico ſub pœna prohibiti, facilè tamen nocere poſſunt, maximè incautis, & imperitis, ac imprimis juventuti: tum quia illis falſa immiſcent, & probroſa in vilipenſionem Pontificis, ſtatûs Eccleſiaſtici, Conciliorum, &c. laudabilia diſſimulant, ſuos commendant, Catholicorum doctrinam, & ritus per ludibrium tractant. Atque ità minuitur Fidei Catholicæ æſtimatio, & paulatim ad indifferentiſmum deflectitur. Hinc ejusmodi legere multis vetat Jus naturale. Idem dicendum de libris Judæorum, Paganorum, & antiquorum Hæreticorum, quorum hæreſis jam eſt extincta, licèt ab Eccleſia non ſint prohibiti.

3tiò. In Germania retinentur in loco clauſo domûs Religioſæ libri hæretici vel ex privilegio, vel ob licentiam aliquibus datam, aut dandam ; ùt, ubi hæretici ſunt refutandi, vel erroris convincendi legi valeant; id quod fieri non poſſet, ſi libros aſſervare non liceret. v. p. 1. n. 287.



PROPOSITIO XVIII.
ab Alex. VIII. extra ord.

Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt actus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale, diſſolvens amicitiam Dei, neque pœnâ æternâ dignum.

Hæc propoſitio ex Theſibus quibuſdam à
55. *Expoſitio.* Profeſſore Divionenſi publicè propoſitis anno 1686. paucis, inquit Viva, per invidiam immutatis concinnata & delata fuit: nec enim ſcripta, nec Theſis propoſita ſenſum habebat, quem hæc damnata. Profeſſor diſertè loquebatur ex ſuppoſito, quòd omnimoda, & invincibilis Dei ignorantia daretur in eo qui peccat, & in hoc caſu aſſerebat, Deum non offendi peccato, quod præcisè rationi repugnaret, id, quod & multi graves Auctores, negantes tamen, caſum eſſe poſſibilem, docuerunt cum S. Thoma 2. 2. q. 20. a. 3. ubi ait: *Si poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile abſque averſione à Deo quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale.* Et hoc ſenſu tantùm hypothetico quidam etiam de ſocietate Profeſſores id ipſum docuerunt ſemper abſolutè rejicientes poſſibilitatem moralem peccati purè Philoſophici.

Hâc

Hâc sententiâ illæsâ, Pontifex relatam propositionem prohibuit doceri, defendere, edere, in praxin deducere, de ea disputare, privatim tractare, nisi fortè impugnando, in virtute sanctæ obedientiæ sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ Sanctæ Sedi reservatæ. Et damnavit tanquam scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam. Est autem primò scandalosa: quia præbet ansam ruinæ spiritualis, ùt scilicet, qui œstro passionis perciti agunt contra rectam rationem de Deo signanter non cogitantes, persuadeant sibi, se non peccâsse, & ita perseverent in peccatis, ea putent non confitenda, nec pœnitentiâ esse eluenda. 2dò. Est temeraria; quia non distinguens inter ignorantiam, & inadvertentiam culpabilem, & inculpabilem, exercitam, & reflexam, nullo fundamento solido, ùt jacet, & absolutè accepta, nititur, repugnatque communissimæ PP. & TT. sententiæ. 3tiò. Est piarum aurium offensiva, quia non tantùm malè sonat, sed etiam aliquid indignum profert in materia Religionis, ex quo animus pietati, & doctrinæ Catholicæ addictus offenditur. 4tò Est erronea; quia repugnat conclusioni deductæ ex præmissis, unâ de Fide, & alterâ naturaliter cognitâ: de Fide enim est, reum esse odii divini, & gehennæ, qui graviter Deum offendit, naturaliter autem apertissimè cognoscitur, quòd Deum offendat, qui agit aliquid gravitur repugnans naturæ rationali, & rectæ rationi: nam fieri non potest, ut cognoscens aliquid naturæ rationali, & rectæ rationi repugnans, non cognoscat illud repugnare alicui supremo legislatori: attingitur enim ùt illicitum, adeoque ùt prohibitum lege alicujus Superioris,

56. *Censura, & confutatio.*

qui id prohibere poteſt, qui, cùm ſit Deus, attingitur ùt prohibitum ab eo cognito, ſaltem ſub ratione alicujus ſupremi legislatoris, qui punire poſſit. Id, quod indicat remorſus conſcientiæ poſt perpetratum peccatum. Proinde peccatum Philoſophicum, ſeu repugnans rectæ rationi (ſecundùm quam Philoſophi morales in Ethica peccatum conſiderant, adeoque Philoſophicum appellatur) ſimul eſt Theologicum, & offenſa Dei, ſique grave ſit, gehennâ dignum. Atque hinc patet falſitas confixæ propoſitionis. Cæterùm non damnatur prima pars de definitione peccati Philoſophici & Theologici, ſed altera ſubjuncta.

PROPOSITIO XIX.
ab Innoc. XI. ord. 62.

Occaſio proxima peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

PROPOSITIO XX.
ab Eodem, ord. 63.

57. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

Occaſio peccati proxima vitanda

PROPOSITIO XXI.
ab Alex. VII. ord. 41.

Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis

utilis esset, ad oblectamentum concubinarii, *vulgò regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægrè vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

PROPOSITIO XXII.
ab Inn. XI. ord. 61.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Has propositiones falsas esse patebit facilè cuique eas expendenti: nam occasio proxima est circumstantia, quæ juncta cum præsenti hominis dispositione per se est inductiva peccati, ita ut ordinariè, & ùt plurimùm cum eo conjungatur; talem autem occasionem velle, quærere, non fugere, ei se ingerere, est velle peccatum: nam ùt rectè Suar. Tom. 5. in 3. p. disp. 18. s. 3. n. 16. In moralibus ejusdem malitiæ est se constituere voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & illud committere. Neque talis excusatur, nisi adsit impotentia Physica, aut moralis humanis viribus vix superabilis fugiendi occasionem illam, atque in hoc casu adhibeat media efficacia contra lapsum, coneturque sedulò per ea ex occasione proxima facere remotam; unde, ut licitè quis in ea permaneat, non sufficit causa aliqua utilis, aut honesta, multò minùs, ut eam

58. *Ostenditur.*

licitè quærat. Nec poteſt concubinarius retinere concubinam, quia nimis utilis eſt, &c. Nec, qui occaſionem proximam, quam poteſt, & non vult deſerere, aut eam ex propoſito quærit, vel ei ſe ingerit, abſolvi, utpote indiſpoſitus, & in actuali peccato formali exiſtens. Vide p. 1. n. 362. Neo-Confeſ. n. 169. & ſeqq.



PARS II.

De Gratia, Virtutibus Theologicis, & Moralibus.

DE GRATIA ET FIDE.

PROPOSITIO I.
ab Alex. VIII. ord. 4.

Dedit (*Chriſtus*) ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

Lutherus, & Calvinus negârunt, Juſtificationem etiam temporaneam, ac alia dona ſupernaturalia reprobis conferri ex meritis Chriſti, adeoque Chriſtum ſe ullatenus obtuliſſe pro reprobis.

Janſenius verò l. 3. cap. 21. Coll. 386. conceſſit quidem, ex meritis Chriſti multa beneficia ſupernaturalia reprobis in hac vita conferri, atque adeò quoad hæc Chriſtum pro reprobis mortuum eſſe, non tamen pro æterna eorum ſalute. Adver-

Adversùs utramque hanc hæresin stat inconcussa veritas Evangelica : nam 1. ad Tim. 2. dicitur : *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Ibidem : *Unus mediator Dei , & hominum Christus Jesus , qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis.* 2dæ ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est , ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* ad Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum.* 1mâ Joannis c. 2. *Ipse propitiatio pro peccatis nostris , non pro nostris autem tantùm , sed etiam pro totius mundi.* 1. ad Tim. 4. *Qui est Salvator omnium maximè Fidelium* ; quia nempe Fideles magis participant fructum Passionis ejus , & Christus affectu majore pro electis , quàm pro reprobis mortuus est , id, quod solùm evincunt loca Scripturæ , & dicta PP. quæ magno numero coacervant Janseniani. 59. *Christus se obtulit pro omnino omnibus*

PROPOSITIO II.
ab Eod. Ord. 5.

Pagani, Judæi , Hæretici , & alii hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum , atque adeo hinc rectè inferes , in illis esse voluntatem nudam ; & inermem sine omni gratia sufficiente.

Hanc propositionem Jansenii sequaces ex priori intulerunt ; verùm uti illa, ità & hæc falsa est : nam primò , Deus vult omnes homines salvos fieri ; nullus autem in hac Dei providentia salvari potest, nisi per gratiam Christi : neque enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus , in quo oporteat nos salvos fieri ; non esset 60. *A quo etiam Pagani influxum habent.*

autem ſincera illa Dei voluntas, niſi Pagani, Judæi, &c. aliquem quandoque haberent à Chriſto influxum gratiæ. 2dò. Joannis 1. dicitur de Chriſto: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Matthæi 1. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* Quæ invitatio omnes ſpectat. Sapientiæ 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes: diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* 3tiò. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut omnes haberent media, ſaltem ſufficientia ad ſalutem; ergo Deus per Chriſtum voluit omnium ſalutem; ergo dat ſaltem aliquando, per eum auxilia gratiæ excitantis, ut poſſint pervenire ad ſtatum gratiæ & ſalutem.

61. *Soluta oppoſita.* Dicunt 1mò. Infideles non ſunt membra Chriſti; ergo non habent influxum à Chriſto. 2. Aug. de verbis Apoſtoli cap. 11. ait: *Pagani non habent gratiam Dei per Dominum Jeſum Chriſtum.* L. de gratia, & libero arbitrio cap. 3. *Gratia, quam commendat Apoſtolus per fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides.* 3. Infidelitas negativa non eſt peccatum in Infidelibus, ùt conſtat ex propoſitione Baji 68. damnatâ à Pio V. ergo non habent gratiam. 4. Juxta Trid. Seſſ. 6. cap. 8. Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix Juſtificationis; ergo ante Fidem, quâ carent Infideles, non datur gratia.

Reſp. His non evincitur quidquam. Non 1mo: quia, licèt Infideles non ſint actu membra Chriſti, ſunt tamen potentia, & ut actu membra fiant, ideo excitantur per gratiam Chriſti. Non 2do: nam primo textu loquitur Auguſt. de gra-

gratia resurgendi per Christum ad gloriam, quæ Paganis non conceditur. In 2do negat, illis dari gratiam Fidei, quâ fiant oves Christi. Nec 3tiò: nam Infidelitas negativa peccatum non est in Infidelibus; quia, licèt iis data sit gratia excitans ad agnoscendum Deum, & legem naturalem servandam, nondum tamen sufficiens proximè ad Mysteria Fidei credenda. Et hinc Infidelitas negativa dicitur carentia Fidei in subjecto necdum apto; seu in eo, qui necdum credere potuit ob defectum instructionis. Nec 4tò: nam ex Tridentino Fides est initium salutis velut prima gratia & dispositio proximè disponens ad justificationem, non prima disponens remotè: unde Clemens Papa XI. damnavit hanc 26. Quesnelli: *Nulla dantur gratiæ, nisi per Fidem.* Et 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* An autem gratia, quam accipiunt Gentiles, sit entitativè supernaturalis, an solùm quoad modum, quod multi contendunt cum Molina in Concordia, disp. 40. ad art. 12. & 13. An entitativê supernaturalis, quod tenent cum Tannero, Aldrete alii plurimi, ad præsentem quæstionem non facit.

PROPOSITIO III.
ab Eod. Ord. 6.

Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sicut proinde meritò petere possimus, à gratia sufficiente: Libera nos Domine.

Lutherus, & Calvinus, rejectâ gratiâ purè sufficienti, quæ det posse agere, sed non agere, admiserunt tantùm gratiam ab intrinseco efficacem, 62. *Gratia purè.*

sufficiens secundùm se beneficium est.

cacem, & necessitantem in statu naturæ lapsæ. His consentit Jansenius, qui, etsi fassus sit, gratiæ externæ prædicationis Evangelii posse humanam voluntatem resistere; negavit tamen, gratiæ internæ unquam resisti. Quæ propositio ejus damnata est ùt hæretica. Ejus sectatores, etsi non audeant negare, ne habeantur hæretici, gratiam purè sufficientem in statu naturæ lapsæ dari, non dubitârunt tamen asserere, illam nobis non solùm inutilem, sed etiam perniciosam esse, adeoque petendum esse à Deo, ut à gratia sufficiente velut à pestifera lue liberemur. 1mò. Quia quilibet prudens mallet carere gratiâ purè sufficiente: prævidens enim se post gratias sufficientes damnandum, mallet libertate, & vitâ privari. 2dò. Gratia purè sufficiens datur in pœnam peccati antecedentis; ergo beneficium non est. 3tiò. Necessitas moralis ad peccandum, stante libertate Physicâ, pœna est, non beneficium, quia infallibiliter connectitur cum operatione libera mala, ergo à pari. Ità Jansenii sectatores; sed cæci sunt, & duces cæcorum, hinc unà in foveam cadunt: nam, si duo, quæ gratia purè sufficiens importat, distinxissent, & pretiosum separâssent à vili, vidissent in ea rationem beneficii. Primum namque, quod importat, est entitas supernaturalis, quâ Deus ex benevola voluntate, & amore salutis hominem constituit in actu primo libero ad rectè operandum, desiderans bonum ejus usum; alterum est carentia bonæ operationis, seu dissensus liber creaturæ. Primum ingens beneficium est, quo homo elevatur ad operandum supra naturæ vires, cui non detrahit, quòd is, quam Deus reliquit in manu consilii sui, non cooperetur, sicut, quòd Angeli lapsi, & Adam

Adam gratiæ non ſint cooperati, non deſinit ea eſſe beneficium, ùt fateri coguntur iſti gratiæ inimici. Et verè, an non magnum beneficium eſt in ordine naturali ſanos habere oculos, ſeu potentiam proximè expeditam ad videndum? An deſinit eſſe beneficium, ſi homo palpebras claudat, & non videat? An non ingens beneficium eſt SS. Euchariſtia, quâ, utì Tridentinum loquitur, Redemptor noſter divitias ſui erga homines amoris velut effudit? Et tamen mors eſt malis, vita bonis, & judicium ſibi manducat, quia manducat indignè. Alterum, nempe diſſenſus, beneficium equidem non eſt, ſed à mala hominis voluntate provenit. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Oſeæ 13. Nec difficilis reſponſio ad opposita.

Ad 1mum. Prudens mallet carere gratiâ ſufficiente non ſecundùm entitatem ſuam, ſed in quantum importat malam operationem, mallet quoque potius libertate, & vitâ privari, quàm beneficio abuti, & peccare, ſed non ideo abeſt ratio beneficii, etſi prævideatur diſſenſus, ſicut qui præviderer, ſe cras lapſurum in mortale peccatum, prudenter optaret hodie mori, nec tamen prorogatio vitæ in craſtinum deficeret à ratione beneficii, quia lapſus à libera procederet voluntate ejus; neque enim Deus deſinit eſſe beneficus, quia homo malus eſt. Et hinc patet, cur gratia ſufficiens Judæ data fuerit beneficium, etſi dicente Chriſto: *Melius ei fuiſſet, ſi natus non fuiſſet,* hoc enim ex prava ejus voluntate fuit. 63. *Solvuntur opposita.*

Ad 2dum. Quamvis in pœnam peccati antecedentis ſæpe negetur gratia uberior, nunquam tamen negatur omnis gratia ſufficiens, nec gra-

tia inefficax datur, quia talis, ſeu animo, ut ſequatur culpa, aut ita, ut, ſi prævideretur efficax, danda eſſet alia, ſed animo ſincero, ut homo poſſit operari ad ſalutem ſuam, ſique Deus quandoque lapſum permittat ſecundùm ordinem providentiæ ſuæ, non permittit, ut lapſus æternùm pereat, ſed ut videns paupertatem ſuam ſeſe humiliet, convertatur, & vivat; ipſe, aliique diſcant cautè ambulare in via mandatorum ejus, &c. Unde, licèt permiſſio peccati quandoque fiat in pœnam antecedentis peccati, collatio tamen gratiæ pœna non eſt, ſed beneficium, etſi minus, quàm collatio gratiæ efficacis; ſicut ſi Rex Petro daret 100. daturus mille, ſi non deliquiſſet, erga eum adhuc, licèt minùs, eſſet beneficus. Et verò, ſi collatio gratiæ ſufficientis pœna foret; ergo, ſi Deus homini per Baptiſmum juſtificato, & ab omni reatu pœnæ liberato daret primum auxilium gratiæ inefficax, puniret innocentem, quod abſit cogitare.

Ad 3tium Neg. conſeq. Quia gratia nulla ex ſe connexionem habet cum peccato, ſecus neceſſitas moralis ſimpliciter dicta, quæ pœna eſſe poteſt; non quidem à Deo intenta, ſed permiſſa; prudenterque petimus ab ea liberari, quia præter ſufficientiam Phyſicam ad bene operandum importat connexionem moraliter inevitabilem cum peccato, unde beneficium non eſt; neque ut culpam involvit, neque ſecundùm ſe, cùm ſit impotentia ſimpliciter dicta, & ex ſe connexa cum peccato, licèt adſit potentia bene operandi Phyſica; ſi tamen ab hujus conſtitutivis ſejungas tenuem illam gratiam, quâ homo fit phyſicè potens bene operari, eſt beneficium Dei, etſi minus, quàm gratia uberior, vel efficax.

Si di-

Si dicas: Rex prævidens, Petrum in ſuî internecionem abuſurum gladio, hunc illi dando non eſſet beneficus; ergo nec Deus dando homini gratiam cum præviſione mali usûs.

R. Tranſeat antecedens, N. conſeq. Deus dando gratiam ſufficientem, dat auxilium neceſſarium, & ſufficiens ad lapſum vitandum, vitamque ſpiritualem conſervandam, aut acquirendam, proinde beneficus eſt, non obſtante, quòd lapſum prævideat: neque enim tenetur peccata impedire, ſed poteſt juſtis de cauſis ea permittere, v. g. ut bonum ex iis eliciat, parcendo ſuam omnipotentiam, & miſericordiam, puniendo, ſi peccator nolit reſipiſcere, juſtitiam in bonum aliorum oſtendat, atque manifeſtet. Secus eſt de Rege, qui, niſi adſit juſta cauſa permittendi, tenetur ſuorum ſubditorum peccata impedire, unde beneficus non eſſet in dicto caſu dando gladium Petro, qualis tamen foret, ſi eum Petro petenti daret, tunc quando ipſi neceſſarius eſſet ad ſuî defenſionem juſtam, haberetque juſtam abuſum permittendi cauſam. Atque hinc patet, quare dixerim: Tranſeat Antecedens.

Ex dictis ſequitur, poſſe nos à Deo petere gratias uberiores, & efficaces, ſufficientesque, quatenus auxilium important, non verò, ut conjunctas habent culpas, ſed ut ſua gratia diſſenſum impediat.

PROPOSITIO IV.
ab Inn. XI. ord. 19.

Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſe ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rátionum ad aſſenſum impellentium.

PRO-

PROPOSITIO V.
ab Inn. XI. ord. 20.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habuit supernaturalem.

64. *Expositio.* HÆ Theses publicè propugnatæ sunt Antverpiæ Præside P. Arnoldo Marchant Minoritâ, ùt testatur Sandæus apud Viva. Earum assertores admiserunt quidem, quòd præeunte Judicio credibilitatis de Fidei honestate, ac necessitate voluntas adjuvetur, ut firmiter assensum imperet, adeoque efficere possit, ut assensus sit firmior firmitate affectivâ, & extrinsecâ, non verò firmitate adhæsionis, & intrinsecâ, quàm pondus mereatur rationum extrinsecarum, ad eum impellentium, quales sunt authoritas humana Ecclesiæ, vel Parochi, Mysteria Fidei proponentis, miracula, prophetiæ, sanctitas doctrinæ, consensus Doctorum, aliaque credibilitatis signa, cumque ex prima intulerint, posse prudenter assensum Fidei supernaturalem præhabitum repudiari, videntur sensisse sufficere ad actum Fidei eliciendum. Judicium credibilitatis solùm probabile, & cum formidine, ne non sit locutus Deus, saltem radicali conjunctum; alioquin enim id ineptè intulissent.

65. *Assensus fidei metaphysicè infallibilis.* Verùm ostenditur utriusque propositionis falsitas. Prior falsa est: nam 1mò. Voluntas ex pia, & humili affectione erga primam veritatem revelantem potest captivare intellectum in obsequium Fidei ex toto corde procedentis, quod si faciat, præsto est Deus, ut influat vel per se, vel mediante habitu infuso in actum Fidei supernaturalem

turalem firmissimum, cui ex Tridentino falsum subesse non potest; atque ita efficit, ut actus Fidei in se sit adhæsivè firmior, quàm mereantur motiva credibilitatis, utpote metaphysicè connexus cum objecti crediti veritate. 2dò. In obscuris voluntas suo imperio subjectum habet intellectum, & potest efficere, ut assentiatur, vel non assentiatur, ut assentiatur magis vel minùs firmiter, ergo potest efficere, ut actus Fidei in se sit firmior, quàm mereantur motiva illa extrinseca. 3tiò. Actus Fidei debet esse supernaturalis, & metaphysicè infallibilis; atqui talis non erit, si voluntas non possit efficere, ut in se sit firmior, quàm mereatur pondus rationum, ad eum impellentium: nam non sic est infallibilis quia antecedentem habet firmitatem affectivam, cùm ea possit esse in actibus falsis Hæreticorum, nec sic infallibilis est ex motivis impellentibus, quia hæc non merentur summam infallibilitatem metaphysice incompossibilem cum falsitate; sequitur ergo, quòd infallibilis sit à voluntate applicante intellectum ita, ut habitus supernaturalis influat in actum.

Secunda quoque falsa est: nam actus Fidei supernaturalis non potest tendere nisi in objectum certò verum, propositumque tanquam evidenter credibile propter testimonium Dei, sic propositum, ut de hoc non sit prudenti formidini locus; talis actus autem prudenter repudiari non potest, saltem stantibus motivis credibilitatis, contra quæ si quid occurreret, contemnendum esset, aut, si rudis à Pastore instructus credidisset, & postea audiret dubitari ab aliis de illius revelatione, deberet inquirere, quæ sit mens Ecclesiæ universalis. Si doctrinæ illius falsæ Auctores existimârint, judicium 66. *Irrepudiabilis.*

credi-

credibilitatis posse esse opinativum tantùm, & formidolosum, ideoque assensum Fidei supernaturalis semel præstitum posse repudiari, & falso antecedente intulerunt falsum consequens, si autem requisiverunt judicium credibilitatis moraliter certum, cui prudens suspicio subesse non possit de facta revelatione, ex antecedente vero intulerunt consequentiam falsam.

PROPOSITIO VI.
ab Inn. XI. ord. 21.

Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.

67. *Non stat cum formidine de revelatione.* Hanc propositionem; quam docuerunt aliqui Neoterici, falsam esse colligitur ex jam dictis. Nam 1mò. Actus Fidei debet esse firmissimus, ita ut semel habitus repudiari non possit prudenter, posset autem prudenter repudiari, si posset stare cum notitia solùm probabili revelationis, quia possent occurrere rationes validiores in oppositum. 2dò. Ex Tridentino Sess. 6. cap. 9. nemo Fide divinâ, cui falsum subesse non potest, potest credere, se esse in gratia Dei; atqui si sufficeret sola probabilis notitia revelationis, aut stare posset Fidei assensus cum formidine, ne non sit locutus Deus, posset quis credere, se esse in gratia Dei: nam de Fide est ritè absolutum vel perfectè contritum, esse in gratia; potest autem quis habere moralem quandam, etsi conjunctam cum formidine quadam, certitudinem, se esse ritè absolutum

vel

vel contritum, si nempe sæpe sit confessus diversis Confessariis, sæpe elicuerit sinceram, perfectamque contritionem. 3tiò. Cùm de Fide sit, dari gratiam efficacem, posset Thomista, probabiliter existimans, eam consistere in prædeterminatione physica, hanc Fide divinâ credere: hoc autem nemo dicit, quia Fides divina debet esse actus firmissimus, ita ut motivum suum appretiet super omnia, & prudenter repudiari non possit. Et hinc stare non potest cum formidine etiam radicali de revelatione. Et credi non potest Fide divinâ, sub hac numero hostia Christum esse præsentem, quia formidari potest, an minister sit ritè ordinatus, an legitimè pronuntiaverit formam, &c. adorari tamen prudenter potest, & debet, quia ad actum virtutis moralis sufficit judicium practicum prudens.

PROPOSITIO VII.
ab Inn. XI. ord. 4.

Ab infidelitate excusabitur Infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili.

Hæc opinio fuit Joannis Sanchez disp. 19. n. 9 existimantis, semper prudenter agere, qui sequitur opinionem probabilem.

At. Contra est 1mò. Usus opinionis solùm probabilis minùs tutæ est illicitus, quando agitur de necessariis necessitate medii ad salutem, qualis est Fides vera, quia, si opinio illa fallat, non obtinetur finis, ad quem tendendi est obligatio gravis. 2dò. Cui solùm probabile est, Religionem, quam sequitur, esse veram, tenetur inqui- 68. *Opinio probabilis non excusat ab infidelitate.*

inquirere, alioquin error ejus culpabilis est: quare, licèt non teneatur statim credere, quandò Religio opposita est illi tantùm probabilior, cùm credere necdum possit Fide divinâ, ab infidelitate tamen non excusabitur, si in veritatem, quæ inveniri potest, non inquirat. 3tiò. Infidelis talis non potest habere inculpabiliter veram constanter probabilitatem de sua secta: si enim, quando duplex secta opposita videtur ei probabilis, adest gratia Dei, qui omnes vult salvos fieri, excitans animum ad observandam legem naturæ, & Deum orandum, ut ad agnoscendam veram Religionem det gratiam, hoc si faciat, Deus suâ illustratione non deerit.

PROPOSITIO VIII.

ab Alex VIII. ord. 29.

Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

69. *Papa est supra Concilium universale.* Exponitur, & refellitur. Docuerunt olim quidam etiam Catholici cum Gersone, Cameracensi, Almaino, Adriano, Pontificem extra Concilium in decernendis quæstionibus Fidei non esse infallibilem. nec supra Concilium universale. His accedunt hodiedum nonnulli suis opinionibus nimium adhærentes; qui contendunt, Pontificem extra Concilium non habere assistentiam Spiritûs sancti, Ecclesiæ promissam, esse quidem Superiorem singulorum, non verò totius Ecclesiæ, eò quòd ab ea per Concilium generale, quo Ecclesia tota repræsentatur, deponi

poni justis de causis possit; verùm quantum à vero aberrent, constat ex dictis in Prodromo, ubi sat luculenter ostensum est, Summum Pontificem in decernendis quæstionibus Fidei, & morum per assistentiam Spiritûs sancti infallibilem esse, dum ex Cathedra loquitur, nulli verò Concilio sine Pontifice id competere, ex quo patet, eum supereminere Conciliis universalibus, velut Magistrum, & Doctorem universalem totius Ecclesiæ. Nam, 1. ùt dixi ibidem, Christus Matthæi 16. dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quibus verbis, sic exigente recto regimine, promisit supra Petrum, ejusque Successores, fundandam esse Eccesiam, eumque & successores fore illius visibile Caput in terris, & Doctores universales, quod constat ex ejusdem Domini nostri verbis dicentis Joannis ultimo ad Petrum: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* His enim verbis commisit Petro curam pascendi salutari doctrinâ non tantùm agnos, qui non pariunt; sed etiam oves, id est, Episcopos, quorum est spirituales filios gignere, adeoque totam Ecclesiam ei commisit pascendam.

Atque supremam hanc potestatem exercuit Petrus in electione Mathiæ Act. 1. in decisione controversiæ de legalibus Act. 15. Siquidem in Concilio primus omnium tanquam Caput sententiam dixit. Nec obstat, quòd Act. 8. Apostoli eum cum Joanne miserint in Samariam: nam non miserunt cum imperio, sed consilio, & suasione, sicut Consiliarii dicuntur Regem ad bellum mittere, quando ex eorum consilio ad id proficiscitur.

2dò. Idem docent Concilia, inter quæ Late-

ranense sub Leone X. hæc habet : *Etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam super omnia Concilia authoritatem habentem, & Conciliorum indicendorum, & transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, & dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propriâ eorundem Conciliorum confessione manifestè constat.* Florentinum verò sic definit : *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum esse successorem Beati Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse*, quemadmodum etiam Oecumenicorum Concilii, decretis & sacris Canonibus continetur. Idem docuerunt alia Concilia, ùt Lugdunense XI. Lateran. IV. & alia apud Nicolaum du Bois q. 7omà. p. 327. Si ergo ista Concilia universalia cum Papa infallibilia sunt, à nullo Catholico negari potest, Pontificis authoritatem eminere supra Concilia etiam universalia. 3tiò. Concilia, ùt Ecclesiasticæ passim testantur historiæ, tum particularia tum universalia suæ doctrinæ, & decretorum confirmationem petierunt à Summo Pontifice, quæque ab hoc approbata fuêre, ab Ecclesia universali recepta sunt, non verò reliqua. 4tò. Si Pontifex non esset universalis Ecclesiæ Caput, & supra Concilia, non foret immediatus Christi Vicarius, consequens falsum esse constat ex dictis.

Vide

Vide Nicolaum du Bois l. c. Atque ex his patet, assertionem, quâ dicitur Summus Pontifex esse supra Concilium Oecumenicum, solidam, & inconcussam esse, & meritò dici à Suar. & Bellarmino Fidei proximam: sicut & est assertio de infallibilitate ejusdem in quæstionibus Fidei decernendis.

Opponunt Adversarii 1mò. Concil. Constantiense Sess. 4. & 5. definivit oppositum. Resp. Concilium illud, quando hoc decretum concepit, non erat universale, nec authoritate Pontificis congregatum: tres enim tunc erant Pontifices, & quis esset legitimè electus, non satis constabat: unde vel solùm definivit, Concilium esse supra Pontificem, quando de vero Pontifice non constat, vel contra Concilium Florentinum definiendo erravit, uti potest Concilium, præsertim particulare, sine Pontifice. Cardinalis Sfondratus in Regali Sacerdotio l. 2. §. 2. n. 13. & §. 16. n. 1. Ostendit, quòd Concilium illud, quoties extollit Concilium supra Pontificem, semper restringat ad Concilium tempore schismatis grassantis, & incerti Papæ. Neque Martinus V. postea electus Pontifex Concilium illud, quoad id decretum approbavit. 70. *Opposita deluuntur.*

Opponunt. 2dò. Ex præcepto Christi, si Pontifex peccârit, denuntiandus est Ecclesiæ, juxta illud Christi Matthæi 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c. Resp. Denuntiandus est Ecclesiæ denuntiatione charitatis, Trans. Jurisdictionis, Neg. Correctio Pontificis non est actus jurisdictionis, sed charitatis: hinc Pontifex, si nollet audire monitionem, non esset denuntiandus Concilio, quod in illo textu non venit nomine Ecclesiæ, sed Prælatus, qui jubetur immorigerum ferire

excommunicatione; quæ in Pontificem non cadit, cùm non sit potestas coërcitiva supra ipsum. Neque sequitur, sic Ecclesiæ non esse satis provisum: nam si Pontifex laberetur in hæresin apertam, quod Deus non permittet, excideret Pontificatu, quia hic fundatur in Fide, ex primo ad Colossenses. Si per simoniam esset electus, de ea convictus declararetur illegitimè electus, nisi eligentium alia fuisset intentio, aut ratificaretur electio. Si laberetur in alia crimina publica, præsto esset oratio universalis Ecclesiæ, & speciale Spiritûs S. auxilium, admonitio moderata per Reges, & Principes, per Confessarium, &c. ob hæc tamen deponi non posset, quia perseverante Fide maneret in corpore mystico Christi, & electio non corrueret.

Si dicant extra casum hæresis: in Concilio Constantiensi tres Pontifices fuerunt depositi scilicet Gregorius XII. Benedictus XIII. aliàs Petrus à Luna, Joannes XXIII. & electus est Martinus V. Dein in Concilio Sinuessano depositus est Marcellinus. Resp. Nullus ex tribus illis fuit indubitatus Pontifex, sed ob schisma electiones erant dubiæ, sique Joannes XXIII. fuit verus Pontifex, quod aliqui putant, pro pace Ecclesiæ sponte cessit Pontificatu. Historiam de Marcellino aliqui vocant in dubium; si vera est, vel sponte cessit Pontificatu, aut tantùm abstinuit ab officio, donec Martyr obiit: nam postquam tormentis victus, thus idolo, ùt fertur, adolevisset, contulit se Sinuessam, stitit se PP. Concilii pœnitens, qui ei dixerunt: *Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio; prima Sedes non judicabitur à quoquam.*

3tiò opponunt: Ecclesia habet Jus citandi, & examinandi Pontificem, si labatur in hæresin mani-

manifestam, ex Cap. *Si Papa.* Dist. 40. Ergo est supra Pontificem. Resp. Habet Jus fundatum in vera jurisdictione eum citandi, quamdiu manet verus Pontifex, Neg. ant. Jus fundatum in lege naturali permittente justam defensionem contra injustum invasorem, & pastorem degenerantem in lupum Trans. Multi negant, Pontificem posse labi in hæresin ex illo Christi: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Si tamen labi contingeret, Concilium, sicut ei jurisdictionem non dedit, sic nec eâ ipsum directè privare posset, sed tantùm ponere conditionem declarando ipsum hæreticum, quâ positâ à Christo, privaretur potestate traditâ.

4tò opponunt: A Pontifice datur appellatio ad Concilium, ut constat ex S. Aug. Epist. 162. aliisque exemplis variis apud Duvallium. Resp. Datur appellatio à Pontifice ad Concilium tanquam superioris potestatis, Neg. à Pontifice malè informato ad meliùs informandum in quæstionibus meri facti, Conc. Sed hæc non est propriè dicta appellatio, nec derogat authoritati Pontificis. De hac S. Aug. illaque exempla loquuntur. Atque ex his, & dictis in Prodromo intelligitur, quid sit sentiendum de propositione quarta sub Ludovico XIV. cum aliis tribus apud La Croix l. 4. n. 1402. à Clero Gallicano producta, & recepta, & ex mandato Regis docenda, quâ dicitur, in Fidei quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Vide La Croix l. cit. & n. 1397. de Jure Regaliæ in Gallia.

PROPOSITIO IX.
ab Alex. VIII. ord. 30.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

71. *Augustini sententia cedit Pontificis decreto.* Hæc propositio ex Baji, & Jansenii sectatorum penu producta est : postquam enim Bajus, & Jansenius à Sede Apostolica erroris condemnati sunt, clamare ausi sunt doctrinam Baji, & Jansenii doctrinam esse S. Augustini : hunc esse irrefragabilem Doctorem : proinde si inveniatur doctrina in eo clarè fundata, eam teneri, & doceri posse, non respiciendo ad ullam Summi Pontificis Bullam ; verùm sicut à mente Augustini eorum Antesignani, sic ipsi à veritate longè aberrârunt. Magna quidem meritò habetur authoritas S. Augustini, præsertim in materia de gratia, sed non irrefragabilis, nisi muniatur authoritate Vicarii Christi. Huic in discernenda vera doctrina à falsa promissa est assistentia infallibilis Spiritûs sancti, uti ex dictis liquet, non alicui alteri sancto Patri, nec S. Augustino, utpote qui junior non semel aliquid humani passus est, ùt constat ex ejus Confessione in libris Retractationum, qui scripsit multa disputativè contra sui temporis hæreticos, multa satis obscura, ita, ut non sit facile, ubique ejus mentem assequi, nisi spectetur scopus librorum, & textus obscuri exponantur conformiter claris, id quod & in aliis PP. faciendum est. Sanctus Doctor eâ fuit humilitate, ut, cùm confutaret hæreticos, sub-

submisse frequenter recurrerit ad Sedem Apostolicam, exspectans ab ea decisionem, ùt testantur Historiæ Ecclesiasticæ apud P. Ludovicum du Mesnil & alios, si ejus, suâ falsâ opinione, sectatores in eo fuissent ipsum imitati, & ad mentem Judicis Controversiarum eum exposuissent, non tam turpiter prolapsi essent. Audiatur S. Doctor l. de dono perseverantiæ cap. 21. *Neminem velim sic amplecti mea omnia, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare, perspexerit: nam propterea nunc facio libros, quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus secutum esse demonstrem.* Et in Epistola 8. ad Hieron. relatus dist. 9. c. 4. ait: *Negare non possum, nec debeo. sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in meis tam multis opusculis, quæ possint, justo judicio, & nulla temeritate damnari. Unde dixit Abulensis* defens. p. 2. c. 18. *Non est ergo necesse nobis, quæcunque Augustinus scripsit, credere, constat, quod Augustinus cum scriberet, in multis erravit. Et c. 85. de Augustino constat, quod potuerit errare, & in multis erravit, quorum quædam ipse retractavit, alia verò non potuit retractare;* quia morte præventus. Hæc refero, non quod magni S. Doctoris authoritati quidquam detractum velim, sed ut ubi textus aliquos ambiguos in eo legerimus, eos aut ad mentem Ecclesiæ exponamus, aut si sic exponi nequeant, definitioni Ecclesiæ postponemus. Ejus authoritatem, sicut fecit ipse humiliter.



PROPOSITIO X.
ab Alex. VIII. ord. 31.

Bulla Urbani VIII. (*In Eminenti*) est subreptitia.

72. *Jansenistarum calumnia.* Exponitur: postquam Pius V. anno 1567. & Gregorius XIII. anno 1579. damnâssent doctrinam Baji, in lucem dedit Jansenius Episcopus Iprensis librum, cui titulus: *Augustinus*, in quo cùm continerentur propositiones in Bajo damnatæ, Urbanus VIII. anno 1641. innovavit, confirmavitque Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. librumque Jansenii condemnavit. Hujus asseclæ non ausi Pontificis authoritatem in decernendis quæstionibus Fidei infallibilem negare, eam inierunt viam, ut dicerent, Bullam Urbani esse subreptitiam, hoc est, dolo extortam à Jesuitis per expositionem falsi: falsum enim esse, quòd in Jansenii libro, cui titulus: *Augustinus*, multæ damnatæ propositiones continerentur; alii, ut & Bajum notâ inustâ liberarent, Bullam Urbani subreptitiam dixerunt, eò quòd nec Bajus propositiones damnatas insensu damnando docuerit, nec in libro Jansenii propositiones illæ Baji in sensu damnato contineantur, nec per hoc arbitrati sunt se detrahere infallibilitati Pontif. in quæstionibus fidei dirimendis, eò quòd, an propositiones illæ in tali sensu in eorum libris contineantur, sit quæstio facti, in qua Pontifex non sit infallibilis; non contineri autem in Jansenii libro propositiones in sensu damnato, eò quòd non tradiderit, quid tenendum sit in Ecclesia, sed quid Augustinus tenendum asseruerit, hujus verò do-

ctrinam ab Ecclesia haberi tanquam propriam.

At verò imprimis falsum est, Urbani Bullam esse subreptitiam, vel ab ignaro Pontifice editam, & in hoc errare potuisse : nam Pontifex in quæstionibus facti connexis cum quæstionibus juris, qualis est, an in libris Baji, & Jansenii contineantur propositiones in sensu damnando, & damnato, est infallibilis; si enim in tali quæstione errare posset, etiam posset errare in quæstione juris, ùt ostensum est in Prodromo. Jam verò, si confirmâsset Bullas Antecessorum suorum, vel damnâsset librum Jansenii tanquam continentem doctrinam Baji damnatam falsis informationibus deceptus, erraret in quæstione facti connexa cum errore juris. 73. *Ostenditur falsitas.*

2dò. Falsum est, Augustini omnem doctrinam haberi ab Ecclesia tanquam propriam, & irrefragabilem, ùt supra est ostensum : unde, si propositio aliqua ex damnatis legatur in Augustino, ùt, dum dicit, ante Fidem non dari actus virtutis; quòd regnet carnalis cupiditas, ubi non est charitas, est explicanda, ùt supra dictum ; quod si non posset, cedere debet decisioni Ecclesiæ.

3tiò. Falsum est, à Jesuitis Bullam Urbani esse dolo extortam : nemo enim Catholicus credere potest, Pontificem in ejusmodi decidendis, utpote Spiritûs S. assistentiâ munitum, nihilque definire solitum, nisi re diligenter examinatâ, posse dolo circumveniri, aut importunitate vinci. Dein propositiones Baji Sorbona damnavit anno 1560. Facultas Theologica Lovaniensis instanter exoravit, ut Gregorius XIII. Bullam Pii V. confirmaret; Antistites Galliæ 85. rogârunt Innoc. X. ut Jansenii propositiones ad interclu-

tercludenda Jansenistarum effugia, censurâ singulis propriâ damnaret.

74. *Occasio cavillationis Jansenistarum.* Jansenistarum querelis, & cavillationibus occasionem dedit omissio unius commatis in missa ad Bajum Pii V. Bulla, quæ in fine sic habebat: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint* (hìc comma omissum fuit) *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, ùt hæreticas, erroneas, &c. damnamus.* Hinc jactabant aliqui Baji discipuli, etiam post Bullam posse sententias in proprio sensu sustineri, & quòd nulla esset determinatè damnata; & quia in impressione Romana additum erat comma, querebantur, Bullam esse adulteratam, cùmque Urbanus VIII. Bullam Pii V. & Gregorii XIII. confirmâsset addito commate post *To possint*, ortâ novâ contentione Bajani nomine Universitatis Lovaniensis Commissarios miserunt Romam, qui de vitiata Bulla apud Urbanum conquererentur; sed Urbanus produxit ex Archivio Bullam: *In Eminenti*, cui inserta erant verba Pii V. cum commate, & transcriptum cum commate consignari fecit cum mandato, ut Exemplari fides haberetur, utì refert Theodorus Eleutherius in Historia Controversiarum de Auxiliis l. 6. cap. 25. Hinc non nisi temerè, & impiè dici potest, Bullam illam Urbani esse subreptitiam. La Croix ait, relatis propositionibus Baji in initio Tomi primi, discipulos Baji vitiâsse interpunctionem, sed Viva testatur, fuisse omissam in Exemplari misso ad Bajum.

* * *

PRO-

PROPOSITIO XI.
ab Inn. XI. ord. 22.

Non nisi Fides unius Dei necessaria esse videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

Exponitur: Arr. d. 12. de Fide s. 2. Leander à Ssmo Sacramento, Caramuel, & nonnulli alii teste Vivâ existimârunt, ordinariè quidem necessariam esse ad justificationem Infidelis Fidem explicitam Dei, ùt remuneratoris; non tamen in omni casu, utì, si Infidelis laboraret ignorantiâ invincibili Dei, ùt remuneratoris; at hæc opinio videtur subjacere damnationi, tum quia nemo docuit, non esse ùt plurimùm necessariam Fidem illam; proinde nullius opinionem damnâsset Pontifex, si opinio asserens non requiri eam pro omni casu, maneret intacta; tum quia S. Paulus ad Hebr. c. 11. expresè requirit hanc Fidem, aitque, impossibile esse sine ea placere Deo, tum denique, quia sine Fide Dei remuneratoris non potest esse spes, sine spe autem Infidelis justificari non potest: nam Trid. Sess. 6. cap. 7. dicit: *Hanc Fidem ante Baptismi Sacramentum petunt Catechumeni ab Ecclesia ex Apostolorum traditione, cùm Fidem petunt vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate Fides præstare non potest.* Vide p. 2. num. 33.

75. *Fides explicita remuneratorio necessaria.*



PROPOSITIO XII.
ab Inn. XI. ord. 23.

Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

76. *Non sufficit Fides latè dicta.*

Exponitur, & refellitur. Existimavit Vega, eum, qui ignorat inculpabiliter veritates Evangelicas, posse prælucente cognitione Dei, & turpitudinis peccati haustâ ex creaturis sine Fide strictâ quæ Dei testimonio innititur, pervenire ad justificationis gratiam; verùm hæc opinio meritò est reprobata: nam 1. teste Apostolo ad Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo*; verba autem Scripturæ in sensu proprio, adeoque de Fide propriè, & strictè dicta, qualis non est cognitio Dei ex creaturis hausta, sunt intelligenda. 2dò. Fides est sperandarum substantia rerum, ac imprimis visionis beatificæ, ùt constat ex contextu verborum Apostoli loco citato; Fides autem latè dicta, seu cognitio Dei ex creaturis hausta non potest assurgere ad attingendam visionem Dei in se supernaturalem; ergo Fides latè dicta non sufficit ad spem, quæ ad charitatem, adeoque ad justificationem Infidelis requiritur. 3tiò. Ex Trid. Sess. 6. cap. 7. Baptismus est Sacramentum Fidei, *sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Et cap. 8. *Fides est initium salutis, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Verba autem Concilii in sensu proprio sunt accipienda. Vide p. 2. n. 23. 24. &c.

PROPOSITIO XIII.
ab Inn. XI. ord. 16.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

PROPOSITIO XIV.
ab Alex, VII. ord. 1.

Homo nullo unquam tempore vitæ suæ tenetur elicere actum Fidei, Spei, & charitatis vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

77. Actus Fidei, spei charitatis sæpius eliciendi vi præcepti, proprii singulis.

Expositio. Quamvis nemo negaverit, per accidens esse obligationem sæpe eliciendi actum Fidei, utì, si gravis tentatio aliter superari non possit, si suscipiatur Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ; attamen esse ad id obligationem per se, & vi præcepti specialis, negant Sancius, Serra, Bannetz apud Viva, eò quòd obligatio non sit astruenda, nisi de ea constet, videaturque præceptum per se non obligare, nisi determinet tempus obligationis. Idemque dicendum opinati sunt de actu spei, & charitatis.

Ast, quàm longè aberrârint à vero, facilè patet expendenti; nam 1mò recta ratio dictat, absonum esse, hominem nunquam, aut rarò admodum, & non nisi per accidens se convertere ad Deum finem suum unicum, & ultimum, credendo, quæ ipse dignatus est in salutem ejus revelare, desiderando, cum fiducia in misericordia Dei, remissionem peccatorum, vitam æternam, & media ad illam necessaria, prosequendo Deum amore benevolo ob infinitam

ejus bonitatem. 2dò. Lege naturali tenetur homo Deum colere secundùm vires, & mensuram gratiæ, cultu supremæ ejus excellentiæ condigno; cultus autem ille exhiberi non potest, nisi per actus Fidei, Spei, & Charitatis; imò, ùt rectè Suaretz, sine his non est homo aptus servare mandata Dei, & ducere vitam homine Christiano dignam: *Justus enim ex Fide vivit*, teste Apostolo ad Rom. 1. 3tiò. Est quidam contemptus, & enormis ingratitudo habitibus Theologicis infusis rarò, aut ferè nunquam in honorem, & gloriam largitoris uti, sed eos velut in sudario reponere, & instar servi nequam, quasi in terra thesaurum illum abscondere.

PROPOSITIO XV.
ab Innoc. XI. ord. 64.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

PROPOSITIO XVI.
ab Inn. XI. ord. 65.

Sufficit, illa Mysteria semel credidisse.

PROPOSITIO XVII.
ab Inn. XI. ord. 17.

Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.

Osten-

Ostenditur falsitas: imprimis falsa est prima illa thesis: nam certum est, quòd absolutionis non sit capax, qui ignorat Mysteria Fidei, scitu necessaria necessitate medii, quia sine Fide illorum homo nequit habere actus ad absolutionem necessarios; deinde probabile est, quòd Fides Sanctissimæ Trinitatis; & Incarnationis Domini post promulgationem Evangelii sit necessaria necessitate medii; ergo ea ignorans etiam inculpabiliter, non potest absolvi, saltem extra casum necessitatis extremæ, quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Unde ignorans illa Mysteria seu culpabiliter, seu inculpabiliter priùs instruendus est. 78. *Ostenditur falsitas.*

2dò. Falsa est thesis 2da: nam si homo Christianus secundùm dicta teneatur in vita sæpius elicere actus Fidei, utique tenebitur plus, quàm semel ad eos circa præcipua Mysteria, qualia sunt Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis.

3tiò. Ex eodem fundamento falsa est thesis 3tia. Neque frequentare actus Fidei difficile est, cùm sit occasio frequentissima, ùt dum recitatur Symbolum Fidei, formatur Crux, dicitur oratio Dominica, adoratur Eucharistia, proponitur imago Sanctissimæ Trinitatis, Christi, B. Virginis, &c.

PROPOSITIO XVIII.
ab Inn. XI. ord. 18.

Si à potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ùt Deo, & Fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

79. *Is tacitè negaret fidem.* Hæc thesis, teste Sandæo apud Viva hic n. 3. Antverpiæ anno 1674. 16. Aprilis Præside P. Arnoldo Marchant publicè propugnata, meritò damnatur: nam interrogatus authoritate publicâ in odium Fidei, ùt fit; si taceat, silentium ejus per se cedit in contemptum Fidei, estque exercita, tacita Fidei negatio: neque enim is Tyranno respondere posset: Quid ad te? Quis es tu, ut me velis judicare? cùm is publicè habeatur Judex legitimus, etsi revera is non sit. Vide p. 2. à num. 42.

PROPOSITIO XIX. ab Alex. VIII. ord. 12.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.

80. *Manere potest fides in magno peccatore.* Hanc propositionem docuerunt quidam Lovanienses citati à Viva hic n. 2. quia Fides deficit per peccatum Infidelitatis, ergo & in magnis peccatoribus: in his enim videtur esse superflua, cùm sine charitate nihil prosit juxta Apostolum, adeoque cesset esse vera virtus. Verùm, si hoc argumentum valeret, amitteretur Fides per quodlibet peccatum mortiferum, quod apertè repugnat Tridentino can. 28. definienti oppositum his verbis: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit* Quare Fides informis manet vera virtus, cùm dispo-

nat ad aſſentiendum vero revelato, quod eſt ejus bonum, ordinetque hominem ad finem ſuum ultimum; quamvis non ſit virtus conſummata & meritoria vitæ æternæ, & hinc dicatur non prodeſſe, & mortua. Conſonant hæc S. Scripturæ: nam Jacobi 2do dicitur: *Quid prodeſt fratres mei, ſi quis dicat, ſe habere fidem, opera autem non habeat?* 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Quòd fides amittatur per ſolam infidelitatem, uti docet Tridentinum Seſſ. 6. cap. 15. ratio eſt, quia infidelitas directè excludit motivum Fidei, eſtque ſpecialis injuria contra primam veritatem, ſecus ac peccata alia, cum quibus ſtare Fidem conveniens erat divinæ miſericordiæ, ut nempe homo lapſus ſtabile haberet principium reſurgendi; id quod locum habet etiam in magnis peccatoribus, quorum majore miſeriâ magis ſæpe movetur Deus dicente Davide Pſalm. 24. *Propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.*

PROPOSITIO XX.
ab Alex. VII. ord. 5.

Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

Hanc propoſitionem docuerunt plures apud Mendo Diſſ. 1. q. 10. & apud Dianam p. 1. tr. 4. reſol. 1. cum Bauny, Reginaldo, & aliis. At meritò damnatur: nam cùm hæreſis opponatur communi bono fidei, & animarum ſaluti, facileque tanquam contagioſa peſtis ſerpat, & alios inficiat, ſi de ea certò conſtet, hæreticus per ſe 81. *Hæreticus denuntiandus.*

loquendo denuntiandus est ex præcepto, ut Judex competens aliis indiciis accedentibus inquirere possit, & lues in cunis extinguatur, idque licèt probari non possit, aut fama denuntiati patiatur; nam denuntiator eam probare non tenetur, sed judici tantùm occasionem dat inquirendi, & fama privati cedere debet communi animarum bono. Nec obstat, quòd Christus dicat Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* Nam non loquitur de crimine repugnante bono publico, sed privato, ùt tenet S. Thom. vel de præmittenda monitione privata, quando meritò sperari certò potest emendatio sine periculo detrimenti proximorum; hoc autem in hæreticis locum non habet; unde, etsi spes foret fructûs ex monitione privata, denuntiandi sunt vel Inquisitioni, ubi hæc est, aut Ordinario loci. Dixi: *Per se loquendo*: nam plures viri prudentes, inquit La Croix l. 2. n. 215. & eximiè docti censent, in his partibus Bullas Pontificum, quoad punctum denuntiationis, non esse usu receptas, quia, cùm in his sint multi hæretici satis noti, & tolerentur relictâ iis libertate Religionis, nec cogi possint per potestatem Ecclesiasticam, sperarique fructus ex denuntiatione vix potest: hinc Pontifex sciens omitti illorum denuntiationem hanc non urget, sed nec cum fructu urgere modò potest. Si tamen quis sciret, quòd Parochus, Theologiæ, vel Canonum Professor, Confessarius, aliusve similis esset hæreticus, & externè se Catholicum simularet, denuntiandus sub gravi esset illi, qui mala inde oritura posset impedire.

PRO-

PROPOSITIO XXI.
ab Alex. VIII. ord. 10.

Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem gloriam obtineat, non est recta, nec Deo placens.

PROPOSITIO XXII.
ab Alex. VIII. ord. 13.

Quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

Hæ Theses ex erroneo Baji principio, quod retuli n. 27. ab ejus discipulis deductæ, confutatæ manent ex dictis ibidem à n. 28.

PROPOSITIO XXIII.
ab Eod. ord. 14.

Timor gehennæ non est supernaturalis.

PROPOSITIO XXIV.
ab Eod. ord. 15.

Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei, non est bonus motus, ac supernaturalis. 82.

Hæ Theses, sicut complures aliæ, infelix partus sint Lutheri, & Calvini, & ex Ecclesia à Tri- *Ostenditur falsitas.*

 den-

dentino proscriptæ, atque à Bajo, qui omnem actum, non procedentem ex motivo dilectionis Dei, vitium, & peccatum dixit, revocatæ; à Jansenio, ejusque discipulis sustentatæ, & nunc iterum à Sede Apostolica condemnatæ: repugnant enim 1mò Scripturæ frequenter nos hortanti ad timorem gehennæ, & fugam peccati propositis ejus pœnis. Nam Lucæ 13. dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Matthæi 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Job. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Matthæi 10. *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* 2dò. Repugnat Concilio Tridentino dicenti Sess. 6. Can. 8. Anathema ei, *qui dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere.* Sess. 14. Cap. 5. *Qui dixerit, dolorem, ex gehennæ metu conceptum, non esse utilem, & ad gratiam non præparare, esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium.* Et cap. 4. ejusmodi metum vocat bonum motum, Dei donum, & impulsum Spiritûs sancti. Quòd verò Tridentinum loquatur non de timore initiali, qui simul ex charitate, & metu pœnæ procedit, sed de timore servili pœnæ tantùm, patet, quia nemo negavit, bonum esse timorem initialem, sed Lutherum, qui timorem servilem tantùm negabat esse bonum, Tridentinum damnat. 3tiò. Repugnant rationi. 1mò quidem, quia metus ille est actus spei Theologicæ: eadem enim virtus, quæ bonum suum prosequitur, aversatur malum ipsi oppo-

oppositum, ùt patet eunti per singulas virtutes; gehenna autem malum est beatitudini maximè oppositum, cùm importet carentiam visionis Dei, velut pœnam maximam. 2dò. Quia Deus minatur inferni pœnas, ut ex ejus consideratione peccatores avertantur à peccatis, de iis doleant, & ad se revertantur, ut, qui necdum mandata servant amore, servent saltem timore. Quare pœnæ inferni sunt medium à Deo præparatum ad vitanda, & detestanda peccata; medium autem, à Deo institutum eò, adhibere honestum esse, nemo prudens dubitare potest. Confirmatur. Si metus gehennæ, & dolor de peccatis ex eo conceptus non esset bonus motus, non rectè Christus, Apostoli, PP. inculcâssent hominibus illum metum, & dolorem de peccatis, jamque peccarent Concionatores, qui Auditoribus metum incuterent gehennæ, ut à peccatis abstineant; hoc autem quis ausit dicere?

Atque ex his patet, actus illos esse bonos, & honestos; esse autem supernaturales, si pœnæ inferni per Fidem proponantur, dubium esse non potest: nam ex Tridentino præparant, & disponunt ad gratiam sanctificantem, sunt impulsus, & donum Spiritûs S. &c. Et ratio est; quia, quando per Fidem proponitur objectum actûs honesti secundum providentiæ Dei ordinem, conditionemque hominis ad actum supernaturalem elevati, Deus concurrit ad actus ejus influxu supernaturali. 83. *Possunt esse actus supernaturales.*

Ex his sequitur, bonum, & supernaturalem motum etiam esse dolorem de peccatis conceptum ex amissione beatitudinis, & turpitudine peccati, si ista per Fidem, & cum respectu ad Deum proponantur; secus enim esset, si quis doleret præcisè de peccatis ob repugnantiam

cum recta ratione sine respectu ad Deum, id quod tamen vix in homine fideli fiet; nam tunc dolor supernaturalis non foret.

PROPOSITIO XXV.
ab Alex. VIII. extra ord.

Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis verò in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ moralis.

84. *Amor Dei frequens.* Pars ultima hujus Theseos damnata est veluti hæretica, quia apertè, & immediatè opposita verbo Dei. quo jubemur tendere in finem nostrum ultimum; in quem conditi sumus, Deum amare ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus, ut mirum sit, quomodo homini, in quo scintilla rationis superest, illa assertio in mentem venire potuerit, cùm dictet lumen naturæ, Deum finem ultimum à nobis in vita diligendum esse sæpius, uti constat ex dictis n. 77.

PROPOSITIO XXVI.
ab Inn. XI. ord. 5.

85. *Falsitas patet ex dictis.* An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

PROPOSITIO XXVII.
ab Eod. ord. 6.

Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

PROPOSITIO XXVIII.
ab Eod. ord. 7.

Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſimus.

Hæ Theſes confutatæ manent ex dictis n. 77.

PROPOSITIO XXIX.
ab Eod. ord. 10.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

PROPOSITIO XXX.
ab Eod. ord. 11.

Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

86. *Proximus amandus amore etiam interno.*

Hæ aſſertiones repugnant præcepto divino, quo jubemur, proximum diligere, ſicut nos ipſos, & diligere nos invicem, ſicut Chriſtus dilexit nos, noſmetipſos autem diligimus, & Chriſtus dilexit nos amore interno benevolentiæ; deinde

deinde viam pandunt simulato amori, odio interno retento, omnemque sinceritatem eliminandi præbent ansam, imò & omittendi actus externos ex charitate debitos: ubi enim deest amor internus, facilè omittentur actus externi præsertim difficiliores. Vide p. 2. à n. 94.

PROPOSITIO XXXI.
ab Eod. ord. 12.

Vix in sæcularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui, & ità vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

87. *Obligatio ad eleëmosynam.* Hæc assertio meritò proscripta est: nam 1mò certum est loquendo de superfluo statui præsenti, ùt communiter accipitur, pluribus non tantùm Ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus, præsertim Principibus & Regibus esse superflua ad decenter, & suo statui convenienter vivendum. 2dò. Est obligatio non solùm in gravi & extrema necessitate, sed etiam in communi ex præsenti statui superfluis dandi aliquando eleëmosynam, ita ut, si quis animo sic esset constitutus, ut nullam ex iis dare eleëmosynam vellet, graviter peccaret. Jam verò, si vix inveniretur in sæcularibus, cui statui essent superflua, vix aliquis teneretur ad eleëmosynam in necessitate communi pauperum, id quod repugnat communi receptæ Theologorum, & PP. sententiæ, præceptoque charitatis. Vide p. 2. n. 111.

***

PROPOSITIO XXXII.
ab Inn. XI. ord. 13.

Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari, de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

PROPOSITIO XXXIII.
ab Eod. ord. 14.

Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ùt malum Patris, ſed út bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

PROPOSITIO XXXIV.
ab Eod. ord. 15.

Licitum eſt filio gaudere de parricidio, à ſe in ebrietate patrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſecuturas.

Hæ Theſes ſecundùm dicenda p. 1. n. 392. & p. 2. n. 125. repugnant ordinatæ charitati; prima quidem, quia tanquam licitam permittit triſtitiam de proximi vita, & gaudium de morte, hujusque inefficax deſiderium, præſcindendo, an emolumentum illud ſit leve, vel grave, præ- 88. *Gaudium de malo, triſtitia de bono proximi*

præponderans, vel æqualens, ùt plerumque non est bonum temporale vitæ alterius; an gaudium, & desiderium feratur in ipsam mortem, an verò duntaxat in emolumentum. Quare etsi dicatur. *Si cum debita moderatione facias*, propositio meritò damnatur. 2da verò, quia vita Patris est bonum longè præstantius, quàm hæreditas obventura: est autem contra charitatem, imò & contra pietatem bonum præstantius Patris postponere inferiori suo. Deinde hæc Thesis est scandalosa; præbet enim occasionem filio Patrem affligendi, omittendi amorem debitum; Patri verò aversandi filium, eique diffidendi. Denique 3tia charitati ob eandem rationem repugnat. Præterea gaudium illud foret de objecto intrinsecè malo, adeoque ex duplici capite illicitum.

Putant aliqui hìc doctrinam in hac materia reprobari S. Thomæ: nam 2. 2. q. 37. a. 2. ait: *Cùm aliquis dolet de bono alicujus, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibi ipsi, vel aliis bonis, talis tristitia non est invidia, & potest esse sine peccato.* Sed alii exponunt S. Doctorem, quòd loquatur de bono præponderante, ita, ut is, cui optatur malum, rationabiliter vellet malum tale pro consequendo bono, quod ex malo consequitur: ait enim S. Doctor, quòd possit esse sine peccato, non quòd semper sit: & hoc sensu orat Ecclesia, ut ad bonum Christianorum, & Dei gloriam Pagani conterantur; in casu autem nostro vita proximi, & Patris ordinatur ad bonum temporale, & hæreditatem, quæ respectu vitæ sunt levis momenti, & ideo graviter pervertitur ordo charitatis.

S. Thomas.

89. *Quid, si ingens sit malum.*

His non obstantibus juxta La Croix manet probabilis sententia gravissimorum Authorum post S. Th. asserens, quòd, quamvis mortale sit,

ob

ob leve aliquod emolumentum temporale desiderare directè etiam inefficaciter mortem alterius aut immediatè de illa gaudere; possit quis tamen desiderare inefficaciter mortem alterius ad evitandum aliquod ingens malum sibi vel proximo impendens, v. g. ne injustè occidatur ab illo, ne per injuriam illius spolietur bonis suis, quod alioquin futurum est, sicut potest quis sibi optare mortem, si aliter vitare non possit peccatum, vel perpetuum, & durum carcerem. Ratio est, quia non optat mortem, uti supponitur, ùt proximo malam; sed intentio fertur solùm immediatè in bonum proximi, vel suum. Neque optat ob leve emolumentum speratum, & ad quod fortè jus non habet, sed propter damnum in re sua actu possessâ, quod subire non tenetur, cùm rem suam, vel alterius amici tenere, ac defendere possit, etiamsi, dum res est magni momenti, proximus injustè volens eam auferre, occidi deberet. *Potest quis*, inquit S. Th. in 3. dist. 3. q. 1. a 1. ad 4. *salvâ charitate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Addit: *Sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo.* Verùm hìc facilè insinuabit se affectus sinister, qui cavendus est semper.



PRO-

PROPOSITIO XXXV.
ab Inn. XI. ord. 51.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere ad fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatut, ne domo expellatur.

90. *Requisita, ut liceat alterius peccato cooperari.* Exponitur. Ut liceat cooperari materialiter ad alterius peccatum, tres requiruntur conditiones: 1ma. Actio, quam ponit cooperans, non debet esse intrinsecè mala, sed vel bona, vel indifferens, ùt per se patet. 2da. Actio non debet poni ex intentione juvandi alterum ad perpetrandum peccatum. 3tia. Debet adesse justa causa, id est, physica, vel moralis impotentia, seu grave incommodum excusans ab obligatione impediendi peccatum proximi. Quale autem hìc & nunc incommodum excuset, difficultas est valde implexa: quandoque enim non leve incommodum excusat, quandoque non.

Causæ excusantes cooperantem alterius peccato. Hinc assignantur sequentes regulæ generales. Prima. Quò peccatum proximi est gravius, eò gravior causa requiritur, ut quis licitè possit cooperari, exigente sic lege charitatis. 2da. Si peccatum sit contra justitiam, gravior requiritur causa, quia agitur contra jus alterius etiam. 3tia. Quando propinquior ad peccatum est coope-

cooperatio, gravior debet esse causa, quam si sit remota; sic causa, quæ sufficit, ut famulus licitè comitetur dominum, dum pergit ad peccandum, non sufficit, ut venienti meretrici aperiat januam, ascendenti domino ad opprimendam virginem scalam teneat, vel humeros submittat. 4ta. Major causa requiritur, si non facilè alius sit cooperaturus, quàm si passim inveniantur cooperaturi; sic faciliùs excusantur, qui puellis vendunt fucos, quàm qui vendunt venenum. 5ta. Major quoque requiritur causa, si quis minus juris habeat ad operationem; sic faciliùs excusatur, qui à ministro indigno petit sibi ministrari Baptismum, quàm qui petit v. g. Confirmationem, quia Baptismus est magis necessarius, ideoque ad illum plus juris est. Positis his regulis adhuc manet difficultas in casibus particularibus, ideo Doctores varia adducunt exempla, quæ vide enumerata p. 2. à n. 135.

Ostenditur nunc falsitas propositionis: nam, licèt detur, quòd actiones illæ famuli non sint intrinsecè malæ, sed indifferentes, cùm dominus illis ad alium finem uti possit, quod putat Illsung. Tr. 3. nu. 114. excusans famulum illum à mortali, si meritò timeret gravissimum malum v. g. lethale vulnus, mutilationem, mortem; attamen hic à mortali excusari non potest: nam, licèt aliquæ actiones ejus de se non juvent ex natura proximè ad peccatum v. g. aperire januam aliquam, quod de se est quid indifferens; certum tamen est, quòd cooperetur proximè omnibus consideratis: nam sciens herum ascendere velle ad peccandum, submittit humeros, vel applicat scalam, cooperatur multoties, scitque suam cooperationem multoties juvare ad peccatum & est causa, ut Dominus frequentius peccet. Denique

91. Ostenditur falsitas propositionis.

nique damnum, quod timet, non est proportionatum: semel enim percuti, famulo non est intolerabile, aspici torvis oculis adhuc minùs est, expelli domo, plerumque non est adeo grave, cùm, cessante impetu iræ, famuli revocentur, aut permittantur redire, & plerumque possint invenire famulatum similem, aut paulò tantùm minùs utilem. Unde certum est, ejusmodi famulum, spectatis omnibus, non excusari à mortali. Dixi: *Licèt detur, actiones non esse intrinsecè malas*: nam cum La Croix l. 2. n. 254. & Viva in hanc propositionem num. 4. probabiliùs sunt intrinsecè malæ, si simul sumantur cum suis circumstantiis: non enim solæ actiones, quæ nullatenus possunt exuere malitiam suam, quales sunt, suadere peccatum, vocare concubinam, ut veniat ad peccandum, sed etiam de se, & secundùm suum esse physicum indifferentes, quoties hìc, & nunc sunt proximè ordinatæ ad peccandum, ùt admovere scalas, humeris sustinere volentem ascendere ad hostem occidendum, virginem violandam, &c. sunt intrinsecè malæ. Ut proinde famulus non possit excusari ob cujuscunque mali metum, si eas præstet, licèt sciat, dominum esse paratum ad peccandum, & non defore alios, qui eum ad id juvent; secus est, si actiones remotè se habeant, adsitq; justa causa, ùt vendere agnum Infideli, quem scio, idolo esse immolandum, domum elocare usurario, &c.

92. *Corollaria.* Ex his resolves 1mò. Non licet aurigæ concubinam deferre ad peccandum, ne lucrum amittat, vel ne domo expellatur: gravior enim causa requiritur ad præbendum physicum concursum volenti peccare. Ita Sanch. l. 1. cap. 7. num. 25. contra Dianam p. 2. tr. 6. resolut. 11. Tamb. l. 5. cap. 1. §. 5. imò non videtur Navar-

ro

ro contra Sanch. hæc causa sufficere famulo, ut comitetur dominum ad lupanar, multò minùs ad comitandum concubinam ad domum Heri. 2. non licet famulo deferre litteras ad concubinam, quibus invitatur ad peccandum cum Hero, etsi hic famulo mortem minaretur. Ita Sanch. & alii, quia hæc actio videtur intrinsecè mala, non secus, ac si velut nuntius invitaret ad id concubinam. 3. Nec licet famulo præcisè ratione famulatûs jussu domini deferre munuscula amatoria, vel esculenta ad concubinam. Ita Viva contra Sanch. quia sic concurrit famulus ad fovendum amorem impurum: unde major causa videtur requiri. Putat tamen Viva cum Sanch. posse licitè vendi carnes volentibus jejunium violare, ne lucrum amittatur, si alii sint, qui venditurі nihilominus sint, secus requiri causam graviorem. In dubio, an proximus sit abusurus re subministratâ v. g. vino, si desit rationabilis causa dubitandi, potest subministrari; si autem illa adsit, requiritur causa justa, non tam gravis tamen, quàm si certò abusurus esset.

PROPOSITIO XXXVI.
ab Inn. XI. ord. 8.

Comedere, & bibere ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

PROPOSITIO XXXVII.
ab Eod. ord. 9.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ.

Primam illam propositionem docuerunt Joan. Sanchez, Escobar, Martinus Perez de Matrimonio d. 18. §. 7. Basilius, Pontius, Diana, Burghaber Cent. 1mâ, Casu 40mo ? tum quòd appetitus naturalis possit suis actibus frui; tum quòd in aliis materiis dentur actus in individuo indifferentes. Hinc & alii intulerunt, opus conjugii exercitum ob solam voluptatem vacare omni culpâ.

Ostenditur falsitas utriusque propositionis:
93. nam sive comestio, & bibitio ad satietatem fiat
Non licet ob solam voluptatem. cum excessu in quantitate, sive sine eo, si ob solam voluptatem fiat, semper est inordinata; quia invertit ordinem, à Deo authore naturæ constitutum: nam ipse voluptatem sensuum in sumptione cibi, & potûs, & aliis voluit esse medium ad finem alium, nempe, ut homo per voluptatem in cibi, & potûs usu alliceretur, ad conservationem individui, in usu autem matrimonii ad conservationem, & propagationem speciei, hunc autem ordinem invertit, qui fruitur voluptatibus sensuum, id est, in iis sistit, non referendo ad finem, iis à Deo præfixum, ad quem si referrentur, esset illis uti. Ex quo patet inordinatio, consequentur peccatum per se veniale. Dein bruta, quæ unicè delectatione provocantur ad pabulum; abstinent tamen ab immoderato, solumque ad sufficientiam id sumunt, imò abhor-

abhorrent à voluptate venerea, quando cessat finis à natura intentus: brutum enim prægnans abhorret venerem. Audiatur S. Aug. L. de bono conjugii c. 6. *Conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, tamen cum conjuge, venialem.* Audiatur & S. Thom. 2. 2. q. 141. a. 6. *Regula omnium,* inquit, *delectabilium in hac vita est vitæ aliqua necessitas, aut utilitas, vel convenientia.* Et q. 14. de malo a. 1. *Regula rationis hæc est, ut homo sumat cibum, secundùm quod convenit sustentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis, & conversationi eorum, cum quibus vivit.* Vide dicta de Confess. n. 83.

Dices: Licet recreationis causâ audire musicam, olfacere florem, obambulare in horto, aspicere cœlum, campum vernantem; ergo pariter licet ob voluptatem uti conjugio, sumere cibum ob delectationem gustûs, quia omnes delectationes illæ ordinantur ad naturæ conservationem. Resp. Licet animi recreandi causâ audire musicam, capitis confortandi florem olfacere, ad animum relaxandum aspicere cœlum, campum vernantem, quia eæ actiones à natura eò ordinantur: aliud est de voluptatibus merè sensitivis, tum quia sunt tantùm media ad alium finem, à natura constitutum, tum quia bonum brutis commune non est proprium hominis, in quantum homo est: unde propter se intendi non potest, præsertim, si facilè in eo appetitu excedatur, ùt in appetitu cibi, & potûs, & maximè in venerea voluptate, quæ, cùm vehemens sit, deprimit animum, nisi bono fine admittatur.

94. *Opposita soluta.*

PROPOSITIO XXXVIII.
ab Alex. VII. ord. 29.

In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

95. *Violatio jejunii per modica.* Hæc Thesis falsa est, & meritò reprobatur; modica enim illa comesta, si ad notabilem quantitatem eodem die perveniant, graviter repugnant fini legis jejunii, qui est maceratio carnis: uniuntur enim in effectu notabilis nutritionis, & confortationis corporis: unde sicut, qui successivè modica furatur, aut omittit eodem die in Horis Canonicis, ubi ad notabilem quantitatem pervenit, per se loquendo, peccat graviter, ita hìc; quia modica illa comesta eodem die repugnant numero eidem præcepto graviter, sicut modica furto sublata, aut omissa in Horis eodem die, secus si modica essent sumpta diversis diebus.

PROPOSITIO XXXIX.
ab Inn. ord. 30.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

96. *Non omnes labores excusant à jejunio.* Aliqui apud Fagundez p. 4. l. 1. c. 8. num. 15. artifices putârunt universim eximi à jejunio, tum, quia totâ die laborantes indigent multiplici

plici refectione, tum etiam, quia Eugenius IV. liberos esse declaravit à lege jejunii opifices, qui artes laboriosas exercerent; non erat autem opus declaratione respectu eorum, qui valde laboriosa exercent, uti sunt fabri ferrarii, lignarii, fossores, &c. ergo censetur omnes exemisse. At si ob incommodum, quod quicunque toto die laborantes subeunt, omnes artifices excusarentur à lege jejunii; deberent quoque excusari, qui studiis vacant, qui ingenuas, & liberales artes exercent, omnes pictores, scriptores, Notarii, filum ex lino, vel lananentes, Typographi litteras collocantes, & alii ejusmodi; illorum autem incommodum non est tale, quòd à jejunio excuset. Nec frustranea est declaratio Eugenii: est enim decisio dubii, an Officiales omnes, qui corporaliter laborant, excusentur à jejunio, ad quod respondit excusari, qui artes laboriosas cum magna agitatione corporis, quâ spiritus valde absumuntur, exercent. Est etiam privilegium pro iis, qui rationabiliter dubitant, an, spectatis viribus propriis, possint jejunare exercendo artem laboriosam. Quòd si dubitetur, an ars aliqua dicenda sit laboriosa, ùt v. g. de coquis, calceos consuentibus, sartoribus, iis non prodest Pontificis declaratio, sed certificare se debent, an ars ejusmodi, ùt à se exercetur, sit per se laboriosa: lex enim est in possessione, & in dubio melior est conditio possidentis; nisi tamen adesset rationabilis timor notabilis detrimenti: tum enim periculo se non teneretur exponere: hæc siquidem non est mens Ecclesiæ.

***

PROPOSITIO XL.
ab Innoc. VII. ord. 31.

Excusantur absolutè à præcepto Jejunii, omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

97. *Nec iter quodcunque.* Ortix apud Viva docuit, itinerantes excusari à jejunio, etsi iter non sit necessarium, alii addiderunt, etsi sit iter unius diei, putantes, satis defatigari corpus, etsi equo, vel curru fiat; sed meritò hæc opinio est proscripta: imprimis enim Lex Jejunii obligat, quando sine magno incommodo servari potest; haud dubiè autem non rarò sine magno incommodo iter agi potest equo, vel curru per unum diem, imò & per plures, si viæ sint commodæ, aura favens, ùt docet experientia; ergo non excusantur, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant. Dein, si iter etiam arduum non sit necessarium, non eximit à jejunio, si præcisè suscipiatur, ut à jejunio sit exemptio: ei enim, qui lege manet in actu primo obligatus, non licet eo saltem die opponere illius observationi impedimentum directum qui enim præcipit finem, etiam præcipit media. Vide dicenda p. 1. num. 189. & à n. 196. & p. 2. num. 177.

PROPOSITIO XLI.
ab Alex. VII. ord. 32.

Non est evidens, quòd consuetudo non

come-

comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

Hæc propositio justè damnata est, quia con- 98.
stat ex communi Fidelium persuasione consuetu- *Consue-*
dinem illam obligare: est enim immemorialis, *tudo illa*
& sensus Fidelium, & Doctorum is constanter *vim le-*
fuit: sique hoc non sufficiat, de omni consue- *gis ha-*
tudine licebit dubitare. Et quamvis Pontifex *bet.*
non damnet in præsenti propositione sententiam quorundam, qui opinati sunt, eam non obligare sub gravi; hoc tamen certum est: nam, cùm consuetudo habeat vim legis, in materia gravi esse obligationem gravem abstinendi eo tempore ab ovis, & lacticiniis, nisi consuetudo contraria alicubi obtineat, dubitari non potest.

PROPOSITIO XLII.
ab Alex. VII. ord. 23.

Frangens Jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

Cajetanus in Summa, V. *Clericorum peccata,* 99.
putavit, nullum præceptum obligare sub mor- *Præcep-*
tali, nisi sit ejus transgressio contra charitatem. *tum je-*
Et hinc 2. 2. q. 147. cap. 7. dixit, transgressio- *junii ob-*
nem præcepti de Jejunio non esse mortalem, nisi *ligat*
fiat ex contemptu formali, seu jurisdictionis in *sub gra-*
superiore. Idem postremum hoc docuit Ta- *vi.*
biena, & Turrecremata. Alii quidam admittentes, Ecclesiam posse præcipere Jejunium sub

 mor-

mortali, dubitârunt tamen de intentione Ecclesiæ sic obligandi. Verùm hoc jam extra dubium est, fuitque dubium illud parum fundatum: firma enim, & constans Fidelium persuasio putantium, se sub gravi obligari ad Jejunium, satis declaravit id ab immemoriali tempore. Et ratio est quia legislator Ecclesiasticus in materia gravi, cedente inspirituale bonum animarum, semper, nisi aliud declaret, censetur obligare sub gravi, sive addat formam aliquam v. g. *In virtute obedientiæ, sub interminatione divini judicii, sub pœna excommunicationis*, ad magis inculcandam legis observationem, sive eam omittat. Idem tenet communior de legislatore civili, saltem nisi lex sit merè pœnalis, aut constet de alia legislatoris intentione. Putant quidem, teste Vivâ probabiliter, multi cum Valentia, Fill. Diana, Tamb de Sacrificio Missæ l. 3. cap. 1. §. 8. n. 14. nullam legem pœnalem civilem, etsi non sit purè pœnalis, obligare in conscientia ad culpam saltem gravem; verùm aliter sentiunt omnes Catholici de legibus Ecclesiasticis. Nec subsistit fundamentum sententiæ oppositæ: sequeretur enim, quòd Ecclesia non possit præcipere Jejunium, & observationem Festorum sub peccato gravi, imò quòd nec contemptus formalis legis sit mortale. Non ergo omne peccatum grave debet esse objectivè contra charitatem, ùt constat in peccato contra fidem, & spem, sed solùm subjectivè, quatenus ex subjecto expellit charitatem.

PRO-

PROPOSITIO XLIII.
ab Alex. VII. ord. 24.

Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata ejusdem ſpeciei infimæ, adeoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuráſſe pollutionem.

Caramuel in Theologia fundamentali num. 1199. docuit, ex Navar. Graffiis, & quibusdam Lovanienſibus cum Armilla, Cano, & aliis, omnia peccata contra naturam in materia venerea eſſe ejusdem ſpeciei infimæ, & hinc Theſin hanc intulit. At meritò proſcribitur: nam videtur, lumen naturæ dictare: ſpeciei diverſas eſſe in illis peccatis turpitudines, caſtitati oppoſitas: mollities enim tantùm impedit generationem; ſodomia verò non tantùm eam impedit, ſed etiam dicit ordinem ad ſexum eundem, & vas ineptum ad generationem; beſtialitas autem non tantùm habet ſe ad ſubjectum ineptum; ſed etiam hominem miſcet cum beſtiis, & ad eas abjicit, adeoque ordini naturali ſummè adverſatur, ùt dictat recta ratio: unde beſtialitas eſt peccatum gravius, quàm ſodomia, & hæc gravius, quàm pollutio, & hæc iterum gravius, quàm fornicatio: hæc enim tantùm impedit bonam prolis educationem; eſt nihilominus peccatum ſecundùm ſpeciem ſuam gravius furto, ùt docet S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 3. quia furtum eſt contra bona fortunæ, fornicatio contra prolis naſcituræ bonam educationem; eſt tamen hoc levius peccatum, quàm homicidium, quia hoc eſt contra vitam hominis jam nati. Vide p. 2. à num. 198.

100. *Oſtenditur falſitas.*

PROPOSITIO XLIV. ab Alex. VII. ord. 25.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

101. *Exponitur.* Hanc quoque Thesin docuit Caramuel in Theologia fundamentali fundamento 25. n. 45. Ratio videtur fuisse, quia juxta probabilem sententiam satis est in Confessione explicare numerum, & speciem peccatorum; talis autem in primis expressit numerum, ùt supponitur, deinde expressit speciem: nam delectatio ex fornicatione specie non differt à delectatione ex osculo, vel tactu turpi, quia ex natura sua refertur ultimatò ad copulam. Huic sententiæ favent Dominicus Soto, & Joannes Sanch. docentes, eum, qui manibus procuravit pollutionem, non teneri dicere, an sit secuta pollutio, sed satis esse, si dicat, se causam manibus dedisse pollutioni, eò quòd ex iis tactibus sequatur pollutio in causa volita, ideoque non sit novum peccatum.

102. *Non satisfacit.* Ostenditur falsitas: nam non est satis explicare numerum, & speciem internam utcunque, sed addendus actus externus, modo moraliter diverso participans malitiæ speciem internam: Christus enim voluit clavibus subjici etiam actum externum in æstimatione morali diversum, qui actum internum complet in ratione peccati, ùt constat ex communi sensu Ecclesiæ, & praxi Fidelium; sic, qui exposuit se periculo fornicandi, idem specie peccatum commisit, atque si re-

ſi re ipsâ fornicatus eſſet, & tamen ſi fornicatio ſubſecuta eſt, hanc tenetur in Confeſſione exprimere. Qui voluit furari & conatus eſt, idem ſpecie peccatum commiſit, ac ſi re ipsâ furatus eſſet, & tamen non ſatisfacit dicendo: Furari volui. Unde ſententia dicens, eum, qui tactibus manuum tetendit ad pollutionem, non teneri dicere, quòd ſecuta ſit, rejicienda eſt tanquam improbabilis. Ex eadem ratione docet Lugo, quòd reus adulterii ſimplicis non ſatisfaciat dicendo: Commiſi adulterium, ſed debeat addere, an ipſe conjugatus peccaverit cum libera, vel, an ipſe liber peccaverit cum conjugata, quia diverſimodè participatur malitia, ſi conjugatus frangat fidem ſuæ uxori; atque, ſi cooperetur conjugatæ ad frangendam fidem ſuo marito. Et idem dicit, ſi voto obſtrictus peccet cum libera, vel ipſe liber peccet cum obſtricta: eſt enim individuatio actûs aliter participans malitiam. Similiter reus ſodomiæ, juxta communiorem, exponere debet, an ipſe fuerit agens, vel patiens, quia diverſimodè participant malitiam ſpecificam peccati ſodomitici, agens ùt ſe polluens, ſecus ac patiens. Contradicit tamen in hoc Diana p. 11. tr. 1. reſolutione 11. citans pro ſe ſexdecim Doctores, quia eodem modo uterque concurrit ad idem ſcelus, eandemque pollutionem, ſicut fit in fornicatione, & homicidio, dum unus tenet captum, alter occidit.



PRO-

PROPOSITIO XLV.
ab Alex. VII. ord. 40.

Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum, habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.

103. *Venerea delectatio ex osculo est mortale*

In hac propositione, quam, teste Vivâ, docuerunt Javellus, Ledesma, Soto, & alii apud Sanch. l. 5. Summæ cap. 6. n. 12. per delectationem carnalem intelligitur venerea, uti satis indicant verba illa: *Secluso periculo ulterioris consensûs, & pollutionis.* Est autem falsa, quia delectatio, seu complacentia in objecto graviter malo per se est peccatum mortale, utpote quædam ejus approbatio; atqui delectatio venerea, orta ex osculo est de objecto graviter malo: nam est delectatio de fornicatione: ad hanc enim ex natura sua, præeunte cognitione ejus saltem obtusâ, ordinatur, ùt docet S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. constatque tum in brutis, quæ similibus se ad coitum præparant; tum quia oritur ex commotione seminis, & spirituum genitalium, sicque ad seminis effusionem disponit. Vide p. 2. num. 210.

PROPOSITIO XLVI.
ab Inn. XI. ord. 48.

Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia inter-

terdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

PROPOSITIO XLVII.
ab Eod. ord. 49.

Mollities jure naturæ prohibita non est: unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Primam ex his propositionibus docuit Durandus in 4. dist. 3. & Martinus de Magistris, utramque Caramuel. Verùm utraque repugnat S. Scripturæ: nam Apost. 1. ad Cor. 6. ait, *Qui fornicatur in corpus suum peccat*, id est, uti S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 3. ad 2. exponit, contra bonum proprii corporis agit, in quantum illud indebitè resolvit, & coinquinat. Aliam rationem dat Apostolus, quia fornicator templum Dei facit esse corpus meretricis. Ratio prima pariter facit contra pollutionem. Deinde utraque repugnat sanæ rationi, & legi naturæ: quod probatur hoc universali principio: Quidquid rectus in Republica rationali ordo, rectaque ejus gubernatio exigit prohiberi, id repugnat legi naturæ, & sanæ rationi, quod nemo negabit; atqui rectus ille ordo, rectaque gubernatio exigit prohiberi fornicationem, & pollutionem: nam si permitteretur, ùt posset juxta Theses, fornicatio, invalesceret vagus, & meretricius concubitus, ex quo proles rarò nascuntur, proles ex aliis natæ non noscerent parentes, nec hi suas proles, sicque minor hominibus esset cura educationis, quàm bestiis. Et dato, quòd in quodam casu hæc timenda non essent,

104. *Fornicatio, & pollutio jure naturæ prohibita.*

essent, ne tamen homines in libidinem proni sibi imaginarentur respectu suî non timendum defectum educationis, sicque turbaretur recta gubernatio naturæ rationalis, quæ ad Dei perfectionem pertinet, necesse fuit, fornicationem universim prohiberi: si verò permitteretur pollutio, cederet in gravissimum detrimentum generis humani: pauci enim vellent inire matrimonium ob onera ejus, contenti voluptate turpi istâ, & quod ordinatum est in generis humani propagationem, verteretur in ejus detrimentum: fierent homines brutis deteriores: cùm libido illa excœcet mentem, avocet à gustu cœlestium, & ad terrena deprimat, ùt constat ex infelicium eorum, qui pollutionibus assueverunt, querelis. Ex quo patet, necesse fuisse pollutionem prohiberi, redundaturamque fuisse in Dei tanquam non sapientis gubernatoris humanæ naturæ contemptum, ejus permissionem. Vide p. 2. num. 199.

PROPOSITIO XLVIII.
ab Inn. XI. ord. 50.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

105. *Est adulterium.* Quidam Neoterici, abusi hoc principio: *Volenti non fit injuria*, existimârunt adulterii reum non fore peccantem cum aliena uxore, si maritus consentiat. At contra communissimam, sanamque doctrinam; nam, sicut Clericus non potest renuntiare privilegio Canonis, & fori, sic nec maritus juri suo conjugali, quia
eede-

cederet id in præjudicium boni communis prolium, & convenientem generis humani propagationem everteret, adeoque jus illud potius eſt res prolis, quàm mariti, ne uxor cum alio commiſceatur. Ob eandem rationem non poteſt uxor à ſe, nec maritus ab ea tollere obligationem abſtinendi à copula cum non ſuo.

PROPOSITIO XLIX.
ab Alex. VIII. ord. 25.

Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

Exponitur. Iconoclaſtæ olim contendebant, 106. cultum imaginum ſacrarum eſſe idololatriam, *Expoſitio.* ſed condemnati ſunt à Synodo Generali VII. anno 787. ſub Adriano Papa; Lutherani deinde deteſtati illum cultum relinquebant imagines in templo ad ornatum duntaxat; Calviniſtæ ſolùm in domibus; ſed condemnati ſunt à Tridentino, definiente, imagines Chriſti, Deiparæ, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas eſſe. eisque debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Et quamvis illis verbis non comprehendat imagines Dei, permittit tamen hiſtorias, ac narrationes Sacræ Scripturæ figuris exprimere, dummodo populus doceatur, non propterea divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, aut figuris exprimi poſſit; verùm, cùm de iis nihil definiverit, hinc in præſenti propoſitione ſolùm dicitur, nefas eſſe Dei Patris ſedentis ſimulacrum in templis collocare: quod etiam Calvinus, & Wicleffus aſſerebant de imaginibus Sanctiſſimæ Trinitatis; imò & Durandus in 3. d. 9.

q. 2.

q. 2. ad 4. dicit: Vanum esse, imagines Sanctissimæ Trinitatis facere, & venerari. Quod etiam docuit Abulensis, & Ayal apud Suar. disp. 54. de Incar. §. 2.

107. *Falsitas.* Ostenditur falsitas: nam Deus imagine exprimi sic potest, ùt teste Scripturâ sæpe apparuit; apparuit autem sæpe in figura corporea: nam Genesis 3. visus est in paradiso deambulans ad auram. Exod. 33. loquens cum Moyse Danielis 7. tanquam antiquus dierum sedens. Matthæi 3. Spiritus S. in figura columbæ. Gen. 18. Abraham tres vidit, & unum adoravit. Cur ergo non liceat imagines Dei ùt sedentis, & Sanctissimæ Trinitatis in templis collocare, ut rudibus sint libri historiarum, & beneficiorum Dei, easque venerando Deus, colatur, & adoretur, non ut credatur esse corporeus, aut ab aliquibus locis absens? Nec obstat, quòd Scriptura videatur variis locis prohibere effingere imaginem Dei: nam sculptilia prohibet fieri in eum finem, ut adorentur more Gentilium, credendo Divinitatem quandam iis inesse; Judæis autem prohibuit Deus ob periculum labendi in idololatriam, quod inter Christianos cessat. Plura de his vide apud Polemicos, & Scholasticos.

PROPOSITIO L.
ab Alex. VIII. ord. 24.

Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccato, sufficienter testantur, quòd indiguerit puri-

purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundùm verba Legis.

Exponitur. In lege veteri mulier, post expletos à partu dies purificationis suæ, tenebatur offerre agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, sive turturem pro peccato, ùt habetur Levitici 12. & ita mundabatur à profluvio sanguinis sui: mulier autem, quæ suscepto semine pepererat masculum, immunda erat septem diebus, & circumciso octavo die infantulo, debebat manere 33. diebus in sanguine purificationis suæ; cùm autem S. Lucas cap. 2. de Deipara dicit: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, & ut darent hostiam, secundùm quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*; Existimârunt aliqui, B. Virg. indiguisse purificatione, eò quòd injunctam oblationem fecerit. 108. *Expositio.*

Id quod in hac Thesi damnatur; & justè: nam Beata Virgo nec eâ indigebat, aut lege tenebatur ob maculam ullam realem, sive in Conceptione Filii Dei, sive aliàs contractam, ùt consensus est omnium Fidelium; neque ob maculam aliquam legalem, quam contrahebant aliæ puerperæ, ob immunditiam puerperio conjunctam, ortamque ex peccato originali, ideoque vocabantur peccatum: nam B. V. suum Unigenitum peperit ùt Sidus radium illæsa, totaque munda: sordes enim tantæ Matris, & tanti Filii dedecebant dignitatem; neque ob maculam legalem ex præsumptione legis: Lex enim loquitur de muliere, quæ suscepto semine peperit 109. *Ostenditur falsitas.*

masculum, qui vulvam aperuit, quorum neutrum locum habuit in Beatissima Virgine Matre: voluit tamen hæc servare præscripta legis in exemplum humilitatis, & obedientiæ promptæ, atque ad vitandum scandalum, imitata dilectum Filium suum, qui Legi Circumcisionis, cui non suberat, se subjecit. Testimonia PP. videre licet apud Suar. Tr. 2. de Incarnatione disp. 5.

PROPOSITIO LI.
ab Alex. VIII. ord. 26.

Laus, quæ defertur Mariæ, ùt Mariæ, vana est.

110. *Expositio.* Exponitur. Leo Isauricus primùm post Gentiles antiquos, & Mahumetanos, deinde Constantinus Copronymus detestati sunt B. Virginis & Sanctorum cultum, B. Virginem cultu quidem dignam fuisse, quamdiu Christum in utero gestabat, utpote tunc vivum templum Dei, non verò postea alio, quàm sint cæteræ mulieres, adoque Mariæ ùt Mariæ laudem, & cultum non convenire, nisi civilem. Idem docuerunt postmodum Wicleffistæ, & Calvinus. Atque ab

111. *Repugnat sensui Ecclesiæ & rationi.* his originem duxit præsens Thesis, quæ repugnat 1mò communi Ecclesiæ sensui, & praxi, ùt experientiâ liquet. *Sileat misericordiam tuam,* rectè inquit S. Bern. s. 4. de Ass. Virginis, *Virgo, si quis est, qui te invocatam in necessitatibus meminit defuisse.* Et S. Aug. *Quid nos tantilli, quid actione pusilli ejus laudibus referemus? cùm, etiamsi omnium nostrûm ora verterentur in linguas, eam tamen laudare nullus sufficeret.* Repugnat 2dò rationi: nam si laus, honor, sub-

submiſſio, quæ defertur ob excellentiam civilem, vel naturalem homini, ex fine debito vana non ſit; quomodo vana erit laus, honor, cultus, qui defertur Beatiſſimæ Virgini ob excellentiam ſupernaturalem, quæ ſuperavit omnes Angelos, & Sanctos ſimul ſumptos, vana erit, & inutilis ad ſalutem. Confirmatur: Nullus actus ſupernaturalis virtutis poteſt eſſe vanus, & inutilis ad ſalutem; atqui laudare, colere Mariam, ùt Mariam ſeu Dominam, erit actus ſupernaturalis virtutis: colitur enim propter excellentiam ex maternitate Dei cognitam cognitione ſupernaturali.

PROPOSITIO LII.
ab Alex. VII. ord. 21.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

Hanc Theſin docuerunt Lucas de Penna, Roſella, Angelus, Lopetz, & alii apud Sanch. l. 2. conſ. cap. 2. ſed malè: nam onus recitandi Horas eſt onus perſonale, ſicut onus audiendi Miſſam, jejunandi, &c. poteſtque impleri ab abſente à beneficio, ſecus, ac obligatio reſidendi. 112. *Contra: obligatio eſt perſonalis.*

PROPOSITIO LIII.
ab Alex. VII. ord. 34.

In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

113. Cùm Pius V. in Bulla, Breviario præfixâ, in virtute Sanctæ Obedientiæ præceperit, ut obligati ad HorasCanonicas eas recitent juxta ritum in Breviario illo præscriptum, declarando, secus facientes non satisfacere præcepto; sequitur, peccare mortaliter, qui notabiliter, & quoad substantiam ab illa forma recedunt; venialiter verò solùm, qui eam tantùm accidentaliter, & non notabiliter violant; sed difficultas est inter Theologos, quandonam violetur substantialiter, quando verò tantùm accidentaliter, & non notabiliter. 1mò. Aliqui, quos referam p. 2. n. 260. putant, mutationem officii in aliud quodcunque officium etiam majus, esse substantialem, & mortalem, eò quòd hoc die hi Psalmi, hæ orationes, hæ lectiones præcipiantur. 2dò. Alii tenent, quamcunque mutationem officii in officium esse accidentalem, & levem, eò quòd in quolibet habeatur ritus præscriptus, nempe septem Horæ, Psalmi, lectiones, orationes; pauci tamen excusant à mortali, si talis mutatio fiat frequenter, quia censetur adesse virtualis contemptus, quod Suar. censet, quotiescunque mutatur officium in fraudem cum officio notabiliter breviore; Vasquez verò solùm, quotiescunque frequenter mutatur. Excipiunt tamen Officium Paschale, & Pentecostale. 3tiò. Solus Caramuel eò progressus est, ut dixerit, Officium Resurrectionis, & Pentecostes recitari posse absque mortali quovis anni die pro alio; quæ sententia, quam Caramuel in secunda editione retractavit, ex Ecclesia proscripta est. Cujus ratio videtur esse, quia Officium de Resurrectione continet in unico, quem habet, Nocturno tantùm tres Psalmos, adeoque habet formam extraordinariam, & substantialiter

Contra: tale officium non habet formam ordinariam.

ter diversam, uti & Vesperæ in Sabbato sancto, quæ unicum habent Psalmum brevissimum. Vide dicenda p. 2. num. citato. Dicta etiam valent de Officio Pentecostali, quia, ubi est eadem ratio, ibi eadem est legis dispositio, non extensivè quidem, attamen comprehensivè.

PROPOSITIO LIV.
ab Eod. ord. 35.

Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

Caramuel in sua Theologia fundamentali fundamento 31. inquirit, an, qui v. g. hodie recitavit Horas minores cum Vesperis, & Completorio, dilato Matutino cum Laudibus in Vesperum, possit obligationi hodie & cras recitandi satisfacere, hodie recitato Matutino cum Laudibus, pro hodierna, & crastina die, sicut potest unius Missæ auditione satisfieri die festo cadente in Dominicam, præcepto audiendi Missam die festo, & Dominico; & obligatus voto dandi eleëmosynam potest proximo in extrema necessitate constituto unâ eleëmosynâ utrique obligationi satisfacere. Atque hinc originem duxit propositio præsens, quæ meritò damnata est, quia onus recitandi Officium Canonicum sic affixum est diei, ut pro quolibet die totum sit recitandum: unde, licèt quis possit hodie manè recitare Matutinum, & Laudes pro hodierna die, & vesperi Matutinum cum Laudibus pro altera die, sic ut altero die non teneatur recitare Matutinum, tamen non potest recitare hodie vespere Matutinum, ita ut satisfaciat pro hodierna,

114. *Singulis diebus debetur officium integrum.*

dierna, & craſtina die. Exempla, quæ afferuntur, ad rem non ſunt. nam Eccleſia tantùm præcipit præſentiam in Miſſa die feſto; & vovens eleëmoſynam non excepit extremam neceſſitatem, ùt ſuppono.

PROPOSITIO LV.
ab Inn. XI. ord. 54.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

115. *Sententia varia.* Hanc propoſitionem docuerunt Navarrus in cap. *Quando*. de Conſecratione, diſt. 1. cap. ſuo 11. Diana p. 4. tr. 4 reſolut. 225. Caramuel, & alii apud Tamb. l. 2. in Decal. cap. 5. §. 8. contendentes, neminem teneri ad partem minorem Horarum, ſi non poſſit recitare majorem, tum, quòd ex cap. 1. *De iis, quæ fiunt a majore parte*, major pars trahat ad ſe minorem; & ex vulgari, *Acceſſorium ſequatur principale*; tum, quòd ſic videatur conſuetudine receptum, tum denique, quòd totum officium præcipiatur indiviſibiliter, adeoque, qui partem majorem non poſſit recitare, non teneatur ad minorem. Confirmatur ex Navarro, quia non datur obligatio recitandi quamcunque minimam partem, quam quis tantùm poſſit recitare: ergo.

116. *Contra: Singulæ Horæ ſunt perfecta integra oratio.* *Oſtenditur falſitas*: nam, licèt officium cujusque diei ſit materia integra præcepti; tamen ſingulæ Horæ ſunt integra vera oratio ſeparabilis, ita ut finis præcepti per ejus recitationem ex parte impleatur: ergo ad illam eſt obligatio: ſicut, qui non poteſt ſolvere totum debitum, tene-

tenetur ad partem divisibilem, quam solvere potest. Et ideo habet communis sententia, quòd, qui in meridie suscipit Subdiaconatum, teneatur ad reliquas Horas. Confirmatur. Si verum esset fundamentum primarium prioris sententiæ; ergo, qui non posset recitare Completorium, ad nihil teneretur; hoc autem nemo dicet. Atque hinc ruunt argumenta adversæ partis: nam in eo Canone solùm dicitur, quòd major pars suffragiorum trahat ad se minorem in electione, non verò, quòd, qui majorem partem præcepti in materia divisibili non potest ponere, non teneatur ad minorem, in qua finis legis partialiter impleri potest: illud autem axioma: *Accessorium sequitur principale*, non tenet in omnibus, præsertim, quando principale, & accessorium separari possunt. Sic, qui ovem cum agno promisit, si ovem dare non possit, adhuc tenetur ad agnum. Non esse autem consuetudine receptam illam sententiam, patet ex communi sensu. Quod attinet ad id, an, qui non potest totam Horam, potest tamen partem notabilem recitare, teneatur ad partem, non convenit inter AA. Cardenas putat, totum Officium, & singulas Horas præcipi divisibiliter, adeoque esse obligationem ad partem notabilem Horæ, si eam possis, etsi non possis totam Horam recitare. Communior autem cum Suar. de Relig. Tr. 2. l. 4. cap. 28. n. 26. Sanch. & aliis tenet, singulas Horas præcipi velut materiam individuam, & tanquam unam actionem perfectam, per consequens eum, qui nequit majorem Horæ partem recitare, non teneri ad minorem; etiam notabilem, quam recitare posset, v. g. qui potest solùm Lectiones Matutini recitare, non verò Psalmos, non teneri ad Lectiones;

nes; qui verò potest recitare Psalmos, non verò Lectiones, teneri ad Psalmos. In hac controversia spectanda est mens legislatoris, an nempe verisimiliter intenderit præcipere partem, dum non potest impleri omne, quod substat præcepto. Vide p. 1. n. 163.

PROPOSITIO LVI.
ab Inn. XI. ord. 52.

Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

Hujus Thesis falsitas constat satis ex dictis num. 99.

PROPOSITIO LVII.
ab Eod. ord. 53.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

117. *Contra. Præcipitur Missa, etiam ut ceremonia sacra succesiva.* Pro hac Thesi Diana p. 10. tr. 15. res. 3. & p. 2. tr. 17. res. 18. refert Authores aliquos; sed meritò damnatur, quia præcipitur Missa etiam, ùt est sacra ceremonia; sic autem accepta importat partes successivas, quæ proinde successivè audiendæ sunt. At sic eas non audit, qui plures partes audit simul à diversis Sacerdotibus. Vide p. 2. n. 284. & Prodromum n. 22.

***

PRO-

PROPOSITIO LVIII.
ab Inn. XI. ord. 24.

Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

Gofredus apud Angelum V. *Perjurium.* do- 118.
cuit, perjurium jocosum non esse peccatum *Contra.*
mortale; immeritò autem Scoto in 3. d. 39. *Est gra-*
q. 1. attribuitur illa sententia, quia, ùt Suar. *vis irre-*
cum exponit, locutus est de perjurio ex semiple- *veren-*
na advertentia facto: est enim Thesis nimis ma- *tia.*
nifestè falsa, quàm ut tanto Doctori in mentem venire potuerit, nam vellet Deum sic jurans esse testem falsi, quæ est gravis irreverentia contra Dei veracitatem.

PROPOSITIO LIX.
ab Inn. XI. ord. 25.

Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Hæc Thesis adscribitur Tamburino, quil. 3. 119.
cap. 2. ait: Certum est, jurare sine animo ju- *Contra.*
randi non esse licitum sine causa, licitum esse *est men-*
cum causa, juxta ea, quæ diximus cap. 2. §. 2. *dacium,*
At, quia locus, ad quem remittit, desideratur, *& abu-*
de mente ejus satis constare non potest. Quid- *sus divi-*
quid sit, Thesis falsa est: nam est mendacium, & *ni no-*
usurpatio divini nominis in vanum; ergo sem- *minis,*
per est illicitum: antecedens patet, sicut enim mentitur, qui dicit, sine animo donandi: dono;

sic & qui sine animo jurandi dicit: Juro. Vide p. 2. num. 310.

PROPOSITIO LX.
ab Inn. XI. ord. 26.

Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

PROPOSITIO LXI.
ab Innoc. XI. ord. 27.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

Utraque hæc Thesis meritò proscripta est,
120. quia loquitur vel de restrictione purè mentali
Est mendacium. tantùm, vel hanc simul comprehendit; certum autem est, non licere uti ob ullam causam restrictione purè mentali, seu ita loqui, ut sensus, quem in mente alium retinet, & in quo intendit loqui, nec ex verbis, nec ex circumstantiis humano

mano modo possit intelligi : est enim mendacium verba menti, quæ intelligi non possit, vel ex ipsis secundùm se, vel sumptis cum circumstantiis, non conformare, adeoque, qui ita jurat, non tantùm mendax, sed etiam perjurus est. Vide p. 2. à num. 240.

PROPOSITIO LXII.
ab Inn. XI. *ord.* 28.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Non convenit inter Doctores, quæ sententia in hac Thesi proscribatur : Lumbier, & Cardenas hìc n. 89. censent proscribi solam restrictionem mentalem, de qua loquuntur duæ Theses antecedentes : verùm, cùm in antecedentibus restrictio purè mentalis proscripta sit, tanquam non excusans à mendacio, & perjurio, non apparet, inquit Viva, cur iterum proscribatur ea duntaxat. Ast damnari idem quandoque bis, quandoque sæpius sub aliis terminis, patet legenti propositiones Baji, & Quesnelli. Filguera apud Cardenas putat proscribi opinionem, quæ asserit non dari obligationem Judici interroganti crimen occultum fatendi, verùm ea sententia solùm asserit, non esse obligationem fatendi crimen, quando Judex non interro- 121. *Controversia de sensu.*

gat

gat juridicè, quò requiritur semiplena probatio, vel æquivalens, si inquiratur de delicto in ordine ad punitionem ejus, atque hæc sententia stat inconcussa: uti & in sua probabilitate manet, quæ asserit, quòd Reus non teneatur fateri crimen capitale, etsi juridicè interrogetur, quando adest spes evadendi, eò quòd præceptum humanum non videatur tunc posse obligare, nisi bonum commune aliud exigat. Viva hìc sub n. 3. tenet, damnari etiam restrictionis non purè mentalis usum in hoc, similive casu. Quamvis liceat uti restrictione non purè mentali, quando Judex non interrogat juridicè: secus tamen est, si juridicè interroget, in casu autem præsenti videtur juridicè interrogare, etsi non præcesserit semiplena probatio, seu per testem, seu per æquivalentia indicia, quia juramentum, & confessio non exigitur in ordine ad punitionem delicti, sed ad avertendum à Republica damnum, quod sequeretur, si per munera indigni ad Officia publica promoverentur, quo casu prorsus illicita est responsio æquivoca, juramentumque additum foret perjurium, ùt habet sententia communissima, adeo ut Auctor damnatæ præsentis Thesis non constet. Fuit, qui existimavit, Auctorem esse Lessium, qui l. 2. cap. 42. n. 48. docuit, quòd mediante munere electus ad Prælaturam possit coram Judice negare delictum cum restrictione mentali, eò quòd non teneatur fateri crimen occultum, ubi non habetur infamia, vel semiplena probatio, aut indicia æquivalentia; verùm Lessius non loquitur de casu hujus Thesis, in quo Judex interrogando non in punitionem delicti, juridicè interrogat, etsi non adsit semiplena probatio, sed in casu, quo Judex non interrogat juridicè, & in quo ad hoc

hoc requiritur semiplena probatio: nam cap. 31. num. 9. apertè docet, quòd si interrogatio non tendat ad punitionem delicti, subditus teneatur fateri veritatem etiam de occultis, etsi nulla præcesserit infamia, vel semiplena probatio, aut indicia, vel saltem teneatur abstinere ab eo, ex quo est periculum peccati, vel damni communis, ùt, cùm ordinandus interrogatur de legitimis natalibus, censuris, irregularitate: aut inituri matrimonium interrogantur de impedimentis. Unde in hoc passus non est Lessius.

Verùm quisquis Theseos relatæ sit Auctor, non subsistit: si enim sermo sit, ut vult Cardenas de restrictione tantùm purè mentali, constat ex dictis, sustineri non posse, si autem intelligatur de restrictione etiam non purè mentali in sensu universali, comprehendente casum, quo promotus interrogatur non delicti puniendi, sed boni publici causâ, ùt fieri solet, etiam probari non potest: nam tunc interrogatio legitima est, cùm bonum commune privato sit præferendum, omnesque in legem exigendi juramentum ab iis, qui ad officia publica admittuntur, amore boni communis consentire teneantur, ut proinde sibi onus illud imputare debeant, qui muneribus ad ea sibi aditum aperuerunt. Quòd si interrogatio aliquando fieret in punitionem delicti, non esset juridica, si non præcesserit semiplena probatio, quia æquitas humana postulat, ut Reus non adigatur ad crimen occultum manifestandum in suî punitionem, nisi adsit semiplena probatio, esset enim id nimis arduum. 122. *Ostenditur falsitas.*

Dices: Præceptum humanum non obligat cum gravi onere; atqui est onus gravissimum proprium delictum occultum manifestare, quando nulla infamia, vel probatio, aut indicia præcesse- 123. *Objectio solvitur.*

cesserunt: ergo. Resp. viva Neg. min. Nam Judex non exigit determinatè, ut delictum fateatur, sed ut vel ab officio admittendo abstineat, vel delictum fateatur; sicut, quando Episcopus inquirit in defectum ordinandi, vel Parochus in impedimenta matrimonii non exigit, ut se infament, sed ut vel abstineant ab ordinibus, aut matrimonio, aut defectum, vel impedimentum fateantur, ut consulatur bono communi attendendum an infligatur pœna. Hinc deduces.

124. *Corollaria.* 1mò. Perjuros esse promovendos ad Gradum Doctoratûs, &c. Si, ubi ex speciali statuto requiritur certum tempus studii ante ejus susceptionem, jurent etiam cum restrictione non purè mentali se implevisse tempus, & non impleverint. 2dò. Si Candidatus officii publici jam electus proponat desistere ab illo, potest cum æquivocatione crimen occultum negare, juxta Vasq. Salas, Sanch. l. 3. de Matrimonio disp. 14. Ratio est, quia tunc respondet ad mentem interrogantis, & exigentis juramentum. Hic enim non intendit infamiam, aut punitionem, sed ne in detrimentum Reipublicæ indignis ob munera, & commendationes conferantur officia publica, id quod obtinet, si Candidatus officio renuntiet. Quòd si ex intentione renuntiandi negâsset delictum, & tamen postea non renuntiaret, putat Viva, fore perjurum, non ponendo, ad quod ex eo juramento obligatur, quia juravit, se non procurâsse per munera sibi aditum ad officium, ita, ut velit ad id admitti. 3tiò. Si electio obtenta muneribus fuit nulla, negans delictum, tenetur, utpote invalidè electus, dimittere officium antè, si verò fuit valida, solùm post sententiam Judicis. 4tò. Pœnitens à Confessario interrogatus de consuetudine, circumstantiis

ſtantiis peccati, quantitate furti non poteſt æquivocatione celare veritatem, quia Confeſſarius, ùt medicus, & Judex, interrogat legitimè ad vitanda delicta. Hinc, licèt ea non teneatur ſubjicere clavibus, tenetur tamen candidè reſpondere. Vide Suar. de Leg. l. 5. c. 9.

PROPOSITIO LXIII.
ab Alex. VII. ord. 21.

Non eſt contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, interveniente pecuniâ, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Hæc Theſis loquitur de iis, qui pro arbitrio poſſunt beneficia conferre uni præ altero, & aſſerit pro electione hujus præ alio, ſine injuſtitia poſſe aliquid exigi, ita ut vendatur non beneficium, ſed arbitrium, ſeu electio unius præ alio, quod ſine injuſtitia fieri poſſe docuit Vincentius Candidus T. 1mo, de Beneficiis, diſquiſit. 18. a. 39. Verùm rectè damnatur illa opinio: nam imprimis beneficia non ſunt Collatorum, Patronorum. vel Electorum, ſed jus præſentandi, eligendi, conferendi eà lege acceperunt, ut ea conferant gratìs: ergo exigendo pecuniam pro collatione, vel præſentatione, aut electione, acciperent pretium, nihil viciſſim dando de ſuo; quæ eſt manifèſta injuſtitia. Dein, quòd conferant alicui præ alio, non eſt pretio æſtimabile, cùm ex officio debeatur non ſolùm collatio, electio, præſentatio ex juſtitia communitati, ſed etiam

125. *Contra. Collator nihil confert de ſuo.*

etiam præsentatio, electio, &c. unius præ alio, & collator uni præ alio conferens nihil det de suo, & pretium tamen admittat. Denique pro jure ad temporalia, quæ ex beneficio proveniunt, nihil admitti potest, quin vendatur spirituale, uti dicetur p. 2. num. 486. spirituale autem est supra, & extra omne pretium temporale.

PROPOSITIO LXIV. *ab Alex. XI. ord. 47.*

Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primò videtur per hoc *Digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

126. *Contra. Verba Trid. in sensu proprio sunt accipienda* Hanc Thesin docuerunt quidam apud Dianam p. 11. tr. 4. res. 34. & p. 2. tr. 15. resolut. 40. sed sine solido fundamento: nam Trident. Sess. 24. cap. 1. gravissimis verbis inculcat necessitatem promovendi digniores ad curam Ecclesiasticam, & declarat, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui digniores neglexerint, ut immeritò hæc vox *Digniores* detorqueatur ad significandum gradum positivum, aut

aut reſtringatur obligatio ad concurſum; vel ad excludendos indignos. Et quamvis Trident. ſignanter ſolùm loquatur de Epiſcopatu, & Cardinalatu; tamen etiam intelligendum eſt de Prælaturis Regularibus, & Beneficiis, præſertim Curatis, quia eadem eſt ratio: nam, ſi prætereatur dignior, committitur vitium acceptionis perſonarum, violatur juſtitia diſtributiva in re gravi, animæ fidelium patiuntur, minùs curantur, quàm quiſque curat ſua temporalia, cùm quiſque pro iis ſeligat ſibi famulos præſtantiores. Vide p. 2. n. 400.

PROPOSITIO LXV.
ab Inn. XI. ord. 45.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam, quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali; aut è contra.

PROPOSITIO LXVI.
ab Eod. ord. 46.

Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò, etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

127. *Contra. Ordinariè intervenit pactum.*

Expoſitio. Cùm ad Simoniam requiratur pactum ſaltem implicitum, & inchoatum, ex quo

intenditur, vel datur temporale pro spirituali, vel contra ; rem non rectè expendenti videri posset, Simoniam in Thesi præsertim prima non subesse, verùm, ùt monui supra, advertendum, posse aliqua speculativè videri, peccato non obnoxia ; quæ tamen in praxi præsens semper habent adjunctum periculum proximum peccati, ideoque exigunt prohiberi.

128. *Prohibita ob periculum.* Atq; ejusmodi sunt præsentes propositiones ; vix enim in earum praxi abesse potest pactum saltem implicitum, & inchoatum, dum temporale datur tanquam motivum intrinsecum conferendi beneficii, multò magis, si sit motivum principale, vel finis rei spiritualis, &c.

Sed de his vide p. 2. à num. 473.





PARS III.

DE JURE, ET JUSTITIA.

PROPOSITIO I.
ab Alex. VII. ord. 19.

Non peccat maritus occidendo propriâ authoritate uxorem, in adulterio deprehensam.

Hanc Thesin docuerunt plures Juristæ cum 129.
Gomez, & apud Lugo de Justit. d. 10. num. 85. *Contra.*
probabilem dixerunt Fagundez, Sa, & plures *Occide-*
Salmanticenses apud eundem Lugo, fundantes *ret au-*
se in legibus quibusdam civilibus. Verùm, li- *thorita-*
cèt hæ marito occidenti in adulterio impunitatem *te pri-*
concedant, eò quòd præsumatur ex vehementis- *vatâ.*
simo dolore sine plena libertate processisse; nullatenus tamen concedunt ei, nec concedere potuerunt, facultatem eam licitè occidendi: recta enim ratio vetat inauditum, extra necessitatem tuendi se, occidere, & mittere in æternitatem cum certo periculo æternæ damnationis. Unde Nicolaus I. Papa Cap. *Inter hæc* 33. q. 2. ait, non licere secundùm leges Ecclesiasticas uxorem adulteram interficere. Datur quidem aliquando potestas occidendi Bannitos, & transfugas; sed tunc vel eorum causa est examinata, & judicata, vel bonum commune id exigit ob gravia damna, quæ aliter impediri non possunt. Nihil simile est in casu nostro. Nec juvat, quòd

in lege veteri Deus potestatem fecerit consanguineis occisi occidendi ejus interfectorem, ùt habetur Numeror. 35. his verbis : *Cognatus occisi statim, ut invenerit eum jugulabit.* Nam Deus, ùt Dominus vitæ, hanc potestatem contulit, ùt putant aliqui, vel, ut occideret eùm cognatus post latam sententiam, ùt putat Lyranus: quamvis enim Scriptura id non exprimat, tamen subintelligitur utpote necessarium, præsertim, cùm ibidem dicatur : *Homicida sub testibus punietur; ad unius testimonium nullus condemnabitur.*

PROPOSITIO II.
ab Alex. VII. ord. 17.

Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

PROPOSITIO III.
ab Alex. VII. ord. 18.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damna vitare.

PRO-

PROPOSITIO IV.
ab Inn. XI. ord. 30.

Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

PROPOSITIO V.
ab Inn. XI. ord. 31.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

PROPOSITIO VI.
ab Eod. ord. 32.

Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

PROPOSITIO VII.
ab Eod. ord. 33.

Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra

tra eorum possessionem injustè impedientem.

130. *Repugnant juri naturæ.* Hæ propositiones viam aperiunt innumeris cædibus, & ideo jure naturæ debuerunt prohiberi, meritoque damnatæ sunt. Primam tamen docuerunt Sayr, Navar. Joan. Sanch. Caramuel apud Mendo diss. 4. q. 2. 2dam docuerunt non pauci cum Molina, Nav. Bannez, Tann. apud Dianam p. 5. tr. 4. resol. 7. 3tiam Bonac. dis. 2. de Contract. q. ult. §. 1. pu. 10. Nav. & alii; sed omnes falsæ sunt, & juri naturæ repugnant. 4ta tribuitur Molinæ T. 4. tr. 3. d. 16. & Bonacinæ l. c. Sed hi loquuntur de rapina cum magna contumelia, & violentia; non de simplici furto unius aurei, ob quem occidere hominem inhumanum foret, & crudele. 5ta & 6ta discutitur ab Amico d. 36. de Justit. §. 8. num. 31. & 132. & meritò utraque improbatur, tum, quia dat occasionem cædibus iniquis, tum & quia per Judicem injuria propulsari potest. De his vide p. 3. à n. 370.

PROPOSITIO VIII.
ab Inn. XI. ord. 34.

Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

PROPOSITIO IX.
ab Eod. ord. 35.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali: & tunc primò incipere can-

candem habere, cùm paritur, & consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi.

Hæ Theses si reciperentur, viam sternerent 131.
1. Ad fornicationes. 2. Ad homicidia. 3. Ce- *Contra:*
derent in grave præjudicium generis humani. *Est in-*
Nam, si liceret procurare abortum fœtûs inani- *trinsecè*
mati, ne puella infametur; frequentarentur *malum.*
fornicationes, à quibus nunc timore infamiæ deterrentur, essetque remedium facilè infamiam declinandi, cumque incertum sit, quando fœtus animetur, persuasio fœtum necdum esse animatum, induceret ad expellendum reipsâ animatum. Dein bonum propagationis generis humani exigit, ut nec inchoatam generationem destruere liceat, estque expulsio fœtûs etiam inanimati eatenus homicidium, quatenus proximè, & immediatè vitam hominis impedit. Quare, ne hoc passim fiat etiam â conjugibus, timore, ne prolibus graventur, jure naturæ prohiberi debuit. Et non licet, etsi puella occidenda esset. Præterea Thesis 2da duo deliramenta continet, unum speculativum, dicens, probabiliter fœtum non animari animâ rationali ante nativitatem; alterum practicum, asserendo ob probabilitatem illam in nullo abortu homicidium committi. Primum falsum est, nam, ùt dicitur Luc. 1. Joannes Baptista exultavit in utero, repletus est Spiritu S. Psal. 50. dicit David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Quæ verificari non possunt sine anima rationali. Et ratio est: quia, quando adsunt in Embrione dispositiones ad operationes sensitivas, nullum est fundamentum negandi adesse animam rationalem. Experiuntur enim

prægnantes fœtum in utero moveri: & hinc, qui fœtum animatum (secus est de inanimato) expellunt, incurrunt excommunicationem, & irregularitatem; censentur Martyres, qui in odium fidei in utero matris occiduntur; baptizantur fœtus præmaturi, qui ex matris secto utero in lucem protrahuntur. Vide p. 3. n. 375.

PROPOSITIO X.
ab Alex. VII. ord. 2.

Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

132. *Contra: Est quoque malum intrinsecè.* Hanc Thesin olim quidam docuerunt, teste Bannez 2. 2. q. 64. a. 7. & Sanch. l. 2. Summæ cap. 39. & deinde deducta fuit in praxin cum multorum pernicie. Repugnat autem juri naturæ secundùm dicenda p. 3. num. 380. & suam, & proximi vitam periculo extremo committere, ne timiditatis nota incurratur, cùm, si acceptans duellum sive occidatur sive alium occidat, graviorem infamiam incurrat, & laudem mereatur apud omnes prudentes, si offerentis duellum insaniæ non obsequatur.

PROPOSITIO XI.
Ab Inn. XI. ord. 40.

Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri.

133. Mohatra, seu Barata, vox Hispanica, significat

cat contractum, quo mercator indigenti pecuniâ creditò vendit merces summo pretio, cum pacto, ut eas sibi revendat infimo, v. g. Cajus egens pecuniâ adit mercatorem, qui, nolens date mutuam, ad creditum vendit merces summo pretio v. g. 105. cum pacto ut sibi Cajus easdem revendat pretio infimo v. g. 100. hic contractus condemnatur, præscindendo quidem, an solùm charitati, vel etiam justitiæ repugnet; habet tamen communis sententia, quòd etiam repugnet justitiæ, quia est tantùm apparens venditio, & reipsâ quæritur lucrum præcisè ratione mutui. Et quamvis reipsâ venditio foret, contractus is nihilominus esset injustus: nam merces venduntur summo pretio, & insuper imponitur onus eas infimo retrovendendi, quod, cùm pretio æstimabile sit, compensari deberet, ut staret æqualitas; hoc autem cùm non fiat, violatur justitia. Nec juvat, quòd Cajus fortè venditurus sit merces alteri pretio infimo, ut suam indigentiam pecuniâ ex iis comparatâ sublevet: nam mercator ademit ei libertatem vendendi eas alteri benigniori, plus pro iis soluturo, quem facilè invenire poterit. Si pactum etiam implicitum abfuisset, ut Cajus eas revenderet mercatori, sed libertas relicta vendendi unicuique foret, & Cajus venderet eas pretio justo infimo mercatori, sicut aliis erat venditurus, nulla interveniret injustitia, si mercator, qui eas vendidit summo justo pretio, redimeret eas infimo.

Repugnat charitati, & justitiæ.



PROPOSITIO XII.
ab Inn. XI. ord. 41.

Cùm numerata pecunia sit pretiosior numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

PROPOSITIO XIII.
ab Eod. ord. 42.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm, si exigatur tanquam ex justitia debitum.

PROPOSITIO XIV.
ab Alex. VII. ord. 42.

Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

134. *Sine fundamento via aperitur usuris.* Primam ex his propositionibus docuit Caramuel non bene citans pro ea alios Auctores. Probatur ejus falsitas; quia, secluso periculo amittendæ sortis, lucri cessantis, & damni emergentis, quibus seclusis mutuum considerari debet; pecunia præsens non est pretiosior, quàm futura; ergo eo titulo nihil exigi potest. Antecedens

cedens patet: nam, si pecuniam tuam eras servaturus otiosam in scrinio, nihil interest, an apud te sit, an apud Cajum, ubi nullum imminet periculum, imò est meliori loco: si enim pereat, perit Cajo. In tantum quisque mavult habere pecuniam præsentem, quàm futuram, in quantum servit quotidianis usibus, necessitatibus, & commoditatibus; at ubi nullius est incommodi periculum, non est pretiosior pecunia præsens, quàm absens: Et in præsenti irrationabile foret solatium. Confirmatur. Si Thesis vera foret, non posset dari usura accipiendo aliquid proportionatum præcisè ideo, quia pecunia præsens est pretiosior absente; consequens est falsum. Sic enim semper practicari posset.

Thesin 2dam docuerunt aliqui apud Dianam. p. 1. tr. 8. res. 62. & p. 11. tr. 7. res. 23. opinati, licitum esse, nolle dare mutuum, donec mutuatarius promittat, se daturum auctarium ex gratitudine. Sed hæc Thesis meritò proscripta est, tum quia imponit onus novum justitiæ ex mutuo præstandum, quod mutuo non inest, & est extra limites gratitudinis, quæ non obligat ad quid determinatum; tum quia aperit viam innumeris usuris: quilibet enim dando mutuum pacisci posset de auctario dando ex gratitudine.

Thesin 3tiam docuerunt apud Viva, Medina, Serra, Bassæus, de La Crux, Velascus, Ledesma contra communissimam Theologorum cum Lessio, Lugone, Layman, &c. Probatur falsitas à posteriori: quia, si illa opinio subsisteret, aperiretur iterum ostium immensum palliatis usuris: quilibet enim mutuans posset dicere, quòd det mutuo gratis per dies aliquot. Deinde, quòd auctarium velit pro obligatione non

repe-

repetendi v. g. intra medium, vel integrum annum. Rationem à priori dant aliqui, eò quòd obligatio non repetendi per aliquod tempus sit mutuo intrinseca, at non est tamen intrinseca obligatio non repetendi v. g. per decennium: ergo maneret, quòd pro hac obligatione possit exigi auctarium. Ratio videtur esse, quam dat Lugo de Justitia d. 25. s. 3. quia, si secludamus periculum speciale incommodi, & damni, relicto solo periculo remoto, quod est semper, obligatio illa non est pretio æstimabilis, cùm nullum imponat onus; quod non compensetur per hoc, ut mutuatario res pereat, si casu fortuito pereat. Quale enim onus est rem ex obligatione relinquere, apud alterum in statu æquè securo, atque apud se sine omni speciali periculo incommodi, & damni, & cum certitudine æquivalens recipiendi, si casu, vel etiam negligentiâ pereat. Vide p. 3. n. 190.

PROPOSITIO XV. *ab Alex. VII. ord. 43.*

Annuum legatum relictum pro anima non durat plus, quàm per decem annos.

135. *Repugnat intentioni legantis.* Sotus in 4. d. 19. q. 3. a. 2. apud Suar. d. 46. de Pœnit. s. 4. & alii cum Joanne de La Crux, Conrado Rivalda existimârunt, quòd nulla anima in purgatorio detineatur ultra decennium. Hinc Covar. cum aliis docuit, annuum legatum relictum pro anima esse instar usus fructûs, & evoluto decennio cessare: verùm, sicut fundamentum, ità & hæc sententia improbabilis est; nec enim Deus revelavit, nec Ecclesiæ sensus

est,

eſt, nullam animam detineri in purgatorio ultrà decennium. Imò Eccleſia praxi ſuâ oſtendit ſenſum ſuum contrarium. Præterea relinquens legatum pro animâ ſuâ cenſetur velle id prodeſſe aliis animabus, ubi ſuæ prodeſſe amplius non poterit. Unde, etſi probabile eſſet, nullam animam ultrà decennium detineri in purgatorio, tamen non ceſſaret legatum: cui accedit, quòd inducat obligationem juſtitiæ, quam, dum debitum eſt in certa poſſeſſione, opinio probabilis non tollit.

PROPOSITIO XVI.
ab Inn. XI. ord. 43.

Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere?

PROPOSITIO XVII.
ab Eod. ord. 44.

Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alteri, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat, & ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.

Utraque hæc Theſis tribuitur Caramueli, qui in Theologia fundamentali num. 1051. dicit, pro iis ſtare viginti DD. Verùm in Lugdunenſi Editione videtur, ſuam ſententiam revocâſſe, cùm fundamento 61. n. 1823. dicat, falſum crimen imponere teſti ad infirmandum ejus

136. Exceditur moderamen inculpatæ tutelæ.

ejus testimonium esse vindictam in re gravi. Ledesma, Bannez, de La Crux putârunt, non peccari graviter contra justitiam commutativam, à quo præscindit Thesium præsentium damnatio.

Probatur falsitas Thesium 1mò. Vel imponeretur falsum crimen extra judicium, vel in judicio; si primum, imponenti non proderit: ergo sine causa læditur alterius fama: non enim credetur magis imponenti, quàm alteri. Si secundum, debebit probari per testes juratos, aliàs in judicio iis non creditur, adeoque sine gravi perjurio non probabitur. 2dò. Defensio illa non fieret cum moderamine inculpatæ tutelæ, adeoque esset vindicta in materia gravi; nam ad talem defensionem requiritur, ut sit medium unicum, idque certum ad suî defensionem, atqui hoc tale non est: quia aliæ sunt viæ se defendendi: & tali extra judicium, & sine juramento non creditur, imò putabitur talis infamatio procedere ex vindicta, furore, & animi impotentiâ, & confirmabuntur homines, ut potiùs credant primo detractori. Quare nec intra, nec extra judicium licet talis falsi criminis impositio, etiam, ut inhabilis fiat detractor ad faciendam fidem. 3. Talis impositio falsi criminis graviter repugnat justitiæ, ac primò quidem legali: nam violat jus legale Reipublicæ, quod habet, ne decipiatur in judicio, & inducatur ad condemnandum innocentem tanquam reum. Dein repugnat justitiæ commutativæ: nam detractor habet jus ad suam famam in sua innocentia fundatam, non secus, ac ad vitam, quæ non potest ei tolli, nisi id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; jam verò imponens detractori suo falsum crimen, non adhibet moderamen incul-

inculpatæ tutelæ ; ùt jam dictùm est , neque adesse potest tale moderamen , quando fit injuria Reipublicæ ; imò si hoc abesset , attamen quia moraliter impossibile est illud moderamen in præsenti materia servare, & facilè hallucinarentur homines hìc & nunc impositionem falsi criminis esse medium certum, & unicum ; necesse fuit, eam lege naturæ universim prohiberi.

Dices. Non est contra justitiam, mendacio rem suam ab altero injustè possessam recuperare. Item alium privare victu, vel ejus segetem lædere, si hoc sit medium, ut eum avertam ab injusta meî læsione : ergo à pari. Resp. ad primùm Antecedens, id verum esse, si mendacio non lædatur jus alterius, & hinc, qui injustum vitæ suæ invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ubi alius defendendi modus non esset, deduceret, ut in foveam, vel flumen laberetur, non ageret contra justitiam, quia talis invasor non haberet in eo casu jus ad vitam suam ; detractor autem in casu nostro retineret jus ad suam famam, quia ad ejus detractionem elidendam non adhibetur moderamen inculpatæ tutelæ. Ad 2dum. Intendens sic lædere non haberet in eo casu jus ad victum, vel segetem, servareturque moderamen inculpatæ tutelæ ; secus est in casu nostro, in quo etiam extra judicium dicta valent, quia tunc etiam detractor retinet jus ad famam suam fundatam in innocentia vera ; & non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ. 137. *Objectio*

Etiam delictum verum sui detractoris revelare non licet, si non deserviat, nec necessarium sit ad suî defensionem, ùt, si revelatio non reddat detractorem inhabilem ad testificandum in judicio, vel delictum probari non possit, vel 138. *Corollarium.*

sit alia se defendendi via. Ratio est; nam verum etiam alterius delictum tantùm tunc, quando est medium necessarium, licet revelare ad suî defensionem; pro hac licet testis iniqui, contra se agentis, crimen occultum revelare, quia is inhabilis est ad testificandum, adeoque licet eum excludere pro suî defensione: famam enim fundatam tantùm in innocentia existimata tollere est potiùs eam non custodire, quàm lædere, inquit Viva.

PROPOSITIO XVIII. ab Inn. XI. ord. 36.

Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

139. *Furtis ostium panditur.* *Exponitur.* Cùm nemo docuerit, licere aliquando furtum formale, seu ablationem rei alienæ invito rationabiliter domino, supervacaneum fuisset, hoc sensu acceptam Thesin præsentem damnare. Itaque damnatur, permissum esse in quacunque gravi necessitate subducere aliena tunc necessaria, itâ, ut dominus non possit esse rationabiliter invitus, quod plures docuerunt, quos inter recensetur Diana, Con. Vasq. Bonac. Sa, Sylvius, Nav. Less. Tamb. Verùm, si attentè expendantur eorum sententiæ, Less. l. 2. cap. 12. n. 71. Con. Tamb. l. 8. tr. 2. §. 1. n. 2. & alii communius cum Diana p. 2. tr. 17. res. 29. docent, id licere non in quacunque gravi necessitate; sed valde gravi, quæ extremæ, in qua vita periclitatur, æquiparetur, cùm vita miserrima sit ipsâ morte deterior, juxta illud Ecclesiastici 30. *Melior est mors, quàm vita amara.* Atque non hæc sententia, sed, quòd furari permissum sit in quacunque gravi necessi-

necessitate, damnatur, & meritò: cùm enim gravis necessitas dicatur, quæ reddit quidem vitam miseram, non tamen miserrimam, uti, si quis cogatur de statu suo cedere, famem, & nuditatem pati, si liceret in eâ aliena surripere; omnia confunderentur in Republica humana, dum egentes sibi persuaderent, se in gravi esse necessitate, & nullus sua haberet tuta. Aliud est de necessitate extrema, & quasi extrema, de quibus vide p. 3. n. 444.

PROPOSITIO XIX.
ab Innoc. XI. ord. 37.

Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Exponitur. Quamvis, quando adsunt certæ conditiones, aliquando secundùm dicenda p. 3. num. 445. liceat occulta compensatio; Thesis tamen hæc falsa est, & scandalosa: aperit enim viam furtis, quia relinquit famulantibus dijudicandum, an salarium suum sit minus justo, quod periculis plenum est, & non nisi à peritis, & bene informatis de circumstantiis, consuetudinibus, aliisque decerni potest. Vide n. cit. 140. *Exponis mille furtis.*

PROPOSITIO XX.
ab Inn. XI. ord. 38.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum

est per pâuca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

141. *Falsa, quia universalis.* Hæc Thesis meritò proscribitur, quia non distinguit, an, quando ablata sunt successivè parva, adverterit fur tandem auferri summam gravem, quæ advertentia sæpe adest; an, ablata sic apud furem in se, vel in æquivalenti existant: si adverterit, peccavit utique mortaliter, quando cum advertentia complevit summam gravem, adeoque tenebitur ad restitutionem ex culpa; si autem ablata adhuc saltem in æquivalenti existant, tenebitur ex rei alienæ possessione. An, qui nunquam advertit ad materiam gravem, qui casus rarior est, nec in æquivalenti sic ablata habet amplius; teneatur ad restitutionem sub mortali, decidetur p. 3. n. 326.

PROPOSITIO XXI.
ab Inn. XI. ord. 39.

Qui alium movet, vel inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

142. *Repugnat rectæ rationi.* Quis adeo cæcutierit, ut hujus Thesis Auctor extiterit, ignoratur: verùm, quisquis is fuerit, manifesta est Theseos falsitas: quis enim neget, jure naturæ obligari ad restitutionem damni eum, qui ejus causa efficax fuit, & quamvis primo loco teneatur is, apud quem res existit, & deinde mandans, hoc deficiente exequens, in hujus defectu suadens, movens, aut alio modo inducens, & demum causæ negativæ, ùt mutus, non obstans, non manife-

stans

ſtans ; tamen nemo, qui rationem ſanam habet, negabit, ſi, qui cauſæ fuerunt principaliores, non poſſint, aut nolint reſtituere, ad id teneri eum, qui efficaciter movit, vel induxit ad damnum ſecutum. Vide p. 3. n. 344.

PROPOSITIO XXII.
ab Alex. VII. ord. 20.

Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.

PROPOSITIO XXIII.
ab Alex. VII. ord. 33.

Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque Eleemoſynas, quas Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.

Expoſitio. Concilium Lateranenſe ſtatuit ſub Leone V. Seſſ. 9. Ut habens Beneficium, ſi omitteret Horas, poſt ſex menſes, à Beneficio accepto numerandos, fructus non faceret ſuos, ſed illos tanquam injuſtè acceptos pro rata omiſſionis teneatur in fabricam beneficii, vel pauperes erogare. Quod, quia quibuſdam videbatur non eſſe uſu receptum, confirmavit Pius V. Sed hoc decretum Soto, & Medina apud Sanch. l. 1. Conſ. cap. 2. dub. 82. exiſtimarunt, non obligare ad reſtitutionem faciendam ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd imponeret pœnam, ab ipſo Reo exequendam. Alii opinati


sunt isti obligationi satisfieri per quascunque Eleëmosynas, etiam ante omissionem factas, eò quòd obligatus ex Justitia, si debiti immemor, donet aliquid creditori, censeatur velle suæ obligationi ante omnia satisfacere.

143. *Contra: Fructus non facit suos, & eleëmosyna est liberalis donatio.* Verùm utriusque hujus propositionis falsitas ostenditur. Primæ quidem, quia omittens Horas fructus non facit suos, ergo eos retinere non potest. Dein pœna non nimis ardua exequenda est à Reo, quando legislator ità declarat, ùt hic utrumque se habet, imò Viva negat esse pœnam, eò quòd lex sit conditionalis, ut, si omittantur Horæ, fructus omittens non faciat suos. 2dæ verò, quia erogatio eleëmosynæ, ante omissionem Horarum facta fuit donatio omnino liberalis etiam implicitè: unde nequit obligationem supervenientem extinguere.

144. *An obligatio sit juris naturæ ad omnes?* *Dubitatur.* An obligatio restituendi sit juris naturæ, ità ut, præscindendo à lege Ecclesiastica, fructus restituendi sint etiam ob omissas sex primis mensibus Horas ex Justitia commutativa. Affirmat Suar. de Religione t. 2. l. 4. cap. 29. & alii. Negant Sylvius, Less. & alii communius, quia non est astruenda obligatio, nisi probetur; hìc autem non satis probatur; quia Beneficia sic institui potuerunt, ut fructus nihilominus facerent suos ob alia onera, utpote, quia tenentur gestare habitum, & tonsuram, abstinere à negotiatione, ludis, venatione, servire Ecclesiæ; congruum autem fuit sic Beneficia institui.



PARS



PARS IV.

DE SACRAMENTIS.

PROPOSITIO I.
ab Innoc. XI. damnata ord. 29.

Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Posse administrationem Sacramenti ob me- 163.
tum gravem simulari non quidem formaliter, in- *Contra*
tendendo errorem in videntibus, sed materiali- *Est irre-*
ter, eum permittendo, docuerunt aliqui cum *veren-*
Joanne Sanch. disp. 35. v. g. posse verba Con- *tia in*
secrationis & Absolutionis ficte proferri, si ali- *Chri-*
ter intentatum grave malum evitari non possit. *stum.*
Atque hæc sententia hic damnatur, quia simulatio Sacramentorum est irreverentia in Christum eorum Authorem, & principalem Ministrum, adeoque nullius mali gravissimi metu est licita. Vide p. 4. n. 30.

PROPOSITIO II.
ab Alex. VIII. ord. 28.

Valet Baptismus, collatus à ministro, qui omnem ritum, formamque externam baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit;

non intendo facere, quod facit Ecclesia.

146. Aliqui secuti Paludanum, Sylv. docuerunt, in ministro conficiente Sacramentum sufficere intentionem ponendi materialiter materiam, & formam Sacramenti absque intentione formali conficiendi Sacramentum, seu signum practicum gratiæ, adeoque sufficere, quòd materialiter velit facere, quod facit Ecclesia; sed hæc sententia meritò improbatur: Conficiens enim Sacramentum debet agere nomine Christi principalis Ministri eorum; atqui non agit nomine Christi, nisi intendat formaliter conficere Sacramentum collativum gratiæ, sicut, qui stipem erogat, ut nomine sui domini eroget, debet intendere, & formaliter id facere nomine sui domini: nec sufficit, quòd externam actionem quocunque modo ponat. Vide p. 4. n. 16.

Contra: Non agit nomine Christi.

PROPOSITIO III.
ab Alex. VIII. ord. 27.

Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermissis illis verbis: Ego te baptizo.

147. Falsitas hujus propositionis probatur ex eo, quòd actio ministri debeat verbis exprimi, ùt habetur ex perpetua praxi, & sensu Ecclesiæ, & Concilio Florentino.

Contra: Non exprimitur actio baptizantis.

* * *

PRO-

PROPOSITIO IV.
ab Inn. XI. ord. 55.

Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Hæc opinio fuit olim magni nominis Doctorum, qui opinati sunt, præceptum annuæ Communionis esse merè Ecclesiasticum; Ecclesiam verò non præcipere actus internos, sed hoc utrumque fundamentum eos fefellit. Nam primò, Præceptum illud est modificatio præcepti divini de Communione, & determinatio temporis, quo illud implendum sit. Præcepto autem illi divino non satisfit per Communionem sacrilegam, dicente Christo Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Quibus verbis præcipit manducationem fructuosam, quâ per modum cibi nutriamur, & vitam spiritualem conservemus, & augeamus, id quod non fit per Communionem sacrilegam. Unde ait Apost. 1. ad Cor. c. 11. *Probet autem se ipsum homo, ... qui enim manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat, & bibit.* 2dò. Ecclesia potest præcipere, actus internos non tantùm velut principium actuum externorum secundùm esse physicum, sed etiam secundùm esse formale, quatenus sunt forma actus virtutis. Sic præcipiendo Missæ auditionem, præcipit intentionem eam audiendi; præcipiendo orationem, præcipit attentionem aliquam internam; præcipiendo administrationem Sacramenti, præcipit intentionem illud conferendi; præcipiendo susce-

148. *Præcepto divino præcipitur communio fructuosa.*

susceptionem Ordinis Parocho, præcipit votum castitatis; ergo præcipiendo susceptionem Eucharistiæ velut cibi spiritualis potest præcipere dispositionem internam necessariam ad fructum Sacramenti, & consequenter dato, quòd præceptum Communionis annuæ sit merè Ecclesiasticum, illi tamen non satisfit per Communionem sacrilegam. Imò secundùm dicenda. p. 1, num. 142. Ecclesia præcipere potest etiam actus merè internos. Atque his pariter ostenditur, præcepto Confessionis annuæ non satisfieri per Confessionem sacrilegam.

158. *Probabilius fructuosa in actu ido.* *Dubitatur.* An præcepto Communionis, & Confessionis annuæ satisfiat, si Sacramenta illa bonâ fide suscipiantur validè, sed sine fructu propter obicem negativum gratiæ, ùt, si quis habens duo mortalia v. g. furti & blasphemiæ, ex motivo specialis turpitudinis doleret de blasphemia, furti invincibiliter oblitus, absolveretur: aut, si aliquis lapsus in mortale, cujus nullam haberet memoriam, atque ità bonâ fide accederet ad Communionem sine actu charitatis, & dolore de peccatis. Ad hoc dubium affirmativè respondet Viva, hic n. 10. & 11. Rationem dat, quia Ecclesia, tantùm præcipit susceptionem Sacramenti bonâ fide factam, non verò ejus fructum, finem Sacramenti, sicut præcipiendo auditionem Missæ, non præcipit fructum ejus, sed existens in peccato mortali potest præcepto satisfacere. Deinde, licèt Eucharistia sacrilegè suscepta sublato obice non reviviscat juxta plures contra Cajet. Sotum & Arriagam, reviviscit tamen bonâ fide susceptâ cum obice negativo, quando hic per dolorem removetur, non secus ac alia Sacramenta: nulla enim prærogativa, quæ aliis Sacramentis con-

concedìtur, Euchariſtiæ neganda eſt. Nihilominus oppoſitum videtur probabilius : nam Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, & ſumi præcepit per modum cibi vitæ ſpiritualis, quo ſumens nutriatur, & creſcat in charitate, ſic autem à tali non ſumitur. Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, ut illud ſuſcipiens redeat ad gratiam, & Deo reconcilietur, quod iterum cum obice illud ſuſcipiens non aſſequitur. Unde, licèt fructus non præcipiatur, tamen præſens ad eum diſpoſitio præcipitur.

PROPOSITIO V.
ab Alex. VIII. ord. 22.

Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

Probatur Theſeos falſitas : vel enim loquitur 150.
de condigna pœnitentia, quâ, poſt culpam per *Contra:*
abſolutionem ſublatam, omnis pœnæ reatus ab- *Recep-*
oleatur, vel de pœnitentia impoſita à Confeſſa- *tus in*
rio. Si primum dicatur, falſa eſt Theſis : nam *gratiam*
1mò id repugnat Apoſt. qui tantùm requirit, *habet*
ut homo ante Communionem ſe probet, quem *neceſſa-*
locum Trid. Seſſ. 13. cap. 7. exponit his verbis : *riam di-*
Ex Eccleſiaſtica conſuetudine declarari illam *ſpoſitio-*
tantùm probationem eſſe neceſſariam, ut nullus *nem.*
ſibi conſcius peccati mortalis, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. 2dò. Repugnat fini ſacramentali, qui eſt collatio gratiæ, ut homo roboretur, creſcat in gratia, tentationes vincat, & peccata devitet ; ſi autem ſine ſacrilegio

prætendi non posset jus ad Communionem ante peractam pœnitentiam, quâ deleatur omnis pœnæ restans reatus, permulti, qui post lapsum in multa peccata gravia ad pœnitentiam redeunt, non possent prætendere jus ad Communionem per annos plurimos, imò nec per totam vitam, utpote nescientes, an omnis pœnæ reatus sit deletus, possent repelli à Communione Paschali, posset morituris gravia confessis negari viaticum, &c. Si dicatur secundum, est quoque Thesis falsa. Nam 1mò. Ritè absolutus est in statu gratiæ, filius, & amicus Dei. Proin nihil prohibet ipsum à Communione, licèt pœnitentiam injunctam nondum impleverit. *Venite ad me omnes*, inquit benignissimus Salvator, *qui laboratis*, *& onerati estis*, *& ego reficiam vos.* 2dò. Sæpe necesse est, pœnitentiam longiorem injungere, ut peccatis assueti vincant malos habitus; moribundi sæpe non possunt ante condignam pœnitentiam agere; an ideo illis tanto tempore Eucharistia, & his viaticum negari poterit, aut sacrilegi erunt, si petant Deo suo per amoris Sacramentum arctiùs conjungi, & adversus tentationes roborari? Minimè. Ratio horum à priori est, quia nulla in hoc est irreverentia, quòd reus à misericordissimo suo Domino, qui venit salvum facere, quod perierat, invitatus ad mensam famulorum ejus, pœnitens, & in gratiam receptus accedat, etsi necdum condignam præstiterit satisfactionem pro delictis suis; sicuti ad mensam patris receptus filius prodigus, designans pœnitentem à Deo receptum.

* *
*

PRO-

PROPOSITIO VI.
ab Eod. ord. 23.

Similiter arcendi ſunt à ſacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

Hæc Theſis deſcendit ex erroribus Baji, qui docuit, ut ſupra audivimus, omnem amorem, qui non ſit Dei propter ſe, eſſe vitioſum. Hinc ei adhærentes intulerunt non ſolùm eſſe ſacrilegos, qui jus prætendunt ad Communionem, nondum peractâ condignâ de peccatis pœnitentiâ; ſed etiam accedentes, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers, eò quòd amor Dei non puriſſimus, & mixtus amore creaturæ, & etiam ſpei, qui non nitatur motivo charitatis Dei propter ſe, ſit peccaminoſus. Verùm fundamentum illud, & hanc Theſin falſam eſſe, conſtat ex dictis n. 27. Quod confirmatur: nam 1mò conſtat ex Concilio Tolet. Can. 11. apud Lugonem diſp. 13. ſ. 2. Euchariſtiam olim datam eſſe pueris, quibus non inerat amor puriſſimus. 2dò. Si vera foret Theſis, nec pueri adepti uſum rationis, nec plebeji, imò & multi alii, ſi non plerique omnes, arcendi eſſent à ſacra Communione, pluresque Sacerdotes ab Altari; qui enim ſunt, qui nec ſpe, nec timore agantur? non niſi eximii Sancti ad gradum tam ſublimem charitatis perveniunt. 3tiò. ex Trid. Seſſ. 7. Can. 6. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem; quis autem contra ſenſum Fidelium dicat, obicem eſſe carentiam amoris puriſſi-

151. *Contra: Sine tali amore poteſt quis eſſe diſpoſitus.*

purissimi ; Optandum quidem esset, ut omnes ad divinissimum Sacramentum accedentes summâ puritate niterent, id autem tanquam necessarium ad fructum Sacramenti requirere, est evertere finem, & usum Sacramenti, & exigere à fragili homine, quod excedit præsentes ejus vires.

PROPOSITIO VII.
ab Alex. VII. ord. 8.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

152. *Fructus Missæ triplex.* *Exponitur.* Fructus Sacrificii ex parte participantium triplex est. Primus generalis, quem participant omnes Fideles pro mensura suæ dispositionis, putatque Suarez, potiùs esse per modum impetrationis, quàm ex opere operato, alioquin deberent statim omnes animæ purgatorii liberari tot adjutæ Sacrificiis, quæ quotidie toto orbe Deo offeruntur. Pro fructûs hujus generalissimi, qui non minuitur ex consortio plurium, applicatione non posse accipere Sacerdotem stipendium, certum est, cùm illi non sit liberum eum suspendere, vel aliis applicare. 2dus est specialis, seu medius, qui cedit in bonum illius, pro quo ex speciali intentione Sacerdotis offertur. Pro hujus fructûs applicatione potest Sacerdos stipendium accipere ; an autem, si pro multis offeratur Sacrificium Missæ, singuli participent æquè multum, ac si pro uno

tan-

tantùm, controvertunt Theologi. Affirmant Cajet. Soto, Vasq. contra Suar. Con. & alios, quia, sicut Sacramentum Eucharistiæ est efficax in actu primo proximo extensivè infinito, ità, ut gratiam causet singulis eodem modo, sive à pluribus, sive à paucioribus suscipiatur, ità pariter Sacrificium Eucharistiæ non est solùm infiniti valoris quoad sufficientiam, sed habet etiam efficaciam in actu primo proximo extensivè infinitam, tum relatè ad audientes, de quo nemo dubitat, tum relatè ad eos, pro quibus offertur, cumque conferat effectum suum per modum causæ necessariæ dispositis omnibus, quibus applicatur, prodest pro mensura dispositionis instar solis, qui omnibus pro dispositione oculorum lumen impertit, & instar vocis, quæ pro dispositione aurium æquè à multis, quàm à paucioribus auditur; quemadmodum fatentur omnes de Sacrificio Crucis. Hæc sententia probabilis est, non tamen certa. Tertius, de quo hìc sermo, est fructus specialissimus, qui cedit ipsi celebranti, hinc etiam dicitur personalis. Hunc fructum, utpote ejusdem rationis cum speciali, posse Sacerdotem pro arbitrio aliis applicare docuit Soto, Navar. & alii contra Suar. & alios. Hinc Molfesius tr. 3. cap. 15. & Barthol. ab Angelis docuerunt, posse à Sacerdote admitti ad applicandum illum fructum novum stipendium, adeoque duplex stipendium pro una Missa, & quamvis hoc prohibuerit Urbanus VIII. putârunt tamen aliqui, intelligendum esse de duplici stipendio pro fructu medio, eò quòd illum tantùm teneatur Sacerdos applicare danti stipendium, non verò fructum specialissimum; proinde adhuc possit pro hujus applicatione accipi aliud stipendium.

153. *Contra: Incertum est, illum fructum posse alteri applicari.* Verùm hæc opinio non subsistit, nam dans stipendium Sacerdoti, acquirit jus certum ad fructum Sacrificii, & Sacerdos obligationem strictam Justitiæ: Juri autem certo Justitiæ, utpote quæ spectat æqualitatem rei, non satisfit per solutionem incertam, jam verò, an fructus Sacrificii specialissimus ex opere operato alteri à Sacerdote applicari possit, incertum est: nam ut de Sacramentis certum est, non posse, ità probabilis id negat cum Suarez. Unde nec ante, nec post decretum Urbani pro eo applicando licuit accipere stipendium.

PROPOSITIO VIII.
ab Alex. VII. ord. 9.

Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

154. *Non adest titulus certus quid retinendi.* *Exponitur, & refellitur.* Decretum Urbani quoad præsentem Thesin sic habet: *Similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum aliqua eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.* Hoc decretum, cùm, ùt refert Viva hìc num. 7. in multis Italiæ locis, & Romæ in multis Collegiatis, quoad hanc partem non servaretur, cumque probabilis videretur sententia Suar. Vasq. Bonac. disp. 4. de Sacrificio q. ultim. asserens, id, quod in Thesi licitum dicitur, non repugnare legi naturali, modò justum stipendium

adhuc

adhuc detur, eò quòd danti ſtipendium procuretur, & legatur Miſſa, & legenti juſtum ſtipendium tradatur. Hinc aliqui intulerunt, licitum eſſe, quod in Theſi aſſeritur etiam poſt decretum Urbani, eò quòd decretum illud non ſit acceptatum, lex autem merè poſitiva non obliget, niſi ſit acceptata. Huic errori ut occurreret Alex. VII. hanc Theſin damnavit, & meritò, tum quia ex eo, quòd lex à multis non obſervetur, non rectè infertur, quòd non ſit acceptata, nec obliget, præſertim, ſi lucri cupido ad tranſgreſſionem inducat, tranſgreſſoresque non poſſint ſciri facilè, ac puniri in foro externo, nec adſit juſta cauſa eam non acceptandi, ùt non eſt in præſenti caſu; tum etiam, quia vel eſt contra jus naturæ, aut ſaltem frequens periculum illud violandi; nam, qui accepit pinguius ſtipendium, curatque, parte illius ſibi retentâ, Miſſam per alium legi, non habet titulum retinendi partem: datum enim fuit illi ſtipendium, ut Miſſam legat, quam ſi non legat, deficit plerumque titulus, quidquam de ſtipendio retinendi; nec conſtat, an, qui ſtipendium dedit, velit illi hoc dare gratìs, præſumiturque, niſi aliunde aliud conſtet, id nolle; ſed mentem ejus fuiſſe, ut vel ipſe celebret Miſſam, vel alteri det ſtipendium integrum: unde ùt & Urbanus jubet, illi totum dandum, & ſi ſecus factum ſit, eſt compenſandum, quia celebrans habet jus ad ſtipendium. La Croix l. 6. p. 2. num. 135. du Bois ad prop. damnatas n. 232.

Dubitatur. An, qui accepti ſtipendii pinguioris partem retinens curat Miſſam legi per alium, cui det ſtipendium juſtum, peccet graviter? La Croix l. c. 1mò reſpondet, peccare graviter, vel leviter pro quantitate partium ſtipendii, 155. *An peccetur graviter?*

pendii, quas retinet; hoc verum est, loquendo de peccato contra Justitiam, an autem non peccet graviter contra obedientiam, incertum putat Viva. Nam antecedenter Pontifex sub obtestatione divini Judicii mandaverat, ut tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, aliàs graviter peccari, & ad restitutionem teneri. Postea dicitur: *Prohibet*, &c. ùt supra. Hinc putat Viva, legem illam obligare sub gravi, & quamvis tò *Similiter* in decreto significare possit, quòd pariter prohibeat, etsi non eodem modo, tamen videri materiam ex fine gravem, eò quòd Pontifex voluerit damnabile illud lucrum, & sordidam negotiationem ab Ecclesia proscribere, & avertere detrimentum ejus, qui dedit stipendium pingue, ad excitandum Sacerdotem, ut majore devotione Sacrificium offerat, id quod non obtinet, si alteri detur stipendium minus. Verùm, cùm excessus ille devotionis sæpe sit levis, & oratione compensari possit, nec sit astruenda obligatio sub gravi, nisi solidè probetur, videtur durum astruere universaliter obligationem sub mortali, ità, ut quotiescunque id fit, peccetur graviter, cùm per unum talem actum, quo quid leve retinetur, non agatur graviter contra finem legis, secus esset, si quis frequenter hoc faceret, aut grave scandalum timendum esset; vide dicta in Prodromo sub n. 13. Cæterùm decretum Urbani videtur solùm loqui de stipendio manuali: nam Beneficiatus, & Sacellanus possunt Missas fundatas, & annuas, nî aliud obstet, per alios curare legi erga stipendium justum, retento sibi, quod superat: illis enim assignata sunt pinguiora, ut alacriùs quotidie Altari serviant, & alia onera subeant.

PRO-

PROPOSITIO IX.
ab Alex. VII. ord. 10.

Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmatâ, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

Exponitur, & rejicitur. Hujus Theſis partem 1mam videtur docuiſſe Thomas Hurdatus apud Tamb. l. 3. de Sacrificio Miſſæ c. 1. §. 3. n. 7. & alii apud Mendo diſſert. 13. q. 5. hoc ducti fundamento, quòd Sacrificium ſit infiniti valoris in actu 1mo proximo, adeoque dantibus ſtipendium nihil detrahatur; alii putârunt, nec peccari contra fidelitatem, licèt promiſſio ſit juramento firmata, quòd non ſit celebraturus niſi pro uno ſingula Sacra, eò quòd intentio promittentis ſit, quòd nulli quid ſit ſubtrahendum de fructu medio ipſi debito. 156. *Contra: Incertum eſt, an tum plures æquè multum participent.*

Probatur falſitas. Primò, falſa eſt pars 1ma. Nam probabiliùs Sacrificium oblatum pro pluribus non tantum fructum confert ſingulis, quàm conferat uni, ſi pro eo ſolo offeratur; qui autem dat ſtipendium, acquirit jus certum ad fructum medium ſine diminutione, adeoque certum non eſt, an in caſu noſtro celebrans pro pluribus ſatisfaciat juri ejus, cùm præſtet ſolutionem dubiam. 2dò. Falſa eſt pars 2da, nam, ſi quis petat, ut pro ſe ſolo offeratur Sacrificium, & Sacerdos id promittat, etiam ſine juramento ex fidelitate tenetur ſtare promiſſo.

Quidquid sit, an peccet graviter, quod pendet ex intentione promittentis, & gravitate materiæ. Non prohibetur tamen salvo jure, & fide datâ, applicare sub conditione; *Si vera sit sententia asserens, æquè prodesse Sacrificium singulis, si pro pluribus offeratur, ac prosit uni, si pro illo solo offeratur*; applicare pluribus, sicut non prohibetur fructum sub conditione applicare specialissimum, sed ob incertitudinem, pro ea applicatione stipendium admittere non potest.

DE POENITENTIA.

PROPOSITIO X.

ab Alex. VIII. ord. 19.

Homo debet totâ vitâ agere pœnitentiam pro peccato originali.

Hæc Thesis protruditur ex errore Lutheri, & Calvini, qui docuerunt, peccatum originale consistere in naturæ corruptione, seu rebelli concupiscentia, quæ cùm maneat post Baptismum, volebant etiam, peccatum originale perseverare saltem quoad reatum pœnæ. Jansenius, illis ex parte consentiens, docuit, peccatum originale per libidinem, seu concupiscentiam, tanquam per veram causam ex natura rei propagari, motusque concupiscentiæ indeliberatos esse peccata, quod & docuit Bajus, uti dictum supra. Ex his Jansenistæ intulerunt, hominem totâ vitâ debere agere pœnitentiam pro peccato originali.

157. Sed hic error jam pridem cum suo funda-
Contra: mento à Tridentino est condemnatus: nam

Sess.

Seſſ. 5. Canone 5. ait : *In renatis nihil eſſe damnationis, & eos per Baptiſmum reddi innocentes, immaculatos, puros, & innoxios, ita ut eos prorſus nihil ab ingreſſu cœli remoretur.* Seſſ. 14. cap. 2. *Per Baptiſmum Chriſtum induentes novam prorſus in illo effici creaturam plenam, & integram remiſſionem peccatorum conſequentes.* Conſonat Florentinum in decreto Eugenii dicens : *Propterea Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio.* Et ratio eſt, quia per Baptiſmum Paſſio Chriſti ità nobis applicatur, ac ſi cum illo mortui fuiſſemus, & ſepulti : unde veterem hominem exuentes nova efficimur in Chriſto creatura, omnino pura, & immaculata, qui effectus eſt Paſſionis Chriſti, & miſericordiæ Dei. Aliud videtur exigere divinæ Juſtitiæ ratio in relapſis poſt Baptiſmum, quia ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerunt, poſt Baptiſmum autem illuminati ſcientes templum Dei violârunt, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidârunt, ùt docet Trid. Seſſ. 14. cap. 8. Hinc ſequitur, quòd, quamvis poſſimus dolere de peccato originali, tanquam malorum noſtrorum causâ, non poſſimus tamen vindictam de eo ſumere, & pœnitentiam agere poſt Baptiſmum, ſed nec ante, quia non poſſumus illud retractare, utpote non commiſſum propriâ voluntate, conſequenter nec vindictam de eo ſumere, quæ ex retractatione ſequitur. *Baptiſmus tollit omnem reatum.*

Nec obſtat, quòd per Baptiſmum non tollatur à nobis rebellio concupiſcentiæ, mors, ægritudo, aliæque pœnalitates ortæ ex originali : Nam illa in nobis manent, ad agonem, & meritum : non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit, ùt ait Apoſt. ad Tim. 2. Qui concupi-

cupiscentiam quidem vocat peccatum; sed improprie tale in renatis, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ùt habet Trid. Sess. 5. Can. 5. *in Decreto de peccato originali.*

PROPOSITIO XI.
ab Inn. XI. ord. 57.

Probabile est sufficere attritionem naturalem modò honestam. ***Puta, ad Sacramentum Pœnitentiæ.***

158. *Variæ sententiæ.* Variæ circa hoc fuêre sententiæ. Sotus, & Canus putârunt, attritionem naturalem sufficere etiam ad fructum hujus Sacramenti. Capreolus, Cajetanus, Victoria voluerunt, sufficere ad valorem, non ad fructum, adeoque in procedente bonâ fide fore Sacramentum validum, sed informe. Vasq. Bonac. Hurt. & alii apud La Croix l. 6. p. 2. docuerunt, sufficere attritionem supernaturalem quoad modum tantùm, qualis esset, si procederet ex cognitione congrua naturali quidem, sed tamen hic & nunc indebitâ naturæ, aut ex inspiratione supernaturali sine influxu principii supernaturalis, sicque respiceret quidem motivum supernaturale, maneret tamen in se naturalis.

159. *Contra omnes: nam dispositio naturalis non est proportionata gratiæ.* At nulla ex his sententiis subsistit: non prima: nam Trid. Sess. 6. Can. 3. anathematizat eum, *qui dixerit, sine prævenìente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem pœnitere posse, ùt oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.* Ubi per verba: *atque ejus adjutorio*, requirit influxum principii supernaturalis. Non secunda, quia Trid. Sess. 14. cap. 3. docet, eâ ratione actus pœnitentis esse partes Sacramenti Pœni-

Pœnitentiæ, quatenus ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur; ergo actus pœnitentis, qui de se non disponit ad justificationem, nec ad valorem ejus sufficit. Non 3tia: quia Trid. Sess. 14. cap. 4. docet, attritionem donum Dei esse, & impulsum Spiritûs sancti. Ratio horum à priori est, quia dispositio debet esse proportionata formæ introducendæ; dolor autem naturalis, utpote ordinis inferioris, nequit esse proportionata ad gratiam dispositio.

Dubium hìc solùm restat, an omnes illæ sententiæ in præsenti Thesi damnentur. Cardenas putat, non damnari, etsi falsum sit, quòd sufficiat ad valorem saltem attritio solùm quoad modum supernaturalis. Viva è contra putat, damnari omnes, quia propositio damnatur in sensu universali, nec est ratio damnationem restringendi, sed validissima in oppositum. Sed quidquid sit de hoc, certum nunc est, quòd requiratur attritio supernaturalis procedens ex fide, & principio supernaturali, nec sufficiat procedens ex solius naturæ viribus.

PROPOSITIO XII. ab Alex. VII. ord. 11.

Peccata in Confessione omissa, seu oblita propter instans periculum vitæ, aut propter aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

De certo hujus Thesis auctore non constat, in disputationem solùm eam adduxit Leander de Murcia Capuc. l. 2. S. 25. testaturque, in Reg- 160. *Repugnat legi Christi.*

no Neapolitano duodecim viros doctissimos pro ea stetisse. At caret prudenti fundamento: nam, ùt docet Trid. Sess. 14. cap. 3. habetque perpetua praxis Ecclesiæ, ex lege Christi omnia peccata mortalia, in quæ ejus Fideles ceciderint, ad Sacerdotes, velut illius Vicarios, deferenda sunt, ut per absolutionem tollantur; quæ lex, etsi quoad aliqua, ubi moralis est impossibilitas, suspendatur, ubi tamen hæc sublata fuerit, urgere pergit, ut, quamvis antè indirectè per absolutionem remissa sint, congrua satisfactio imponatur, remedia contra relapsum præscribantur, erubescentiamque, quam partem pœnitentiæ esse Salvator voluit, subeat coram homine, qui coram Deo non erubuit peccare, atque directè ab illis absolvatur, ad quæ requiritur cognitio causæ.

PROPOSITIO XIII. *ab Inn. XI. ord. 58.*

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

161. Hanc Thesin docuit Joan. Sanchez, non verò Granado, ùt immeritò asserit M. Hozes: nec Suarez, ùt ei falsò adscribit Filguera. Expositionem, & refutationem ejus vide supra sub n. 124. Coroll. 4.

Contra: Debet scire dispositionem pœnitentis.

PROPOSITIO XIV. *ab Alex. VIII ord. 20.*

Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

PRO-

PROPOSITIO XV.
ab Eod. ord. 21.

Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua Pœnitentia, ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

Expoſitio. Sæculo ſeptimo multi docuerunt, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrari invalidè à Religioſis, ſed hos anathemate feriit Bonifacius IV. Deinde alii docuerunt, Confeſſione factâ apud Religioſos non ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis, eò quòd ea fieri debeat Sacerdoti proprio; ſed Sixtus IV. voluit ab inquiſitione contra hanc ſententiam procedi, velut hæreſin ſapientem, quaſi Pontifex non poſſet delegare Religioſos, per quos ipſe ſupremus Paſtor recognoſceretur. Nunc Renovatores, velut deplorantes antiquum in imponendis pœnitentiis Canonum rigorem ſublatum eſſe, invehuntur in Religioſos, præſertim Mendicantes, qui eorum doctrinam non fundatam refellunt, tanquam auctores nimiæ laxitatis in foro ſacramentali, ut proinde Confeſſiones apud ipſos factæ pleræque aut ſacrilegæ ſint, aut invalidæ, eò quòd amore lucri temporalis nimis leves pœnitentias imponant, nimis facilè abſolvant, & ſic in pœnitentibus deſit requiſita diſpoſitio.

162. *Theſis injurioſa Religioſis.*

Hanc calumniam in præſenti Theſi fulmine percuſſit Alex. VIII. & meritò. Nam primò, Canonum pœnitentialium rigor authoritate Pontificum, & Epiſcoporum, non per Mendi-

cantes, quorum non est statuta Ecclesiæ mutare, justis de causis, exigente id pro temporum varietate salute animarum, remisit; uti videre est apud Francolinum in Clerico Romano. Imò rigor ille cessavit, antequam Religiosi Mendicantium Ordines sint instituti: nam hi initium duxerunt sæculo decimo tertio, quo rigor ille exoleverat; ùt enim ostendit Morinus l. 10. c. 16. post sæculum undecimum statim decrescere, minui, & obsolescere cœpit, additque jam circa annum salutis millesimum, benignitatem ingentes fecisse progressus. Quare dici non potest, à Mendicantibus Religiosis esse sublatus. 2dò. Regulares plerique idonei sunt magìs, quàm permulti alii ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, ità, ut timendum non sit, ne spe lucri temporalis, neglectâ salute suâ, ad quam sedulò tendunt, malè illud administrent: nam ad hoc juvat non solùm scientia Theologiæ Scholasticæ, quæ mysteria Fidei, & moralis, quæ conscientiæ casus explicat, sed etiam mystica, quæ profectum in spiritu, media ad peccata vitanda, & perfectionem consequendam edocet. Dein in Confessariis plurimùm confert virtus, quâ velut instrumenta Deo causæ principali, & principio gratiæ conjunguntur, quæ conjunctio, quò arctior est, eò majorem ab ipso influxum habet. In hæc autem sedulò incumbunt Religiosi. Unde fit, ut plerique aptiores sint ad munus Confessarii, & in Confessionibus audiendis frequentiores, ùt expendenti manifestum erit, & ad oculum demonstrat experientia. Pluribus supersedeo. Loquantur, quibus hæc nota sunt. Sunt plerique Religiosi benigni erga pœnitentes, fateor, sed benignitate forti, quâ & veritates æternas proponunt; deterrent à peccatis, ad Dei amorem

rem

rem excitant, absolutionem, si differenda sit, suaviter ad tempus negant, & fructum referunt in patientia. Si qui sint languidâ bonitate boni, qui quoscunque, auditis peccatis, aut non examinatos convenienter, aut nec territos, nec excitatos, injunctâ non congruâ pœnitentiâ absolvunt, ii non laude, sed reprehensione digni sunt. At, utinam non dentur tales inter Ecclesiasticos Sacerdotes, utinam non sint, qui sæcularibus dediti, lucris inhiantes, oves sibi commissas negligant. Profectò hi, quicunque sint, potiùs, quàm Religiosi correctione indigent. Si tamen hæc de Parochis suspicari nefas est, nec suspicari licebit de Religiosis Mendicantibus, qui ex proprio instituto perfectionem sectantur, & Christi vestigiis insistunt, qui, cùm esset dives, egenus pro nobis factus est, ut illius inopiâ ditaremur, ùt habet Apost. 2. ad Cor. 8. Hinc nusquam legimus, Concilia redarguisse Regularium cupiditatem, prout redarguerunt aliorum Sacerdotum. Cæterùm Confessarius & nimium rigorem, & laxitatem declinare debet in sententiis controversis. Quod faciliùs facient Religiosi, propter diuturnum studium, longam experientiam, propter continuam inter doctos, de his rebus agentes, consuetudinem.



PROPOSITIO XVI.
ab Inn. XI. ord. 56.

Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

163. *Fructuosa communio non stat cum tali vita.* Absurdæ hujus Theseos falsitas cuilibet prudenti patet: nota enim prædestinationis est prudens fundamentum judicandi, quòd obtinenda sit salus æterna; quomodo verò de hoc prudenter judicabit, qui frequenter confitetur, & communicat, & tamen gentiliter vivit? vel enim loquitur Thesis de frequenti sacrilega Confessione, & Communione, & patet falsitas; vel de frequenti Confessione, & Communione devotâ, & hæc non stat cum tali vita; vel denique loquitur de horum Sacramentorum susceptione non sacrilegâ, nec devotâ, quæ tamen sufficiat ad augmentum gratiæ percipiendum; & nec diu hæc durabit in eo, qui gentiliter vivit.

PROPOSITIO XVII.
ab Alex. VII. ord. 14.

Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

164. *Requiritur confessio fructuosa.* De propositionis hujus falsitate satis dictum est supra num. 148.

PROPOSITIO XVIII.
ab Eod. ord. 13.

Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui

qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

Expositio. Episcopus justè negat approbationem Regulari inidoneo v. g. ex defectu doctrinæ, vel morum; injustè tamen sine causa negat idoneo, quia Regulares ex Privilegiis Sedis Apostolicæ habent jurisdictionem universalem, adeoque completam potestatem excipiendi Confessiones, nec deest, nisi approbatio, velut conditio essentialiter requisita? quâ idonei reputentur, ut proinde sint velut Parochi delegati, habentes jus ad approbationem: hinc sicut idoneo, electo ad Beneficium Parochiale, injustè denegaretur approbatio, quia per electionem jus habet ad eam, ità injustè negaret Episcopus sine causa Regulari idoneo approbationem, sive non admittendo ad examen, sive examinatum rejiciendo. Itâ Lugo d. 21. n. 49. Vasq. quæst. 93. a 3. dub. 5. n. 5. Viva hìc n. 1. Addunt Lugo & Vasq. causam sufficientem non esse negandi approbationem Regulari ex eo præcisè, quòd abundent Confessarii; sicut non potest ex eo præcisè Parocho præsentato negari approbatio, quòd alii sint Confessarii sufficientes, quia Regulares sunt veluti Parochi à Pontifice delegati. 165. *Jurisdictio Regularium.*

Hinc orta est præsens Thesis, pro qua citatur Nav. Cap. 27. n. 206. Sotus, Fagundez, & alii apud Dianam p. 3. tr. 2. res. 24. hoc nixa fundamento, quòd approbatio injustè ab Episcopo negata habeatur pro concessâ; quia jus non potest auferre per sententiam injustam. Huic tamen opinioni jam ante ejus damnationem contradixit communis Theologorum, tum quia ex 166. *Origo controversiæ.*

ea innumera sequerentur incommoda, prætendentibus facilè Regularibus, se injustè repelli; tum præcipuè, quia Trid. ad evitanda incommoda statuit, ut nullus Regularis possit sine Episcopi approbatione sæcularium Confessiones audire, revocatis in contrarium privilegiis.

Nec obstat, quòd Bonifacius VIII. in Bulla: *Super Cathedram* concesserit Regularibus, ut, si à Superiore suo præsentati ab Episcopo non admitterentur, haberentur pro admissis, quod confirmavit Clemens V. in Clementina: *Dudum de sepulturis*; Tridentinum autem illius privilegii mentionem non faciat; nam, ùt advertit Suar. non fuit necessaria ejus mentio, quando, nisi sine ea deroget privilegio, dispositio Tridentini fuisset nullius momenti. Deinde dici potest cum Vasq. quòd Trid. non revocet privilegium illud, & nihilominus sit necessaria approbatio ab Episcopo obtenta, quia privilegium tantùm erat, ut Regularis habens à Pontifice jurisdictionem, præterquam tunc non requirebatur approbatio alia, gauderet jurisdictione, etsi ab Episcopo non admitteretur, nunc autem Tridentinum insuper requirit approbationem Episcopi. Quibus accedit, quòd Urbanus VIII. in Bulla: *Cùm, sicut accepimus*, pro confirmatione decreti Tridentini revocaverit, & annullaverit omnia, & singula indulta Regularibus concessa audiendi Confessiones sæcularium absque Ordinarii examine, & approbatione.

167. *Contra: Adhuc deest approbatio.* Unde Thesis præsens nullatenus subsistit, estque fundamentum ejus falsum: nam, licèt reprobatio Regularis ab audiendis Confessionibus injusta nullum tollat jus, seu potestatem, impedit tamen, quò minùs sit proximè expedita, sicut,

ſicut licèt in concurſu prævalens habeat jus ad Parochiam; ſi tamen hæc ab Epiſcopo injuſtè negetur, non ideo poterit ſe gerere velut Parochum, & Confeſſiones audire.

Ex his ſequitur, non poſſe Regularem Confeſſiones etiam validè audire ſæcularium, niſi ſecundùm approbationem Epiſcopi: unde, ſi hic approbationem limitet, ſive juſtè, ſive injuſtè ad perſonas, loca, tempus; invalidè abſolvit. Quanquam, inquit Viva, non apparet, quomodo juſtè poſſit limitare approbationem Regularis, ſi illi conſtet de eximia ejus idoneitate: imò hoc Clemens X. in Bulla: *Superna*, expreſsè illi inhibet.

PROPOSITIO XIX.
ab Alex. VII. ord. 38.

Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm eſt conſilium, non præceptum.

Expoſitio. Tridentinum Seſſ. 13. cap. 7. poſtquam dixerat, ante ſumptionem Euchariſtiæ eam probationem omnibus neceſſariam eſſe, ut nullus, quantumvis ſibi contritus videatur, mortalis peccati ſibi conſcius, abſque ſacramentali Confeſſione præmiſsâ, accedere debeat. Et hoc etiam Sacerdotibus, quibus ex officio celebrare incumbit, ſervandum eſſe, addit: *Modò iſtis non deſit copia Confeſſarii: quòd ſi, in neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur.*

His verbis Tridentini non contineri præceptum, ſed tantùm conſilium, putârunt aliqui cum 168. *Eſt præceptum.*

Ledeſma

Ledeſma de Euchariſtia cap. 11. eò quòd non adſit, ùt ſolet fieri in præceptis Eccleſiæ, clauſula indicans obligationem gravem; & in dubio ſtandum ſit pro libertate; ſed oppoſitum declaravit Pontifex. Eſt itaque præceptum Eccleſiaſticum obligans ſub gravi, tum, quia eſt de materia gravi, in qua præcepta Eccleſiaſtica, etſi nulla addita ſit clauſula indicans obligationem gravem, ſub mortali obligant, tum, quia ſic fert conſenſus communis DD. qui optimus eſt legum interpres.

169. *Qui eo non teneantur?* Hâc tamen lege non tenetur 1mò Laicus, qui in neceſſitate contritus de mortali, non confeſſo, communicavit, quia lex loquitur de Sacerdotibus, qui, cùm frequenter celebrent, majori ſunt in periculo indignè aliàs communicandi. Nec valet argumentum in poſitivis à pari, neque odioſa extendenda ſunt, ſicut nec univerſim verum eſt, quòd, qui præceptum non implevit per accidens impeditus, ſtatim teneatur implere, ubi impedimentum ceſſat, niſi præceptum ſic pergat urgere. 2dò. Nec Sacerdos, qui more laicorum communicat. Oppoſitum tenent tamen Suar. & Lugo de eo, qui Feriâ Paraſceves officium peragit, quia communicat more Sacerdotali; item de eo, qui alterius Sacrificium complet poſt Conſecrationem. Rectè tamen advertit Dicaſtillo, utrumque hoc eſſe incertum. 3tiò. Nec juxta communiorem cum Suar. Vaſq. qui habens copiam Confeſſarii non eſt confeſſus ex malitia, & celebrat, quia, licèt graviùs peccet, non comprehenditur tamen præcepto Tridentini; hoc enim imponitur Sacerdotibus, qui prætextu neceſſitatis celebrandi, diu differunt Confeſſionem, non iis, qui ex malitia hanc omittunt: cùm hos obliget

obliget præceptum divinum, & præceptum Ecclesiæ, iis esset nova occasio peccandi. Teneri tamen docet Sylvius, & alii, sicut tenetur, qui non habens copiam Confessarii celebravit omissâ contritione, aut ità constitutus, ut, si Confessarius adfuisset, tamen non fuisset confessurus; verùm hi celebrâssent in defectu Confessarii, urgente necessitate.

Econtrà tenetur illâ lege, qui confessus quidem est, sed oblitus mortale occurrens ante Consecrationem, quod jam confiteri non potest, quia celebravit conscius peccati mortalis non confessi. Sunt tamen, qui præceptum putant impositum iis tantùm, qui post commissum mortale non sunt confessi, verùm videtur tenendum cum prioribus, ne iteretur celebratio occurrente necessitate, & mortale Clavibus non sit subjectum. 170. *Qui teneantur?*

Porrò necessitas celebrandi censetur esse 1mò. Si adsit mortis periculum, & Confessarius haberi non possit. 2dò. Si desit Hostia consecrata, & sit dandum viaticum. 3tiò. Si die festo sine scandalo Parochus non possit omittere Sacrum. Imò juxta Lugonem, si non possit aliter satisfieri præcepto audiendi Sacrum à sacerdote: Verùm hoc præcisè non videtur sufficere: cur autem sic potiùs liceat celebrare, quàm sine sacris vestibus; ratio est, quia contritio tollit irreverentiam. 171. *Necessitas celebrandi.*

PROPOSITIO XX.
ab Alex. VII. ord. 39.

Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

Falsi-

172. *Contrà: Præceptum aliàs esset superfluum.* Falsitas hujus Thesis facilè patebit cuique, eam expendenti: nam frustraneum fuisset præceptum Tridentini, quamprimum confitendi, si per eam vocem intellexisset tempus, quo talis Sacerdos iterum confitebitur, aut quo, ùt voluit Fagundez, iterum celebrabit: ad hoc enim obligatur præcepto divino, utì reliqui Fideles, conscii peccati mortalis, non confessi. Quare Tò *quamprimùm*; intelligi debet non quidem physicè, quasi statim post celebrationem teneatur confiteri, sed moraliter, ità ut spectatis circumstantiis non diu differat Confessionem.

173. *Significatio vocis* Statùm, *&c.* Et quanquam hæ voces: *Quamprimum, Mox, Statum*, habeant diversam pro diversitate materiæ, & circumstantiarum significationem, ità ut censeatur aliquis facere statim, qui intra hebdomadam id fecisset, vel mensem, imò & plures, ût, si quis Religionem statim ingredi vovisset; in præsenti tamen casu probabiliter censetur quamprimum confiteri, qui id facit intra triduum, ùt tenet Lugo, La Croix, & alii: nisi tamen finito Sacro esset copia Confessarii, intra triduum non reditura. Quo casu, si intra illud tempus cèlebrandum esset, ad Confessionem jure divino teneretur. Cæterùm particulæ illæ in multis non extendunt se ad tantum temporis; ùt, si Titius diceret famulo: Quamprimùm voca mihi Cajum: dumque in Missali dicitur, ut Sacerdos, antequam consecret vinum, elevet utrâque manu calicem, & statim deponat, moram intermediam vox illa non admittit, sed debet immediatè deponi, &c.



PROPOSITIO XXI.
ab Alex. VIII. ord. 16.

Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, naturâ idipsum quodammodo dictante.

PROPOSITIO XXII.
ab Eod. ord. 17.

Per illam praxin mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

Hos errores primùm docuit Petrus de Osma, teste Lugone, de Pœn. d. 12. n. 42. Et constat ex Bulla Sixti IV. adversus ejus errores. Hoc virus, Rigorismi apud Belgas sectatores, nominatim Estius, Arnaldus I. de frequenti Communione, & Anonymus quidam auctor compendiosæ deductionis, evomuerunt, contendentes, ex institutione Christi, lege naturæ id quodammodo dictante, post peccatorum confessionem pœnitenti non tantùm imponendam esse satisfactionem sacramentalem, sed etiam ab ipso explendam esse, priusquam absolvatur; tum, quia aliàs satisfactio non potest fructum ex opere operato conferre; tum, quia connaturale est, ùt constat inter homines, ut non remittatur offensa, nisi priùs præstita sit satisfactio; tum denique sic habuit praxis antiqua Ecclesiæ, interpres legis Christi.

Probatur falsitas: nam imò id non requiritur ex institutione Christi: praxis enim Ecclesiæ tum 174. Repugnat

Christi institutioni. tum modernæ, tum antiquæ habuit, ùt, etsi in foro externo à delictis publicis non absolverentur peccatores, attamen in foro pœnitentiæ iis absolutio non negaretur, quam dein sequebatur absolutio Canonica, seu juxta Canones in foro externo. Imò hæc etiam ante expletam publicam pœnitentiam conferebatur quandoque, ùt constat, tum ex decreto Soteris Papæ anno 176. in quo dicitur: *Etiam pœnitentes in die Cœnæ Domini ad percipienda Corporis, & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur*; tum ex facto Silverii Papæ, qui, ùt refert Burcardus l. 5. c. 19. n. 536. consuevit, pœnitentibus quinquies in anno Communionem dare, haud dubiè antè sacramentaliter absolutis. Imò vix erat, qui non intra annum sic absolveretur, etsi continuanda esset pœnitentia publica, à qua non raro eximebantur Clerici, milites, pauperes, valetudinarii, & qui annos 40. necdum attigerant: nec enim Canones pœnitentiales, qui habentur in Jure Canonico ad finem decreti, erant leges; sed, ùt advertit Suar. de Pœn. d. 38. l. 3. regulæ directivæ, quibus uterentur Confessarii, prout expedire judicarent. Quando itaque Concilia, & PP. dicunt, absolutionem dandam non esse ante expletam pœnitentiam, loquuntur de absolutione Canonica in foro externo.

2dò. Non requiritur ex natura Sacramenti; hoc enim institutum est per modum judicii humani, in quo executio mulctæ sequitur sententiam; connaturale ergo est, ut in judicio sacramentali sententiam sequatur satisfactio, quæ, cùm pars sit tantùm integralis Sacramenti, natura hujus non exigit, ut absolutionem præcedat, sed per hanc elevatur ad fructum, ex opere

ope-

operato conferendum. Unde falsum est, quòd lex naturalis dictet, absolutioni præmittendam esse satisfactionem.

Paritas petita à remissione injuriæ, & offensæ in humanis ad rem non est: hominibus enim quandoque non sufficit pro reconciliatione satisfactio condigna; in reconciliatione cum Deo intervenit infinita Dei misericordia, & Christi inexhausti valoris merita; ex quibus Sacramenta facta sunt vasa gratiæ, & divinæ misericordiæ. At verò an non in veteri lege remittebantur, & in moderna peccata remittuntur, per contritionem perfectam absque eo, quòd præstita sit condigna satisfactio pro omni reatu pœnæ temporalis?

PROPOSITIO XXIII.
ab Alex. VIII. ord. 18.

Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam sustentet plurimorum hominum authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

Expositio. Moderna Ecclesiæ consuetudo habet, ut detur absolutio ante expletam satisfactionem injunctam, non imponantur amplius tam rigidæ multorum annorum pœnitentiæ, & Fideles confessi sola venialia absolvantur: hæc consuetudo displicuit quibusd[am i]n Belgis, rigoris in aliis, in se proprii judici[i a]matoribus, & perfrictâ fronte dixerunt, hanc consuetudinem 175. *Propositio Ecclesiæ injuriosa.*

haberi ab Ecclesia pro abusu, cumque scirent, hanc consuetudinem vigere in universali Ecclesia, reipsa asserere ausi sunt, Ecclesiam sustinere in praxi abusum, atque adeo errare in iis, quæ ad Sacramenta pertinent.

Verùm 1mò. Quòd consuetudo illa dandi absolutionem ante expletam satisfactionem non sit nova, ostensum est paulò antè: & confirmatur: nam in Clementina *Dudum* de sepulturis, injungitur Sacerdoti, ut Confessiones audiat, pœnitentias imponat, & absolvat. Bonifacius Episcopus Moguntinus apud Morinum n. 12. sic statuit: *Curet unusquisque Presbyter statim* post acceptam Confessionem pœnitentium, singulos, datâ oratione conciliare. Sozomenus de prima Pœnitentiarii institutione, & pœnitentiâ publicâ l. 7. cap. 16. refert, Pœnitentiarium consuevisse, impositis pœnitentiis statim pœnitentes absolvere. Antiquissima itaque est consuetudo, sacramentalem absolutionem impertiendi hominibns, priusquam satisfactionem impleverint, ità, ut meritô habeatur tanquam ab Apostolis tradita: nam, ùt habet S. August. l. 1. de Baptismo parvulorum cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ authoritate traditum rectissimè creditur.* Et verò, nisi Christus ità instituisset Sacramentum Pœnitentiæ, reconciliatio cum Deo fuisset in lege gratiæ, & amoris difficilior, quàm in veteri lege timoris, in qua sufficiebat perfecta contritio; infirmis & moribundis non fuisset provisum; ante satisfactionem pœnitens debuisset esse in gratia per contritionem, aliàs satisfactio ex opere operato non contulisset fructum. 2dò. Quòd non amplius pœnitentiæ tam gra-

ves Canonum imponantur, non est abusus, sed justis de causis introductum. Si enim ingravescente jam magis humanâ infirmitate, & multiplicatis hæreticis, tam rigidæ imponerentur pœnitentiæ, evanesceret spes reducendi ad Ecclesiam Hæreticos, & convertendi Infideles, Fideles in desperationem agerentur, & naufragarent in fide, deterrerentur ab usu Sacramentorum, quorum frequentia optima est pœnitentia, ad quæ, ut Fideles excitentur, sapienter Ecclesia frequentiores concedit de thesauro ex Christi meritis sibi relicto indulgentias, quæ supplent magnam pœnitentiæ partem.

3tiò denique. Quòd rectè absolvantur Fideles confessi sola venialia, ostenditur: nam, cùm ea sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, recteque orent justi lapsi in venialia: *Dimitte nobis debita nostra*, ùt Trid. docet Sess. 6. cap. 11. Absolutio à venialibus confert augmentum gratiæ sanctificantis, jusque ad auxilia, quibus peccata caveantur, & in virtutibus proficiatur. Dein fideles ante confessionem concipiunt dolorem de iis, & propositum ea vitandi, unde remotiores à gravibus, & puriores evadunt. Quare dixit Trid. Sess. 14. cap. 4. quòd utiliter in Confessione dicantur, idque piorum usu demonstrari, quamvis taceri sine culpa, multisque aliis remediis expiari possint. Quæ si vera non essent, multi totâ vitâ deberent abstinere à Confessione, juniores innocentes deberent ab ea arceri, sique admitterentur, signum foret, reos esse peccati mortalis, &c. Quæ omnia, quàm absurda sint, nemo non videt.

***

PROPOSITIO XXIV.
ab Inn. XI. ord. 59.

Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel indulgentiæ.

176. *Causa non sufficiens.* *Expositio.* Cùm ex communi Theologorum ab integritate materiali Confessionis excuset impotentia, tum physica, tum moralis, qualis est, si ex Confessione alicujus peccati meritò timeretur grave damnum, vel proprium, vel proximi, ùt, si Sacerdos aliquod peccatum esset revelaturus, vel, si confitens timeret meritò suam, vel Confessarii ruinam ex Confessione; hinc aliqui intulerunt apud Con. disp. 7. n. 93. excusari ab integritate materiali confitentes in die magnæ solemnitatis, vel indulgentiæ, dum non possunt omnes integrè confiteri, ob concursum, quin alii priventur illo spirituali bono, vel indulgentiâ, cujus carentia illis videbatur damnum sat grave, ob quod non teneantur integrè omnia mortalia confiteri, præsertim, cùm præceptum Confessionis concurrens cum præcepto charitatis huic debeat cedere. At opinio illa meritò reprobata est; in eo enim casu nec physica, nec moralis est impotentia, cùm bono, quod hodie non potest participare, possit gaudere altero die, nec carentia indulgentiæ tanti sit, ut propterea excusetur à Confessione integrâ, præsertim, cùm eâ privetur suâ culpâ, cùm potuerit die antecedente confiteri, aut occasione aliâ similem lucrari. Confirmatur; si Thesis illa

illa admitteretur, plurima sequerentur incommoda: nam 1mò, in tali die concurrere solent, qui rarò confitentur, qui maximè indigent instructione, & remediis, quæ dari non possunt, si eorum conscientia non pateat integra Confessario. 2dò. Multæ fierent Confessiones sacrilegæ, multi perpetuò hærerent in peccatis, quærentes ejusmodi occasiones, vel venirent, qui per annum non confitentur ultimo die, & quamvis monerentur, ut redirent; attamen, suæ commoditati indulgentes, id negligerent, ùt non rarò docet experientia. Ex quibus patet, quòd charitas hìc non prævaleat præcepto Confessionis.

PROPOSITIO XXV.
ab Inn. XI. ord. 60.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

Expositio. Cùm Confessarius, quà judex, & 177.
medicus, non solùm possit differre absolutionem pœnitenti consuetudinario, etiam hìc & nunc dispositio, quando id necessarium, aut utile, uti sæpe esse experientia docet, fore judicat; sed etiam teneatur pœnitenti indispositio eam vel negare, vel præscriptis mediis, emendationi accommodatis, differre; hinc mirum est, quomodo viro mediocriter in Theologia versato præsens assertio potuerit in mentem venire, nihilominus

Pœnitens non potest prudenter judicari dispositus.

minus eam publicæ luci dare ausus est Joannes Sanch. disp. 9. apud Arr. d. 38. de Pœnitentia n. 39. qui docuit, non teneri Confessario interroganti pœnitentem fateri consuetudinem: non posse Confessarium pœnitenti disposito negare absolutionem, etsi millies in eadem peccata sit relapsus, nullaque appareat inchoata emendatio, modò ore proferat, se dolere, & emendationem proponere: ei enim credendum esse. Verùm, quàm absona sit hæc doctrina, nemo non videt; cùm enim Confessarius nequeat absolvere pœnitentem, nisi possit prudenter credere, eum esse dispositum; hoc autem prudenter non possit ex eo, quòd ore proferat, se dolere, & emendationem proponere, si consuetudini inhæreat, nullâ spe emendationis apparente, quomodo eum poterit absolvere? An non hoc est profanare Sacramentum, & nutrire iniquitatem malorum? Tenetur Confessarius pœnitenti credere, nisi aliud exigant circumstantiæ.

PROPOSITIO XXVI.
ab Alex. VII. ord. 12.

Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

178. *Nullum amplius ad id habetur privilegium.* *Expositio.* Poterant olim Regulares ex privilegiis variis absolvere ab omnibus casibus, Pontifici & locorum Ordinariis reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ etiam dubiis: verùm Clemens VIII. anno 1601. prohibuit, ne Regulares intra Italiam extra urbem absolverent à casibus, Pontifici, & Episcopis reservatis, nisi obtentâ in scripto ad id facultate. Anno sequenti temperavit suum

ſuum decretum, itá, ut opus non eſſet facultate in ſcripto, & à dubiè reſervatis in Bulla Cœnæ poſſent abſolvere. Conſtitutionem Clementis confirmavit Paulus V. an. 1617. cùm autem ſucceſſu temporis Pontifices privilegia, variis Ordinibus conceſſa, iterum innovâſſent, ac de novo conceſſiſſent: hinc aliqui intulerunt, revixiſſe privilegium abſolvendi à caſibus, Epiſcopo reſervatis, olim conceſſum; verùm Urbanus VIII. oppoſitum declaravit, prohibuitque, ne Regulares etiam extra Italiam abſolverent à caſibus, Epiſcopis reſervatis, niſi obtentâ ab iis facultate. Poſt hoc decretum adhuc multi inclinârunt in eam opinionem, etiamnum poſſe Regulares abſolvere à caſibus, Epiſcopis reſervatis, eò quòd decretum non eſſet debitè promulgatum, &c. Sed Alexander VII. hanc opinionem proſcripſit, itá, ut ultra de hoc dubitari non poſſit.

Dubium tamen hìc movetur, an proſcriptio illius Theſis intelligenda ſit non tantùm de caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſervant, & exhiberi ſolent approbandis in tabella, an verò etiam de reſervatis Epiſcopo jure communi, vel conſuetudine, ùt eſt percuſſio levis Clerici ex cap. *Pervenit de ſententia excommun.*, excommunicatio contra procurantes abortum ex Bulla Greg. XIV. omnesque papales occulti. Circa hoc dubium duplex eſt ſententia. Averſa, Lezana, & alii ſupra 30. apud Hart. t. 1. tr. 5. reſ. 17. putant, Regularibus tantùm eſſe ſublatam facultatem abſolvendi, quos Epiſcopi ſibi ipſis reſervant, non verò de reſervatis in jure. Rationem dant, quia Urbanus VIII. tantùm declaravit, non revixiſſe facultatem abſolvendi à reſervatis Ordinario loci, antè ſublatam; conſtat autem per decreta antecedentia, ſolùm fuiſſe ſublatam facultatem ab-

179. *An idẽ de reſervatis Epiſcopo in jure?*

absolvendi à casibus, quos Episcopi sibi ipsi reservant : proinde de his tantùm loquitur Paulus V. Urbanus VIII. & in præsenti Alex. VII. Confirmatur : Propositio relata damnatur, ùt scandalosa, quòd Regulares, non obstantibus decretis antecedentibus, arrogarent sibi facultatem absolvendi à casibus, Episcopo reservatis, decreta autem nusquam prohibuerunt Regularibus, ne absolverent à casibus, Episcopis in jure communi reservatis: proinde proscriptio propositionis non est de his intelligenda, nisi tamen Episcopi in edictis sibi eos reservarent.

Econtrà Viva hìc sub n. 14. cum Bordona tenet oppositum, eò quòd decreto Pauli V. ea etiam facultas videatur sublata : dicitur enim in eo, ac insuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis (puta, seu Sæcularibus, seu Regularibus quorumcunque Ordinum) quibuscunque privilegiis & facultatibus suffulti ab excommunicationibus, vel casibus eisdem ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reservatis, præterquam in articulo mortis absolvere audeant, vel præsumant. Fuit autem prohibitio illa universalis, & non restricta ad Italiam, ùt erat illa Clementis : sic enim declaravit Urbanus VIII. in suo decreto dicens: Nec intra, nec extra Italiam eam facultatem esse Regularibus; ergo etiam fuit universalis quoad casus, cùm nihil excipiat. Ità Viva.

PROPOSITIO XXVII.
ab Alex. VII. ord. 3.

Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Triden-

dentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sac. Congregationis Em. Cardinalium visa & tolerata est.

Expositio. Hìc Pontifex solùm declarat, eam sententiam non esse visam, & toleratam in Consistorio Sacræ Congregationis. Hoc si verum esset, non leve pondus ei accessisset. Sententia autem hæc est: Cùm Episcopis per Trid. Sess. 14. cap. 6. concessa sit facultas suos subditos in sua Diœcesi in foro conscientiæ absolvendi à casibus occultis, Pontifici reservatis, & etiam ab hæresi, in Bulla autem Cœnæ, quæ quot annis renovatur, in die Cœnæ Domini prohibeatur, ne quis ab hæresi absolvat, præterquam in articulo mortis; putârunt Navar. & alii, per id tamen non derogari facultati Episcopis concessæ à Tridentino, eò quòd non fiat mentio Concilii Trid. quæ tamen fieri deberet, ut ei derogaretur. Hæc sententia hìc non damnatur. 180. *Damnatur, quòd sit visa, & tolerata.*

PROPOSITIO XXVIII. ab Alex. VII. ord. 4.

Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque Sæculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursâ.

Expositio. Quamvis Prælati, Regulares possint suos subditos vi sui muneris absolvere ab omnibus culpis, pœnis, & Censuris Ecclesiasticis, & in iis omnibus dispensare, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis, quia ex decreto Pii V. ex Cap. *Abbates de Privilegiis in 6.* iis com- 181. *Deest facultas in sæculares.*

competit jurisdictio quasi Episcopalis in suos Religiosos, spectatque id ad exemptionem Religiosorum ; attamen nunquam habuerunt omnes & singuli facultatem absolvendi ab hæresi occultâ Sæculares, nec modò possunt, nisi specialiter concedatur.

PROPOSITIO XXIX.

ab Eod. ord. 16.

Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

182. *Repugnat Tridentino.* *Expositio.* Hanc Thesin docuerunt Soto, Vega, Ledesma, Panormitanus, Casp. Hurtado, & alii existimantes, ità consuetudine introductum esse, quos post Trid. secuti sunt Navarrus & Sotus in 4. disp. 18. a. 2. verùm hæc opinio reprobatur tanquam falsa : quia juxta Trid. Sess. 23. cap. 15. nullus potest Sæcularium etiam Sacerdotum, Confessiones audire, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopo sit approbatus : unde nec Episcopi possunt sibi eligere Sacerdotem, qui nec approbatus sit, nec ab ipsis possit approbari : quare, licèt possint eligere sibi subditum, aut, etiam alium in sua Diœcesi ad tempus subsistentem, quem eligendo approbent, tamen non possunt eligere non subditum extra eorum Diœcesin existentem, nisi sit à suo Episcopo approbatus : cùm enim hæc controversia Romæ agitaretur, & S. Congregationis Cardinales diversa sentirent, Greg. XIII. respondit, in dubio tutiùs esse adhærere decreto Concilii Tri-

Tridentini : ſecus dicendum de Prælatis Regularibus : Tridentinum enim tantùm requirit approbationem Epiſcopi ad audiendas Confeſſiones Sæcularium ; hinc, ſicut poteſt Prælatus Regularis ſuis ſubditis concedere facultatem confitendi ſimplici Sacerdoti , poterit quoque ſibi ipſi ſimplicem Sacerdotem eligere Confeſſarium, ſive externum, ſive propriæ Religionis, & ſubditum, ùt habet communiſſima : Superior enim duplicem perſonam repræſentat, ſcilicet ſuperioris,& hominis, ſeu membri communitatis, quâ ſuperior poteſt alteri poteſtatem delegare in ſe, ùt hominem, exercendam : quà homo poteſt alteri ſubeſſe, ſicque exercere authoritatem ſuam erga ſeipſum , non ſecus ac erga ſuos ſubditos, ne ipſe ſit deterioris conditionis, quàm illi.

PROPOSITIO XXX.
ab Alex. VII. ord. 6.

Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitâſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus.

Expoſitio. Tho. Hurtado tr. 4. cap. 1. reſp. 183.
6. cenſuit chartæ talis traditionem non eſſe im- *Immediatè*
mediatam ſollicitationem, Trullench l. 1. in De- *ſollicitat.*
cal. cap. 2. d. 18. putavit probabiliter , talem
non eſſe ſollicitatorem : hoc Palao quidem to. 1.
tt. 4. diſp. 9. nu. 94. viſum eſt probabile ; ſed quia crimen eſt graviſſimum, dixit, ſtandum eſſe pro ſententia oppoſita. Fundamentum hujus opinionis erat 1. Quia traditio talis chartæ eſt potiùs

potiùs causa sollicitationis, quàm sollicitatio, cùm non moveat ignarum pœnitentem, quòd alliciat ad peccatum. 2. Quia præceptum denuntiandi non obligat, nisi sollicitatio sit completa. 3. Quia finis præcepti exigentis denuntiationem est, ne pœnitens accedens ad pœnitentiam gravioribus delictis oneretur: hîc autem hoc cessat. 4. Quia traditio chartæ ignoranti ejus contentum videtur actio indifferens. At contra est: Traditio chartæ ad peccatum provocativæ gravem injuriam irrogat Sacramento, quam ignorantia fœminæ non minuit; sicut eam non minueret, si fœmina, immediatè antè sollicitata, resisteret fortiter. Dein traditio talis chartæ Sacramentum reddit odiosum, cùm in eo paretur interitus animarum. Quare non minùs denuntiandus est tradens talem chartam, quàm immediatè ante vel in ipsa Confessione sollicitans. Hinc patet responsio ad rationes illas umbratiles. Ad 1mam. Nihilominus traditio talis est injuriosa Sacramento non minùs ac sollicitatio in Confessione, quam fœmina victoriosè repelleret. Ad 2. Sollicitatio dicitur completa, quâ medium ponitur alliciens ad peccatum. Ad 3. Quamvis fœmina admittens ignoranter schedulam tunc non tentetur, tentabitur eam legens, & fortè graviùs, quàm fuisset tentata in Confessionali, munita actuali proposito & dolore. Ad 4. Actio de se mala est, latente malitiâ, quæ deinde apparebit, sicut, si verbis ambiguis fœmina tentata fuisset in Confessione, & dein malitiam advertat post Confessionem.



PRO-

PROPOSITIO XXXI. ab *Alex. VII. ord.* 7.

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

Expositio. Putârunt aliqui apud Thomam Hurtado tr. 4. c. 6. Resp. 8. Si persona sollicitata confiteatur sollicitatori suo Confessario, quòd ab eo possit absolvi, nec hic teneatur monere sollicitatam illam, ut se sollicitatorem denuntiet; quia, quamvis teneretur monere eam, si alius Confessarius sollicitâsset, tamen nimìs gravis esset obligatio astringens Confessarium ad monendum, ut ipsum sollicitata denuntiaret. 184. *Obligatio denuntiandi ex lege Ecclesiæ astringit sollicitatam.*

Probatur falsitas: nam dato; quòd Confessarius non teneatur monendo cooperari ad suî denuntiationem, non ideo sollicitata erit libera ab onere denuntiandi: hoc enim non venit à monitione Confessarii, sed à lege Ecclesiæ: unde, nisi pœnitentem excuset ignorantia inculpata legis, eum denuntiare tenebitur. Dubitatur tamen, an, si personaliter non possit denuntiare, ad id teneatur per epistolam, vel internuntium v. g. alium Confessarium? Ratio dubitandi ex una parte est tum, quia, si lapsus in casum reservatum, vel censuram, jubeatur se sistere Superiori, & eum personaliter adire non possit, non tenetur eum convenire per epistolam, vel Confessarium, ùt habet communis sententia, cùm præceptum tantùm obliget, ut se Superiori sistat;

ſiſtat ; ſed abſolvi poteſt ab inferiore habente facultatem ab iis abſolvendi ; tum quia, ùt notat Sanch. epiſtolæ poſſunt facilè intercidere, in alias manus venire cum infamia Confeſſarii ſollicitantis, quæ & ſequeretur , ſi ad id alterius operâ uteretur, imò & ſollicitata in ſuſpicionem veniret , an non conſenſerit , aut anſam dederit ſollicitationi. Ex altera parte eſt , quòd denuntiatio illa ſit gravis momenti , ſpectetque ad bonum publicum : & periculum, ne literæ aperiantur , ſit remotum , famaque alterius Rei quoque cedere debeat bono ſpirituali communi & reverentiæ Sacramenti. Unde, quamvis non teneatur alius Confeſſarius onus denuntiandi in ſe ſuſcipere, imò non expediat, ut Confeſſarius in ſe ſuſcipiat obligationes pœnitentis v. g. reſtituendi pecuniam,famam,denuntiandi,ſe ſiſtendi Superiori pro abſolutione à reſervatis ; tamen,ſi Confeſſarius, vel alius velit id onus ſuſcipere , aut ſollicitata per literas denuntiare poſſit, ad id tenebitur : ſecus mulieres ſollicitatæ ferè ſemper excuſarentur à denuntiatione, quia plerumque judicem Fidei ſine aliqua nota adire non poſſunt. Hæc poſtrema ſententia, per ſe loquendo , videtur tenenda. Dico, per ſe loquendo: nam viri docti apud La Croix l. 2. num. 216. dicunt idem de hac denuntiandi obligatione in Germania, quod dictum eſt de obligatione denuntiandi hæreticos ſupra n. 81. Quanquam poteſt quandoque eſſe obligatio ex lege naturæ, talem denuntiandi illi, qui corrigere poteſt talem Confeſſarium.

* *
*

PRO-

PROPOSITIO XXXII.
ab Alex. VII. ord. 15.

Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam impleat.

Expositio. Cùm certum sit, dari communionem Sanctorum, posseque Fidelem operum suorum fructum satisfactorium & impetratorium transferre in alium ; hinc Paludanus, Sylv. Anton. Altisiodorensis apud Lug. disp. 15. n. 79. docuerunt, quòd pœnitens pœnitentiam merè satisfactoriam implere per alium, præsertim magis devotum, possit ; quia potest quis debita sua per alium solvere, & voti materiam mutare in aliam meliorem, & probabiliter in evidenter æqualem. Verùm Thesis non subsistit : cùm enim pœnitentia injungatur ad novæ vitæ custodiam, & ad præteritorum delictorum vindictam, & castigationem ; debet actio esse personalis, non secus ac contritio & confessio. Et idem est de voto personali, quod tale manet, etsi materia mutetur in meliorem, cumque votum proveniat ab ipso vovente, qui se obligat ad opus, quatenus est Deo gratum, adeoque si præstet Deo gratius, votum non violat ; potestque id mutare in melius : at obligatio ad satisfactionem provenit à judice sacramentali, à quo elevatur opus ad causandam gratiam ex opere operato ; & hinc à pœnitente mutari non potest in melius. Quòd si Confessarius pœnitenti injungeret, ut pœnitentiam peragerct ex parte per alium, juxta Lug. Laym. & alios tantùm procuratio esset satisfactio sacramentalis, juxta Suar. probabiliter

185. *Contra injungitur actio personalis.*

& ipſum opus v. g. jejunium prodeſſet ex opere operato, quia ex conſenſu Confeſſarii petitum ſit moraliter opus pœnitentis.

PROPOSITIO XXXIII.
ab Alex. VII. ord. 37.

Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

186. *Nova indulgentiæ Regularibus propriæ.* Paulus V. ut innumeris Regularium indulgentiis modum poneret, an. 1606. antiquas omnes illis ſolis proprias revocavit, aliquas de novo conceſſit, videlicet 1. Indulgentiam plenariam pro die ſuſcepti habitûs, ſi confeſſi, & Sacramento Euchariſtiæ refecti fuerint. 2. Pro die, quo religioſa vota emittunt. 3. In articulo mortis, ſi, ubi confiteri & communicare non poſſunt, ſaltem contriti, ore, vel minimùm corde invocent devotè nomen JESU. 4. In feſto principali Ordinis degentibus intra clauſtra, quales cenſentur etiam abſentes ex obedientia, ad nutum revocabiles. 5. Eo die, quo quis primam Miſſam celebrat, quam etiam alii Regulares lucrari poſſunt, ſi eidem Miſſæ interſint, & confeſſi communicent, aut eo die Miſſam celebrent. 6. Iis, qui per dies decem continuos exercitiis ſpiritualibus vacant. 7. Viſitantibus propriam Eccleſiam, conceſſit indulgentias Eccleſiarum urbis & Stationum, modò oretur pro extirpatione hæreſis, exaltatione Eccleſiæ, & concordiâ Principum Chriſtianorum: iis autem, qui abſunt ex obedientia extra clauſtra, indulgentias quinque annorum, & totidem Quadragenas, ſi ante quodcunque Altare recitent 5. *Pater & Ave.* Porro Statio-

nes

nes debent esse insertæ libro Missarum : hanc enim restrictionem fecit Innoc. XI. 1678. in Bulla revocatoria plurium indulgentiarum. 9. Iis, qui ex obedientia ad terras infidelium vel hæreticorum mittuntur, pro die abitûs, & adventûs in eas concessit indulgentias plenarias. 10. Iis, qui per mensem quotidie meditantur per mediam horam, & ultimâ Dominicâ mensis Sacramenta Confessionis & Communionis suscipiunt, concessit indulgentias 60. annorum, & totidem quadragenas. 11. Iis, qui contrito corde de culpis & defectibus in Capitulo se accusant, 3. annorum, & 3. Quadragenarum. Indulgentias antiquas esse revalidatas putavit Roderiquez cum aliis Salmanticensibus; ast opinionem illam proscripsit Alex. VII.

Dixi autem: Paulus V. revocavit indulgentias antiquas solis Religiosis proprias : nam revocatæ non sunt, sed obtineri à Regularibus possunt 1. Concessæ omnibus Christi fidelibus. 2. Concessæ Confraternitatibus v. g. Rosarii, &c. 3. Concessæ per modum suffragii applicabiles animabus Purgatorii, prout Pontifex declaravit apud Dianam p. 4. tr. 4. resol. 20. uti nec in anno Jubilæi suspenduntur pro iis indulgentiæ. 4. Indulgentiæ olim concessæ Sæcularibus visitantibus Regularium Ecclesias : sunt enim indulgentiæ locales omnibus communes. 5. Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Romanis, Hierosolymæ, Compostellæ, Portiunculæ : has enim Regulares lucrari possunt, si ante Venerabile dicant sexies *Pater & Ave*, & simul *Gloria Patri*, tum, quia sunt indulgentiæ locales ; tum quia, licèt permittatur, quòd Paulus V. eas revocaverit, eas tamen revalidavit Urbanus VIII. ut refert Viva hic num. 8. ubi sub num. XI. ex P. Antonio 187.

Indulgentiæ antiquæ solis Regularibus propriæ revocatæ; non verò aliis communes.

Natali notat, Romæ quotidie esse ad minimum octo & triginta indulgentias,quæ animabus Purgatorii applicari possint, quasque Regulares visitando Ecclesias proprias lucrari valeant. Ex quibus tamen non sequitur, paucas animas diu detinendas in Purgatorio, etsi dicatur cum Suar. infallibiliter prodesse iis, quibus applicantur, ex illo Matthæi 16. *Quodcunque solveris super terram &c.* nam indulgentiæ non ità facilè obtinentur; præterquam enim, quòd justa causa requiratur in elargiente indulgentias, ut quis eas obtineat, debet esse ritè dispositus: oratio ejus debet esse humilis, & cum fiducia in meritis Christi, cùm magnum sit, quod desideratur; ex parte defuncti etiam juxta Cajet. & alios requiritur, ut in vita ei curæ fuerit liberatio animarum, sicque meruerit Indulgentias sibi applicari: *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequenter.* Et qui non fecerit misericordiam, misericordiam non meretur.

188. *Nec concessæ vivæ vocis oraculo pro defunctis.*

Dices. Saltem vivæ vocis oraculo concessæ non sunt animabus Purgatorii applicabiles. Nam Gregorius XV. & Urbanus VIII. omnia privilegia & gratias vivâ voce concessas revocârunt. Resp. Neg. Ass. Nam Cardinalis de Lugo testatus est, uti refertur à multis fide dignis, Urbanum, factâ à se revocatione, declarâsse, non fuisse intentionem suam, revocare Indulgentias vivâ voce concessas; Gregorius autem revocavit tantùm privilegia, quo nomine non veniunt Indulgentiæ. 2dò. In revocatione gratiarum non fit mentio Indulgentiarum, ergo, cùm sint maxima gratia, sicut non censentur concessæ, nisi nominatim exprimantur; sic nec censentur revocatæ, nisi illarum fiat specialis mentio. 3tiò Indulgentiæ nulli præjudicant, neque illarum usus pro defun-

ctis vergit in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, cujus observatio fuerat scopus illorum Pontificum, ùt habetur in Bullis revocationis. Ità La Croix, qui testatur, Revisores Romanos in Responsione 12. Septembris anno 1694. ad Provinciam S. J. Rheni inferioris datâ, agnovisse, probabiliter non esse revocatas pro solis defunctis Indulgentias vivâ voce concessas. Vide La Croix L. 6. sub num. 526.

Præmemoratis Indulgentiis, novissimè Benedictus Papa XIV. has addidit. 1. ann. 1749. 15. Julii per Bullam: *Quemadmodum* concessit sæcularibus, & cujusvis Ordinis, & Instituti Regularibus Sacerdotibus unum Altare privilegiatum, Quotidianum, & perpetuum in Ecclesiis PP. Soc. JESU à Rectore pro tempore destinandum. 2. Anno 1753. 29. Martii per Bullam: *Quantum illi secessus.* Plenarias Indulgentias omnibus qui decem, vel quinque, imò vel uno die obierint exercitia S. Ignatii in Collegio, vel domo Societatis JESU, aut publicè in templo, & præviâ confessione & Sacra communione ibidem devotè oraverint pro Principum Catholicorum concordia, extirpatione hæresum, exaltatione Ecclesiæ. Potestque hæc Indulgentia applicari animabus in purgatorio. In eadem Bulla conceditur Confessariis ejusdem Societatis, à superiore deputatis, facultas absolvendi quoscunque sæculares, Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscunque Ordinis, vel instituti à quibuscunque peccatis, etiam Papæ extra Bullam Cœna reservatis. Hæc facultas conceditur in perpetuum, non obstantibus quibuscunque Ordinum Privilegiis &c.



THEOLOGIÆ MORALIS

PARS I.

De Actibus humanis, tum in genere, & eorum principiis directivis, tum in specie de malis, & merito Theologico.

DIVISIO ET SERIES PARTIS I.

TRACTATUS I.

De Actibus humanis in genere.

CAPUT I.

De Quidditate actûs humani, ejus Divisione, & Ordine.

CAPUT II.

De voluntario, & libero, 1mo, & 2do actûs humani prædicato, deque his oppositis involuntario, coacto, & violento.

Quæst. II.

CAPUT III.

De morali, seu moralitate actus humani, tertio ejus prædicato.

TRACTATUS II.

De principio intrinseco, actuum humanorum directivo, seu de conscientia, formali eorum regula.



CAPUT

CAPUT I.

De Conscientia in genere.

CAPUT II.

De Conscientia dubia.

CAPUT III.

De conscientia probabili, & usu opinionum probabilium pro formanda conscientia certa.

CAPUT IV.

De conscientia perplexa, & scrupulosa.

TRACTATUS III.

De Legibus, principiis extrinsecis, actuum humanorum directivis.

CAPUT I.

De natura, causis, effectibus, proprietatibus, divisione, & differentia Legis à præcepto.

CAPUT II.

De Lege naturali, & positiva divina.

Quæstio

CAPUT III.

De causa efficiente, & materia legis humanæ.

CAPUT IV.

De obligatione legis humanæ.

CAPUT V.

De ſubjecto legis humanæ.

CAPUT VI.

De impletione legum, & præceptorum.

CAPUT VII.

De causis excusantibus ab impletione, vel transgressione legis, aut præcepti.

Quæstio

CAPUT VIII.

De lege favorabili, odiosa, Privilegiis, & gratiis.

CAPUT IX.

De lege pœnali, & irritante, consuetudine, & jure gentium.

CAPUT X.

De legis humanæ dispensatione.

***

CAPUT XI.

De interpretatione legis, & privilegii.

TRACTATUS IV.

De Censuris, Irregularitate, & Sepulturis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Censuris Ecclesiasticis in genere.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

CAPUT III.

De Suspensione.

CAPUT IV.

De interdicto Ecclesiastico.

CAPUT V.

De absolutione à Censuris.

CAPUT VI.

De Irregularitate.

CAPUT VII.

De Ecclesiastica Sepultura.

TRACTATUS V.

De peccatis, & merito Theologico.

CAPUT I.

De peccatis in genere.

CAPUT II.

De peccato mortali, & veniali.

CAPUT III.

De peccatis merè internis.

CAPUT IV.

De merito supernaturali, seu Theologico.





TRACTATUS I.

DE

Actibus humanis in Genere.

IN Actu omni humano, cujus notitia Theologo morali, & animarum directori imprimis necessaria est, tria potissimùm prædicata inveniuntur generalia: nam debet esse voluntarius, liber, moralis, seu factus cum advertentia ad regulam morum; quia reddit hominem vel laude, & præmio; vel vituperio, & pœnâ dignum. De his prædicatis ea duntaxat delibabimus, quæ ad Theologiam moralem, & praxin pertinent.

CAPUT I.

De quiditate, divisioneque Actûs humani, & agendi ordine.

QUÆSTIO I.

Quid sit Actus humanus, seu moralis?

RESp. 1mò, Actus humanus, minùs strictè acceptus, est actus, qui procedit ab homine, liberè operante: vel ex D. Tho. 1. 2. q. 1. a. 1. qui procedit ab homine, quatenus est dominus suorum actuum per intellectum, & voluntatis. 1. *Actus humanus latiùs tabilis.*

luntatem: vel breviùs: actus hominis, quatenus homo est. Dicitur 1. *Actus*, puta, vel positivè, vel saltem interpretativè talis, si omissio purè libera possibilis est. Dicitur 2. *Qui procedit ab homine*, id est, ab intellectu dirigente, & à voluntate movente se in finem, seu objectum, sub ratione boni, propter se appetibilis, cognitum. Dicitur 3. *Ab homine liberè operante*: actus enim humanus convenit homini, ùt homo est, eumque probat agens intellectivum liberum, facit laude, vel vituperio dignum, adeoque, liber sit, necesse est. Hinc sequitur, quòd motus voluntatis, & intellectûs, qui omnem rationis advertentiam prævertunt, actusque alii necessarii, non sint actus humani quoad modum operandi, sed tantùm hominis. Sic quoque amor, & visio beatifica, licèt sint actus honestissimi; non tamen sunt actus humani, utì hìc considerantur, quia non procedunt à voluntate ex libera ejus determinatione.

2. *Strictè talis.* Resp. 2. Actus humanus strictè, & propriè magis acceptus, est actus liber procedens à voluntate cum advertentia rationis ad bonitatem moralem, vel malitiam objectivam, seu ad regulam objectivam approbantem, vel prohibentem, aut, ùt quidam volunt, etiam permittentem. Ratio est; quia actus humanus, strictè & propriè dictus, facit operantem laude, & præmio, vel vituperio, & pœnâ dignum, id quod facere non potest, nisi sit liber, & simul fiat cum advertentia ad honestatem, vel malitiam objectivam, illamque intendat; hanc verò interpretativè saltem acceptet. Unde, si pueri ante usum rationis perfectum moralem ponant actus liberos sine advertentia ad honestatem moralem, vel malitiam, actus strictè humanos non ponunt,

ponunt. Item, si quis ex duobus pomis omnino similibus unum præ alio eligat. Et idem est de actibus in individuo indifferentibus, qui dari probabiliùs possunt, saltem per accidens, ùt, si quis ad focum liberè sedeat, ut frigus arceat, &c. Actus enim liber præcisè plus non dicit, quàm qui sic procedit à voluntate, ut ex ejus determinatione potuerit non procedere, quod non est esse moralem. Ex his, ùt dixi, patet, tria in actu humano prædicata esse consideranda, nempe voluntarium, liberum, & morale.

QUÆSTIO II.

Quomodo dividatur Actus humanus?

Resp. Actus humanus strictè dictus divi- 3.
ditur 1mò. adæquatè in bonum, & malum. Bonus, seu honestus est, qui est conformis regulæ morum approbanti, vel præcipienti, vel vetanti; malus, qui difformis regulæ morum præcipienti, aut vetanti. Porro regula morum duplex est, alia formalis, creata, & interna, quæ est dictamen rationis, & dicitur conscientia; alia est objectiva, increata, & externa, quæ est lex æterna Dei. Dixi: *Actus humanus strictè dictus*; nam latiùs acceptus dividitur in bonum, malum, & indifferentem, qui nec positivè conformis, nec positivè difformis est legi Dei, vel regulæ morum, sed permissus tantùm, ùt præcisè recreandi animi causâ ambulare, audire musicam, ad pellendam molestiam frigoris sedere ad focum, &c. Hi, si, ùt tenent Scotistæ, & alii, possint etiam per se esse indifferentes, nec laude, vel pœna digni sunt: vocantur tamen ab aliquibus simpliciter humani, eò quòd sint li-

Ejus divisio in bonum, malum, indifferentem.

beri, & sint de se capaces laudis, vel vituperii, cùm fieri possint ex bono, & malo fine.

2dò. Actus humanus, tam bonus, quàm malus, & indifferens, alius est merè internus, alius ex in- & externo mixtus. Merè internus est, qui non prodit in actionem, vel omissionem externam, ùt amor simplex, desiderium inefficax, gaudium, odium simplex. Mixtus est, qui actionem, vel omissionem externam includit, ùt auditio devota, vel omissio Sacri libera.

3tiò. Actus humanus alius est purè elicitus, qui procedit à voluntate nullo alio suo actu inclinata; alius simul imperatus, qui procedit à voluntate per alium actum ejus intentus; alius purè imperatus, qui procedit ab alia potentia ad agendum à voluntate applicatâ.

4tò. Alii sunt prosecutivi, quibus bonum prosequimur. His si bonum prosequamur per media consequendum, dicuntur constituere viam prosecutionis; alii sunt aversativi, quibus malum aversamur. His, si tendant ad malum arcendum, vel propulsandum, constituitur via fugæ, & efficacis aversionis.

QUÆSTIO III.

Quis sit ordo Actuum in modo agendi humano?

4. *Bonum triplex.* Duo hìc notanda. 1mum. Omnes actiones humanæ sunt propter finem, vel bonum aliquod; est enim bonum objectum unicum voluntatis, extra quod prosecutivè ferri non potest; sed in illud, propositum ùt tale, fertur naturaliter. Est autem bonum triplex, nempe hone-

honestum, seu conveniens naturæ rationali, quia conforme legi Dei : Delectabile, & jucundum, quod adfert delectationem, gaudium, lætitiam : Utile, quod ùt tale confert tantùm ad aliud consequendum, vel est origo, seu causa boni nostri, ùt imprimis est Deus. Duo 1ma possunt propter se appeti, & esse finis operationis : ultimum 1mo modo acceptum quà tale, non potest appeti propter se, sed propter finem tantùm, & dicitur medium, quia mediat inter finem intentum, & ejus consecutionem. Finis dicitur illud bonum, cujus gratiâ fiunt cætera.

2dum. Appetitus, seu potentia appetitiva, dividitur in sensitivum, & rationalem, uterque in concupiscibilem, & irascibilem. Concupiscibilis est circa bonum, & malum simpliciter ; irascibilis est circa bonum, & malum arduum.

In appetitu actus sunt undecim, sex in concupiscibili : tres nempe circa bonum, ùt amor, desiderium, gaudium ; tres circa malum, ùt odium simplex, fuga, tristitia. *Actus appetitûs, & voluntatis.*

In appetitu irascibili sunt actus quinque : duo circa bonum arduum, ùt spes, & desperatio ; tres circa malum arduum, ùt ira, audacia, timor. His notatis.

Resp. 1mò. Ad volendum efficaciter, dum progredimur, seu in via prosecutionis alicujus finis per media obtinendi, hi actus ferè interveniunt : 1mus. Propositâ finis, seu objecti bonitate nascitur amor, qui est inclinatio, complacentia, quâ voluntas objectum approbat, tanquam sibi conveniens, præscindendo tamen ab ejus præsentia, & absentia : quamprimùm enim voluntati proponitur bonum, fertur in illud necessariò, tanquam sibi conveniens : sicut natura omnis necessariò tendit in suum bonum. Quòd *5. Ordo in prosecutione.*

si

si simul in objecto proponatur ratio mali, nascitur etiam simplex displicentia, estque voluntati liberum illud intendere, vel non intendere. 2dò. Prælucente judicio intellectûs approbante amabilitatem finis, sequitur consensus liber voluntatis, & intentio efficax, finem per media obtinendi, & sic finitur ordo intentionis. 3tiò. Intentionem sequitur deliberatio, seu consultatio de mediis, nisi fortè medium unà cum fine sit propositum, & à voluntate per eundem actum acceptatum. Est autem consultatio actus intellectûs, quo inquiruntur media, ad finem obtinendum idonea; inter se comparantur, judicatur, quæ sint potiora, à quibus incipiendum, & desinendum sit. 4tò. Consultationem sequitur consensus in media, qui est actus voluntatis, quo hæc sentit cum intellectu media approbante, quæque approbat, & acceptat saltem aliqua: consentire enim est, alteri aliquid approbanti accedere, se adjungere, vel sentire, quod ipse sentit. 5tò. Sequitur electio, quæ est volitio efficax adhibendi medium unum præ alio. 6tò. Sequitur imperium, quod est voluntatis actus, quo applicantur aliæ potentiæ ad media exequenda, & usus etiam activus dicitur. 7timò. Usus passivus, qui est positio mediorum, seu ab aliis potentiis, seu ab ipsa voluntate pro diversitate actuum. Hos actus realiter omnes semper distingui, necesse non est. Et sic finitur ordo executionis. 8vò denique. Fine obtento sequitur quies, seu fruitio, quæ est gaudium voluntatis in fine obtento, inhæsio in illo cum dulcedine, gustus quidam illius spiritualis. Dixi: *Cùm ad volendum efficaciter progredimur*: nam propositâ objecti amabilitate, & malitiâ, potest voluntas liberè illi consentire, seu

intel-

intellectui approbanti accedere per simplicem liberam complacentiam, aut inefficax desiderium, absque eo, quòd intendat efficaciter bonum propositum.

Resp. 2dò. In via fugæ hi ferè actus interveniunt. 1mò. Proposito objecto sub ratione mali, nascitur displicentia, seu odium, & aversio simplex à malo. 2dò Si malum immineat, oritur fuga, seu volitio seria vitandi malum imminens. 3tiò. Consultatio de mediis ad vitandum malum. 4tò. Consensus in media, electio, imperium, executio mediorum, gaudium de carentia mali vitati. Si non inveniantur media, vel successum non habeant, nec inveniantur alia, sequitur desperatio, & demum tristitia, seu afflictio animi de malo præsente. Nec hi actus semper necessariò omnes interveniunt, sed potest, malo proposito v. g. objecto turpi, cognito medio unico, statim illud à voluntate imperari, & v. g. avertendo intellectum ad aliud objectum, executioni dari. 6. *Ordo in fuga.*

CAPUT II.

De voluntario, & libero, 1mo, & 2do actûs humani prædicato, deque his oppositis involuntario, coacto, & violento.

QUÆSTIO I.

Quid sit voluntarium?

RESP. Voluntarium est id, quod affectivè procedit à voluntate, ex prævia cognitione intellectûs. 7. *Voluntarii quiditas.*

Dixi

Dixi 1mò. *Id*, ſive ſit actus à voluntate elicitus, ùt amor, deſiderium, gaudium; ſive actus alterius potentiæ à voluntate imperatus; aut etiam omiſſio, ùt vocalis oratio, omiſſio Sacri.

Dixi 2dò. *Quod affectivè procedit à voluntate*, quia voluntarium non eſt, quod non fit à voluntate ſecundùm ejus inclinationem ſaltem interpretativam: hinc peccata, licèt ſint permiſſivè à Deo, ipſi propriè voluntaria non ſunt: & effectus, ex cauſa etiam per ſe conſequens, ſi non ſit obligatio illam cauſam non ponendi, & effectus ſit contra voluntatis inclinationem ſeriam, aut præter intentionem, utì commotio turpis, orta ex lectione neceſſaria caſuum, occiſio innocentùm, qui cum hoſte ſunt in arce, quæ tormentis bellicis impetitur, etiam cum intentione occidendi hoſtes, non eſt voluntarius moraliter, ſeu imputativè ad culpam.

Dixi 3tiò. *Ex prævia cognitione intellectûs*, tùm quia nihil volitum, niſi præcognitum; tum quia, cùm voluntas ſit potentia ſpiritualis, debet etiam per cognitionem ſpiritualem objectum illi proponi, neque per aliam ipſi ratio honeſti, & inhoneſti proponi poſſunt; quia eſt aliquid ad rationem pertinens. Quando voluntarium dicitur: quod procedit ab appetitu, vel principio agendi intrinſeco cum cognitione, latiùs accipitur, convenitque etiam brutis, ſed de hoc hìc nobis ſermo non eſt. S. Th. definit voluntarium: *Id, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis*. Ariſtoteles verò 3. Eth. Cap. 1. *Cujus principium eſt in agente, cognoſcente ſingula, in quibus eſt actus* Definitio, à S. Thom. data, eſt explicatio voluntarii, quoad ſubſtantiam tantùm; data verò ab Ariſtotele, eſt

est explicatio voluntarii etiam quoad circumstantias : ille voluntarium simpliciter, hic perfectum exponit : ut enim actus sit simpliciter voluntarius, sufficit, quòd procedat à principio intrinseco agenti, sciente objectum actûs; ut verò sit plenè, & perfectè voluntarius, debet procedere ex cognitione repræsentante non tantùm objectum, sed omnes etiam circumstantias objectivas. Quòd si aliqua ex his ab operante ignoretur inculpabiliter, actus ex ea parte non erit voluntarius. Ex dictis.

Colliges 1mò. Sicut aliquid potest esse cognitum secundùm unam rationem, vel circumstantiam, & non secundùm alteram : ità potest esse voluntarium secundùm unam rationem, & non secundùm alteram : v. g. Titius occidit Cajum, cognoscens quidem esse hominem, sed invincibiliter ignorans esse Sacerdotem ; occisio Caji, quà hominis, est Titio voluntaria, adeoque reus est homicidii, non tamen quà Sacerdotis, adeoque non est reus sacrilegii, nec incurrit excommunicationem, etsi irregularitatem incurrat. 8. *Corollaria.*

2dò. Differt voluntarium à volito : volitum enim est omne id, in quod prosecutivè velut objectum tendit voluntas, etsi id à voluntate nullatenus causetur ; voluntarium autem debet suo modo à voluntate procedere, velut suâ causâ. Sic, si alteri optes mortem, mors est ipsi à te volita, non autem tibi voluntaria, nisi ad eam inferendam concurras v. g. suadendo, consulendo, &c. affectus tamen, quo illam optas, est tibi voluntarius, utpote procedens à voluntate tua. 3tiò. Si ab extrinseco traharis aliquò, & tu ad motionem tuî nihil conferas, motio tibi voluntaria non est. *Differt à volito.*

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quomodo dividatur voluntarium?

9. *Varia divisio.* Resp. Dividitur 1mò in liberum, & necessarium. Liberum est, quod procedit à voluntate cum indifferentia activa ad oppositum. Necessarium est, quod procedit à voluntate sine indifferentia activa ad oppositum. De primo nobis tantùm sermo est, hocque intelligitur sæpè à PP. & Theologis, quando simpliciter aliquid voluntarium appellant. Sic S. Aug. L. de vera Religione c. 14. illud accipit, dicens: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium.*

2dò. Dividitur in voluntarium positivum, & negativum, seu privativum. Positivum est actus à voluntate procedens, seu elicitus, ùt amor, odium, desiderium, fuga, &c. sive imperatus, & ab alia simul potentia ex voluntatis imperio procedens, ùt actus fidei, auditio Sacri, percussio inimici, furtum &c. Negativum, seu privativum est libera omissio actionis, sive omissio sit pura, utì si, objecto indifferenter proposito, voluntas se merè negativè circa illud habeat, suspendendo omnem actum incompossibilem cum actu omisso. Quod an fieri possit, controversia est speculativa; sive omissio sit non pura, sed procedat ab actu voluntatis, illam imperante, vel causâ illius, ùt, si quis velit omittere Sacrum, nolit elicere actum fidei, velit lusum tempore Sacri.

3tiò. Voluntarium positivum dividitur in formale, & objectivum, seu denominativè talè. Formale est actus à voluntate elicitus, hinc dicitur

tur etiam voluntarium elicitum, & immediatum. Objectivum, seu denominativè tale est actus alterius potentiæ, vel ejus omissio, à voluntate procedens, ùt lectio, scriptio, ambulatio, &c. aut etiam actus voluntatis imperatus, v. g. contritio ex amore justificationis elicita; quæ formaliter simul voluntaria est.

4tò. Voluntarium formale dividitur in actuale, & habituale. Actuale est actus in præsenti à voluntate procedens; habituale est actus præteritus moraliter perseverans, vel in negatione retractationis, vel in aliqua obligatione inducta, aut acceptatione Dei; ùt volitio antè habita, non retractata, cras pro aliquo dicendi Missam, venditio heri facta, matrimonium contractum, professio religiosa, votum antè emissum.

5tò. Actuale subdividitur in explicitum, & implicitum. Explicitum est actus, qui operanti se clarè manifestat: hoc si quid intendatur, dicitur intentio formalis, ùt, dum animo dico: Volo dicere Sacrum, ambulare, scribere. Implicitum est actus, qui se operanti non manifestat, ùt, dum quis scribit, ambulat, &c. alia cogitans: hoc si quid intendatur, dicitur intentio virtualis, formalis implicita. Utrumque hoc aliud est purum; aliud mixtum. Purum est, quod procedit à voluntate sine ulla inclinatione voluntatis in oppositum, ùt amor Dei, contritio; & hoc dicitur etiam spontaneum, etsi spontaneum ab aliis dicatur, quod procedit à principio intrinseco cùm prævia cognitione, sive sensitivâ, sive spirituali, & sic etiam convenit brutis. Mixtum dicitur, quod procedit à voluntate, cum aliqua inclinatione in oppositum, ùt voluntas projiciendi merces in mare metu naufragii,

cum inclinatione contraria, à qua projectio denominatur etiam secundùm quid involuntaria.

6tò. Voluntarium objectivum, seu denominativè tale, subdividitur in directum, & indirectum. Directum est actio, vel omissio, in se volita, procedens à voluntate, vel procedens à voluntate, ùt intenta in se, vel mediante causâ, ùt, si sciens, volensque ambules, ores, vel ludas, ut omittas Sacrum: si loquaris turpia, ut alter in peccatum inducatur. Indirectum, est actio, vel omissio, procedens à voluntate, non intenta in se, sed prævisa secutura ex alio intento in se, ùt, si nolis incendium, attamen ponas ignem, ex quo illud futurum prævides.

Denique voluntarium dividitur in merè physicè tale, & tale moraliter. Voluntarium merè physicè est, quod procedit quidem à voluntate, non tamen est imputabile ad laudem, & præmium; vel vituperium, & pœnam; ùt, si aliquis ad arcendum frigus accedat focum, non intendens, nisi bonum physicum naturæ. Voluntarium moraliter est actio, vel omissio, à voluntate procedens, imputabilis ad laudem, vel vituperium, ùt omissio, auditio Sacri die præcepti.

QUÆSTIO III.

Quid requiratur, ut omissio censeatur denominativè voluntaria, liberaque, & imputabilis ad culpam?

10. *Actus oppositus debet esse liber & obligatorius*

Resp. Ut omissio sit denominativè voluntaria, liberaque moraliter, & ad culpam imputabilis, requiritur, tum, ut actus illi oppositus sit in potestate voluntatis, tum, ut sit ad hunc obligatio, non tamen, ut sit directè volita. Ratio

primæ

primæ partis est ; quia , cùm omissio sit purum nihil , non potest voluntas in eam influere physicè , sed moraliter tantùm ; hoc autem non potest , nisi in quantum in ejus potestate libera est ponere actum illi oppositum, & hunc liberè non ponit : hinc omnis omissio moraliter voluntaria, seu imputabilis ad laudem, vel vituperium , est simul libera, & omissio Sacri volita ab existente in carcere , non est voluntaria , nec omissiones puerorum ante usum rationis sunt moraliter voluntariæ, etsi tales esse possint physicè, utì, si puero offeras pomum , & non acceptet. Ratio 2dæ partis est , quia , cùm voluntas in omissionem physicè non influat , si non sit obligatio ponendi actum oppositum , nihil adest, ratione cujus sit moraliter voluntaria, & imputabilis ad culpam. Ratio 3tiæ partis est ; quia satis est , quòd quis velit actum , cum actu omissioni opposito incompossibilem, v. g. quòd tempore Sacri præcepti velit ludere , vel venari.

Dixi 1mò. *Ut sit moraliter voluntaria*,quia, ut sit physicè voluntaria, non requiritur obligatio ponendi actum illi oppositum : obligatio enim non facit , sed supponit voluntarium, potestque omissio esse affectivè à voluntate , etsi nulla sit obligatio ad actum , ùt v. g. omissio Sacri die operario.

Dixi 2dò. *Et imputabilis ad culpam* : nam potest esse omissio laudabilis , & moraliter voluntaria , etsi nulla sit ad actum oppositum obligatio , v. g. omissio furti, omissio lusûs, venationis ex motivo honesto.

* * *

QUÆSTIO IV.

Quid requiratur, ut effectus ex omissione voluntaria secutus, sit voluntarius, & imputabilis ad culpam?

11. *Effectus per se sequens.* Nota. Effectus, vel quasi effectus, potest ex omissione sequi per se, vel per accidens. Per se sequitur, si omissio illa ex natura sua connexionem habeat cum tali effectu: qualis est, quando actio omissioni opposita est necessaria ad talem effectum, vel quasi effectum impediendum: ùt, si omittas sumere cibum, sequitur fames, debilitas, mors; si omittas per piam affectionem voluntatis imperare actum fidei, sequitnr omissio actûs fidei. Per accidens sequitur, si omissio non habeat connexionem cum illo effectu, vel eventu: ùt si, nisi removeas ignem, comburatur domus, actionis tuæ omissio non est necessariò connexa cum combustione; adeoque combustio non sequitur per se ex tua omissione, cùm influxum in illam non præstes, possetque ignis ab alio removeri, aut extingui, sicque non comburi domus, stante tuâ omissione. Hoc notato.

12. *Requiritur obligatio impediendi.* Resp. 1mò. Effectus, vel quasi effectus per se proveniens ex omissione voluntaria, si sit prævisus, est physicè voluntarius indirectè; non tamen est imputabilis ad culpam, nisi sit obligatio eum impediendi; si verò hæc adsit, est ad culpam imputabilis. Ratio primæ partis est, quia, qui vult antecedens, cum consequente connexum necessariò, regulariter censetur velle consequens, quia antecedens, & consequens censentur constituere unum; sic, qui omittit clau-

claudere, vel avertere oculos ab objecto illuminato, voluntariè videt; justus, qui omittit peccare, voluntariè manet in gratia; qui omittit excludere cogitationes de objecto turpi occurrentes, voluntariè de eo cogitat. Ratio 2dæ partis est, quia, ubi non est obligatio, ibi non est culpa. Ratio 3tiæ partis est, quia, ubi est obligatio, non ponendi, vel impediendi talem effectum, ponens omissionem necessariò cum eo connexam, censetur velle effectum prohibitum: unde peccat, qui, dum est obligatio eliciendi actum fidei, omittit ejus imperium, utì & qui omittit removere, vel extinguere ignem, quo domus comburetur, si charitas, vel justitia ad id obliget.

Resp. 2dò. Effectus ex omissione voluntaria per accidens proveniens, etsi prævisus, non est omittenti propriè voluntarius, nec ad culpam imputabilis, si desit obligatio impediendi; hæc verò si adsit, est moraliter voluntarius, & ad culpam imputabilis. Ratio 1mæ partis est, quia talis effectus non procedit physicè à voluntate, ùt patet; nec moraliter: nam sublatâ obligatione impediendi effectum, omissio nullam cum eo habet connexionem, ergo volendo omissionem, non censetur velle effectum, etiam indirectè. Ratio 2dæ partis est, quia, si sit obligatio effectum impediendi, effectus per præceptum connectitur moraliter cum omissione, ità ut, cui hæc voluntaria est, imputetur effectus. Declaratur in exemplo; si non tenearis impedire submersionem navis, ejus submersio tibi propriè voluntaria non est; si autem tenearis eam impedire, v. g. gubernando eam, eò quòd ejus cura sit tibi commissa, submersio navis est tibi voluntaria, quia tuum officium, &

13. *Adesse debet obligatio impediendi.*

obligatio, inde consurgens, moraliter connectit ex una parte gubernationem, vel curam navis, ejusque indemnitatem; & ex altera parte omissionem curæ, & submersionem navis, ità ut curam omittens censearis velle submersionem navis, eamque causare, adeoque tenearis de damno.

Dixi: *Propriè*: nam aliqui putant, talem effectum posse dici moraliter physicè voluntarium, seu omittenti imputari tanquam causæ, quasi physicæ; sed impropria est locutio: nam peccata non sunt Deo voluntaria etiam physicè, etsi ea possit impedire, quia sequuntur per accidens ex omissione impeditionis divinæ, Deusque, utpote causa universalis, debet concursum suum accommodare causis secundis conformiter naturæ earum. Aliud est velle effectum permissum, aliud velle non impedire, vel velle permissionem.

QUÆSTIO V.

Quid requiratur, ut effectus, qui prævidetur ex causa voluntaria positiva secuturus, sit moraliter indirectè voluntarius ponenti causam?

14. *Causa per se, & per accidens, efficax, & inefficax.* Nota. Causa effectûs alicujus alia est per accidens; alia per se talis. Causa per accidens alicujus effectûs est, quæ ex natura sua non tendit ad productionem effectûs, vel saltem eò non tendit, ùt ab agente procedit, etsi ad effectum conferre possit. Causa per se effectûs est, quæ ex natura sua tendit, & ordinatur ad illum effectum, estque alia determinata, & necessariò connexa cum effectu, necessitate vel physicâ,

vel

vel morali. Talis est ignis applicatus materiæ proximè combustibili. Alia non determinata quidem ad effectum producendum, adeoque cum effectu non necessariò connexa; attamen ex natura sua & vi intrinseca tendens ad effectum, ponendum. Talis est mandatum, consilium, adulatio, complacentia sensitiva in bono delectabili, alliciens voluntatem ad consensum, quæ conjungi, vel non conjungi cum effectu, pendet à libero arbitrio ejus, cui hæc contingunt. Causa per se iterum alia est efficax, & proxima, quæ nempe necessariò, vel ùt plurimùm conjungitur cum effectu; alia inefficax, & remota, quæ quidem ex natura sua, & vi intrinseca ordinatur, & tendit ad effectum, sed vim magnam non habet, seu in effectum non influit notabiliter, vel ex qua effectus non provenit ùt plurimùm. Hoc notato, ad Quæstionem.

Resp. Effectus prævisus in causa sua, sive per se, sive per accidens, liberè volita, non est moraliter, seu imputativè ad culpam voluntarius, si non detur obligatio vitandi causam, nec hæc ponatur eâ intentione, ut sequatur effectus. Si autem sit obligatio non ponendi causam, vel effectus malus sit intentus, est moraliter, seu imputativè ad culpam voluntarius ponenti causam, sive per se, sive per accidens talem. Ratio 1mæ partis est, quia, si nullum detur præceptum vitandi causam, ex qua prævidetur effectus, sicut ad culpam non imputatur causa, ità nec effectus, qui non intenditur. Ratio 2dæ partis est, quia, quando est obligatio vitandi causam, effectus ex illa consequens moraliter connectitur cum causa per præceptum, ità ut judicio prudentum causam volens, censeatur velle effectum; licèt enim præceptum non tribuat actui, & ef-

15. *Est imputabilis ad culpam, si sit intentio, vel sit obligatio non ponendi causam; secus non.*

fectui rationem voluntarii, ùt præcisè voluntarius est, sed illam supponat; tribuit tamen rationem voluntarii moraliter, & ùt est imputabilis ad culpam: facit enim præceptum, ut ad hominis officium pertineat vitare causam. Ratio 3tiæ partis est, quia, si effectus intendatur, jam est in se volitus, sique malus sit, imputatur ad culpam, est etiam voluntarius, si causa influat in illum. Quandonam autem, & quæ hìc, & nunc, gravisne, an levis sit obligatio vitandi causam effectûs mali, dicetur in Tract. de charitate, peccatis, & legibus, ubi assignabuntur causæ excusantes ab observatione legum, materiæ gravitas, &c. v. n. 149. & à n. 189.

Dixi: *Non est voluntarius moraliter*: nam effectus prævisus in causa per se necessariò connexa cum illo, liberè posita, est physicè, vel quasi physicè indirectè voluntarius. Ratio est, quia, qui vult antecedens, cum consequente necessariò connexum, virtualiter vult consequens, utpote cum tali antecedente, in quo continetur, velut unum constituens, valetque hìc illud commune dictum: *qui est causa causæ, est causa causati*. Sic ignem domui applicanti voluntaria est ejus combustio, etsi eam justè posset intendere, & in se non intendat.

Dixi: *Prævisus in causa per se*: nam prævisus in causa per accidens, non est absolutè etiam physicè voluntarius, si non sit intentus; quia, cùm effectus in tali causa non contineatur per necessariam connexionem, hæcque ex natura sua ad illam non ordinetur, ponens causam non influit physicè virtualiter in effectum. Hinc, licèt Deus det nobis libertatem ad bene, & malè operandum, appetitumque sensitivum inclinantem ad bona sensibilia, unde sequun-

sequuntur multa peccata, à Deo etiam prævisa, & per gratiam efficacem impedibilia; Deo tamen peccata non sunt simpliciter, sed cum addito, solùm permissivè voluntaria, quia peccata sequuntur per accidens ad illa ex libertate nostra. Similiter non sunt peccata venialia Deo simpliciter voluntaria, etsi non possimus cum ordinariis gratiæ auxiliis omnia collectivè vitare, sed sit quædam vaga necessitas in aliqua labendi; tum, quia non est necessitas ad aliquod determinatè, tum quia, si sit ad aliquod determinatè, non est nisi moralis, nec est à Deo, sed ex culpa Adæ, vel propriâ personali, vel aliunde: tum, quia peccata non sunt affectivè à Deo, sed permittit rebellionem concupiscentiæ, ut det nobis occasionem victoriæ, & humilitatis exercendæ; sic nec parentibus peccati originalis contractio in liberis est voluntaria, quia generatio non est causa per se peccati originalis; sed illius jam antè commissi macula per accidens sequitur ad actionem parentum. Ex dictis resolves.

1mò. Non peccat valde egens pecuniâ, qui, si aliunde habere non possit, petit eam mutuò ab usurario, quem prævidet non daturum mutuum, nisi sub usura, quia petitio pecuniæ non est causa per se voluntatis habendi usuras, sed tendit tantùm eò, ut usurarius velit dare mutuò pecuniam. 16. *Corollaria.*

2dò. Non peccat exigens ex justa causâ, v.g. juramentum ab aliquo ad contractum firmandum, ubi hoc prodesse potest, quem prævidet juraturum per falsos Deos, quia non est causa talis juramenti, nisi per accidens.

3tiò. Non peccat Bellidux, tempore obsidionis ad arcendum hostem inundans agros,

etsi per accidens patiantur accolæ innocentes, quia inundatio, ùt procedit à belliduce, tendit tantùm ad vincendum hostem, atque ità damnum accolis illatum non est effectus moraliter, & per se inundationis. Idem est, si turrim incenderet, in qua cum hostibus essent innocentes.

4tò. Non peccat, qui ex justa causa legit casus de materia venerea, conversatur cum altero sexu, apprehendit manum abeuntis, vel peregrè redeuntis amicitiæ causâ, vel dat osculum, etsi prævideat orituros motus turpes, modò absit periculum consensûs in delectationem veneream, quia tales actiones non sunt causa proxima, & per se motûs turpis, suntque de se honestæ: ad actiones autem sibi licitas, & honestas quisque per se jus habet.

Dixi: *Ex causa justa*: quia effectum de se malum, etiam ex causa per accidens prævisum sine rationabili causa permittere, non vacat culpà: nam recta ratio dictat, non permittendum esse malum, dum facilè vitari potest, nec adest causa rationabilis permittendi: gravior autem debet esse ratio, si effectus pejor sit, si vergat in damnum tertii, si certò, vel proximè sequatur ex causa posita, si non pendeat ab alterius libertate. Minor potest sufficere, si pendeat ab hac, si remotè, vel probabiliter tantùm sit eventurus effectus, vel sit minùs malus, quia majus malum est magis vitandum.



QUÆS-

QUÆSTIO VI.

Quid sit involuntarium, violentum, & coactum?

Resp. 1. Involuntarium positive, & simpliciter est, quod fit renitente, quantùm est de se efficaciter, voluntate, ùt, si quis rem tuæ curæ commissam auferat, te, quoad potes, renitente, aut contra seriam tuam voluntatem perseverent in te cogitationes, vel commotiones pravæ. 2dò. Involuntarium autem positivè secundùm quid dicitur, quod procedit à voluntate quidem, attamen contra actualem ejus inclinationem perseverantem, ùt, si imminente naufragio quis vellet quidem retinere merces, attamen amore vitæ eas projiciat. 17. *Involuntarium simpliciter, & secundùm quid.*

Dixi: *Perseverantem*: quia, si inclinatio illa expugnetur, non erit propriè involuntarium secundùm quid. Sic, etsi voluntas in actu primo libero constituta complacentiam habeat in utraque parte opposita, quia tamen se determinando, complacentiam in una expugnat, determinatio non est propriè secundùm quid involuntaria, aliâs talis esset omnis actus liber. Similiter, si quis, sentiens inclinationem ad graviter illicita, eliciat attritionem ex metu gehennæ, attritio non foret involuntaria secundùm quid, quia propensio graviter prohibita expugnatur.

3tiò. Involuntarium privativè est, quod materialiter, seu non præcognitum à voluntate procedit, ùt, si quis occidat hominem, putans invincibiliter esse feram, occisio hominis, quâ talis, est privativè involuntaria: si adesset voluntas actualis, vel habitualis non occidendi hominem,

esset

esset positivè actualiter involuntaria, vel habitualiter.

Coactū, & violentum. 4tò. Coactum est, quod procedit à principio extrinseco cognoscitivo contra alterius appetitum elicitum, ùt, si quis te, quoad potes, renitentem, in domum suam traheret. Violentum est, quod procedit à principio extrinseco, seu cognoscitivo, seu non cognoscitivo, passo renitente quocunque, ùt, si lapidem projicias in altum. Itaque violentum potest convenire inanimatis, involuntarium animatis tantùm. Coactum inter duo animata est. Potes enim brutum cogere, lapidem non diceris cogere.

Ex dictis patet 1mò, quòd nullus actus voluntatis elicitus sit violentus, & involuntarius simpliciter, quia fit semper cum inclinatione *Vis, & violentia.* prævalente. 2dò, quòd vis, & violentia sit motus à principio extrinseco passo, efficaciter renitente; effectusque procedens contra seriam, efficacemque inclinationem voluntatis sit violentus, vel saltem simpliciter involuntarius. Violentia tamen à vi distingui potest; quòd sit impetus corpori illatus, vis esse possit sine illo impetu, ùt, si quis metu cogatur.

QUÆSTIO VII.

An, & quomodo voluntaria, & involuntaria sint, quæ fiunt ex metu?

18. *Metus quid sit?* Nota. Metus est actus voluntatis, quo fugimus malum imminens. Alius est gravis, alius levis. Gravis est fuga mali gravis, nobis, vel conjunctis nostris probabiliter futuri, & difficulter vitabilis. Levis est fuga mali levis, vel gravis; sed aut facilè vitabilis, aut vix futuri.

Malum grave dicitur, quod, consideratis circumstantiis personarum, judicio prudentum est formidabile, & magnum, ùt mors, gravis verberatio, incarceratio, amissio nobilitatis, vel dignitatis magnæ, jactura famæ, vel magni boni temporalis. Hoc notato.

Resp. Quæ fiunt ex metu seu levi, seu gravi, 19.
seu justè, seu injustè incusso, sunt simpliciter voluntaria, & plerumque libera. Ratio est, quia absolutè, & efficaciter procedunt à voluntate, metusque voluntatem etsi impellat, non tamen necessitat. Dixi 1. *Plerumque* : quia contingere posset, ut metus mali imminentis ità rationem perturbaret, ut libertas ad meritum, & demeritum sufficiens everteretur. Dixi 2. *Sunt simpliciter voluntaria* : nam, si præter metum impellentem ad operandum adsit simul alius affectus, seu volitio conditionata non operandi, si malum non immineret, erunt involuntaria secundùm quid. Sic, si mercator projiciat merces, metu naufragii, velletque eas retinere, si non immineret naufragium, projectio est secundùm quid involuntaria, quia repugnans voluntatis inclinationi inefficaci; simpliciter tamen voluntaria, quia procedens à volitione absoluta, magisque voluntaria.

Metus non causat involuntarium simpliciter, sed tantùm secundùm quid, at non semper.

Si autem actio, quâ efficaciter intendimus malum imminens evadere, secum non patiatur inefficacem voluntatem non operandi, si malum non immineret, ùt, si illa inefficax volitio malum illud induceret, actio illa ex metu procedens non erit secundùm quid etiam involuntaria, quia non aderit inclinatio voluntatis in oppositum: sic, si quis ex metu gehennæ doleat efficaciter de peccatis, servet mandata Dei; dolor ille, & observatio mandatorum Dei, saltem gravi-

Attritio efficax non est secundùm quid involuntaria, et si ex metu procedat.

graviter obligantium, non ſunt ſecundùm quid involuntaria, quia voluntas ſeria vitandi infernum non compatitur ſecum voluntatem liberam etiam inefficacem, & conditionatam non ſervandi mandata Dei, graviter obligantia, ſi infernus non eſſet: illa enim volitio eſſet peccatum grave, & cauſa inferni. Proinde, ſi ſtaret cum actu priore, eodem tempore, homo vellet efficaciter, & non vellet efficaciter vitare infernum.

20. *Quando metus mali excuſet à transgreſſione legis, & quando non?* Hinc 1. peccat, qui ex metu mali, etiam mortis, transgreditur legem, quæ in eo caſu pergit obligare, quia transgreſſio eſt ſimpliciter libera, & voluntaria. Pergunt autem pro eo caſu obligare leges 1. naturales, quæ prohibent actus intrinſecè ſemper malos, ùt eſt negatio fidei, mendacium, fornicatio, &c. 2. Leges divinæ, quæ reſpiciunt bonum commune Religionis, ùt lex de ſigillo Confeſſionis, de validè adminiſtrandis Sacramentis, &c. 3. Quæ reſpiciunt bonum commune Reipublicæ: ſic tenetur miles ſervare ſtationem cum periculo vitæ, & Paſtor adminiſtrare Sacramenta tempore peſtis. Præcepta autem tum divina poſitiva tantùm, tum humana, quæ reſpiciunt propriam utilitatem operantis, vel privatorum, ùt præceptum de integritate Confeſſionis, de non ſuſcipienda Euchariſtia, niſi præmiſſâ Confeſſione mortalium, præceptum audiendi Sacrum, jejunandi, &c. non obligant cum periculo mortis, aut alterius gravis mali.

Votum ex metu emiſſum 2. Valet votum ex metu proveniente ab intrinſeco, aut cauſis naturalibus emiſſum, v. g. ſi quis voveat conſtitutus in periculo naufragii, vel in gravi morbo; ſecùs eſt de emiſſo ex metu gravi injuſtè incuſſo ad illud extorquendum,

quia

quia vel Deus id non acceptat, vel irritatur jure positivo, non quidem scripto, sed tradito, ex consuetudine habente vim legis, ùt tenet Sanch. l. 4. de matrim. disp. 14. Vide p. 2. n. 331.

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo voluntaria, & libera sint, quæ fiunt ex concupiscentia, seu passione?

Resp. Quæ à voluntate fiunt ex concupiscentia, seu motu appetitûs sensitivi, bonum sensibile prosequentis, vel malum fugientis v. g. amore, odio, &c. antecedente, & præveniente voluntatem, sunt ordinariè, purè, & intensivè magis voluntaria; sæpè tamen minùs libera, & quandoque non libera. 21. *Stat cum ea ordinariè voluntarium simpliciter.*

Ratio 1mæ partis est, quia ordinariè fiunt sine repugnantia voluntatis cum majore vehementia ejusdem, & suavitate tendentis in objectum sensibile. Ratio 2dæ partis est, quia, etsi passio ordinariè non auferat indifferentiam judicii, sæpe tamen facit, ut ad bonum, malumque morale minùs advertatur, adeoque voluntas minùs sit in æquilibrio ad bonum honestum, & delectabile. Ratio 3tiæ partis est, quia passio potest esse tam vehemens, ut rationem perturbet, indifferentiamque judicii evertat, aut ità imminuat, ut non maneat usus rationis ad peccatum sufficiens. Potest quoque ità subitò abripere, ut deliberatio locum non habeat.

Dixi 1. *Quæ fiunt ex concupiscentia antecedente*: nam concupiscentia consequens liberum exercitium voluntatis, & ab hoc excitata, vel liberè continuata auget peccatum secundùm

S. Th.

S. Th. 1. 2. Q. 77. vel potiùs est signum, quàm liberè, & intensè procedat. Dixi 2. *Ordinariè sunt purè voluntaria*, quia videtur, qui dum molestiâ tentationis victus consentit in peccatum, ut molestiâ se liberet, posse retinere voluntatem non peccandi, si molestia illa sufferenda non esset, atque ità, quod procedit ex concupiscentia, poterit esse secundùm quid involuntarium.

QUÆSTIO IX.

An, & quomodo voluntaria, & involuntaria sint, quæ procedunt à voluntate ex ignorantia?

22. *Ignorantia quid & quotuplex? Antecedens.* Nota. Ignorantia, seu carentia notitiæ tam juris, quâ ignoratur obligatio, quàm facti, quâ ignoratur aliquod factum, vel non factum, v. g. quòd dixeris Horas Canonicas, alia est antecedens, alia consequens, alia comitans.

Antecedens est, quæ est involuntaria, & causa operis, quia prævertit exercitium liberum voluntatis circa eam, eò quòd nulla suspicio, vel dubitatio inciderit de ulla obligatione meliùs inquirendi, estque conjuncta cum appetitu recto, seu cum tali voluntatis seu actuali, seu habituali dispositione, ùt, si scientia adesset, opus ex ea non fieret. Et hinc est inculpabilis, diciturque simpliciter antecedens, quia exercitium libertatis, & opus velut causa negativa antecedit. Talis est in homine timorato, qui comedit carnes, invincibiliter ignorans, esse diem jejunii.

Consequens, gravis, supina, &c. Ignorantia consequens est, quæ est voluntaria. Dicitur consequens, quia consequitur ad actum liberum voluntatis vel nolentis, vel negligen-

gligentis inquirere, estque causa operis. Dicitur vincibilis, si humanâ diligentiâ vinci, seu deponi possit; dicitur culpabilis, si sit obligatio eam vincendi; dicitur affectata, si sit in se intenta; dicitur crassa, & supina, si habeatur ex mera negligentia, nullâ adhibitâ diligentiâ; dicitur gravis non supina, non affectata, si sit adhibita diligentia pro ea deponenda, sed notabiliter minor, quàm oporteat pro rei gravitate; & dubii qualitate; dicitur levis, si tantùm parum debitæ diligentiæ sit omissum.

Ignorantia comitans est, quæ quidem non est voluntaria, utpote antecedens exercitium liberum voluntatis circa illam, nec est causa operis, est tamen cum tali voluntatis dispositione conjuncta, ut, licèt adesset scientia, opus tamen fieret. Hæc est tantùm secundùm quid antecedens, quia, licèt antevertat exercitium libertatis, adeoque sit inculpabilis, tamen non est causa operis. Talis esset in eo, qui omittit Sacrum, ignorans esse diem festum inculpabiliter, sic tamen constitutus, ut omitteret, etsi sciret, esse diem festum. Porro hæc ignorantia duplex est: nam, si sit circa obligationem, vel legem, v. g. non legendi libros hæreticos, erit ignorantia juris; si sit circa factum, erit ignorantia facti: ùt, si quis legerit librum hæreticum, nesciens esse talem, &c. Hoc notato.

Comitans.

23. *Antecedens, & comitãs impediunt voluntarium; non ignorantia consequens.*

Resp. Quæ fiunt ex ignorantia simpliciter antecedente, sunt simpliciter involuntaria secundùm ea, ad quæ ignorantia se extendit. Ratio est, quia secundùm ea invincibiliter non cognoscuntur, & procedunt contra inclinationem voluntatis, saltem habitualem efficacem, ergo sunt involuntaria suo modo etiam positivè. At quæ fiunt ex ignorantia consequente, sunt

voluntaria simpliciter; sique ignorantia culpabilis est, sunt imputabilia ad culpam. Ratio est, quia procedunt à voluntate cum cognitione suî, saltem in causa, seu negligentia inquirendi. Denique, quæ fiunt ex ignorantia comitante, sunt involuntaria quoad ignorata; attamen negativè tantùm. Ratio est, quia invincibiliter ignorata nec in se, nec in causa sunt cognita, quia tamen non sunt contra inclinationem, habitualem etiam, voluntatis; hinc non sunt involuntaria, nisi negativè, id est, sunt non voluntaria. Ex his deduco sequentia:

24. *Corollaria.* 1mò. Conjux peccans cum non sua, quam invincibiliter ignorat, esse sororem suæ uxoris, reus est adulterii, non tamen incestûs. 2. Pueri, qui adepti usum rationis, fecerunt de se illicita sine omni angore conscientiæ, vel suspicione malitiæ, reipsa formaliter non peccârunt, adeoque nec postea, dum illicita intelligunt, tenentur confiteri. 3. Si Confessarius, vel Judex advertat, sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, ùt oportet, suo officio, & negligat scientiam acquirere, aut ante acquisitam, pergat; errores, quos committit, imputantur ad culpam, quia sunt illi voluntarii saltem in causa, quam ponendo, vel liberè continuando peccat formaliter; ùt &, si operetur hìc, & nunc cum dubio, vel suspicione malitiæ; si autem actus aliquos illicitos, vel injuriosos poneret inadvertenter ad malitiam, etsi tunc formaliter non peccet, peccavit tamen ponendo, vel non amovendo causam, seu ignorantiam. 4. Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantùm venialiter culpabilis, opus ex ea sequens erit tantùm imputabile ad culpam venialem, quia tota culpa, & malitia transgressionis commensuratur negligentiæ

gentiæ culpabili sciendi præceptum. 5. Qui nec tenetur, nec vult operari, non tenetur ignorantiam deponere, quia ignorantia consequens præcisè ex eo culpabilis est, quòd sit, aut prudenter timeatur, vel prævideatur futura actionis, vel omissionis malæ causa. Itaque, quod teneatur eam deponere, & non deponendo peccet, oritur ex eo, quòd ignorantia conjungatur cum obligatione, vel volitione operandi, & hinc negligentia deponendi, & volitio operandi faciunt unum numero peccatum.

QUÆSTIO X.

Quomodo actus humanus debeat esse liber?

Nota. Libertas in genere est immunitas à subjectione, vel servitute, vel ligamine ad unum. Quare, sicut variæ sunt subjectionis, & servitutum species; ità variæ sunt species libertatis. Hîc sufficit, notâsse quatuor. 1ma est libertas gloriæ Beatorum in cœlis, quæ est immunitas à corruptione, & miseria, cum perfecta possessione summi boni conjuncta. 2da est libertas gratiæ, seu filiorum Dei, quæ est immunitas à peccato per gratiam sanctificantem, cui opponitur servitus peccati, juxta illud Joannis 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*, quia nempe nolens subjicitur inclinationi in malum, & pœnis. 3tia est libertas à coactione, quæ est immunitas à violentia, estque potentia, quâ voluntas cum inclinatione fertur in suum bonum, sed necessariò, seu sine potentia proxima ad oppositum. Hæc dicitur libertas spontaneitatis, libertas naturæ, libertas essentialis,

25. *Quid, & quotuplex libertas?*

libertas à coactione. Tali Beati amant DEUM. 4ta est libertas à necessitate, estque potentia vitalis, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & potest non agere, seu expedita est ad utramque contradictionis, vel contrarietatis partem, hæc etiam dicitur libertas indifferentiæ activæ, nec necessariò importat potentiam peccandi: Christus enim fuit liber libertate à necessitate, & peccare non potuit.

Constitutiva libertatis indifferentiæ activa. Constitutiva illius sunt 1mò voluntas, seu potentia appetitiva rationalis. 2. Negatio omnis impedimenti simpliciter antecedentis, per actum secundum liberum non auferibilis, & necessariò connexi cum una ex oppositis parte. 3. Omnipotentia Dei indifferenter applicata. 4. Judicium indifferens formale, vel virtuale, procedens ab usu rationis in actu primo spectato, seu à potentia ferendi judicium firmum de bonitate, & malitia objecti, hoc est, usus rationis in actu secundo, quo repræsentetur ex utraque parte oppositorum bonitas aliqua, & malitia, seu moralis, seu physica. Ratio hujus est, quia, nisi proponatur voluntati in utraque parte oppositorum aliqua ratio boni, & aliqua mali, motivum non habet se determinandi, unum amplectendi, alterum repudiandi; & contrà illud repudiandi, hoc amplectendi. Dixi: *Judicium formale*, quod est actus intellectûs ferens sententiam de bonitate, & malitiâ; vel: *virtuale*, quod est apprehensio suasiva de objecti bonitate, & malitiâ. Porro hoc judicium utrumque debet esse firmum, & constans, quale, quia non est in infantibus, ebriis, dormientibus (quanquam hi judicium fluctuans, inconstansque habere possint) hinc illis deest libertas ad actum moralem sufficiens. 5. Constitutivum liber-

libertatis, in ordine ad actus morales supernaturales, est gratia Dei tum actualis, tum habitualis, vel habitus virtutum supernaturales, aut omnipotentia Dei, horum vices supplens. Hoc notato.

Resp. Actus morales non solùm liberi esse debent libertate à coactione, sed etiam à necessitate, seu procedere debent à potentia libera libertate activæ indifferentiæ. Ratio est; quia actus morales reddunt operantem laude, & præmio; vel vituperio, & pœnâ dignum, ùt in confesso est apud omnes, atqui id præstare non possunt, nisi sint liberi libertate etiam à necessitate, ùt certum est contra Jansenium, & ejus asseclas: nam 1mò Innoc. XI. damnavit velut hæreticam hanc ordine 3tiam Jansenii propositionem: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* 2. Lumen naturæ dictat, neminem mereri odium, vituperium, pœnam, omittendo, quod ponere, vel ponendo, quod omittere non potuit; imò pueri ductu naturæ, ubi aliquid de se pœnâ dignum fecerint, se excusant, ignorantiam prætendendo, putantque, se non mereri pœnam. Unde S. Aug. de duabus animabus cap. 12. ait: *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis, & insaniæ est.* Et de lib. arb. c. 17. *Quæcunque ista est causa voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei ceditur.* Et S. Thom. de malo Q. 6. a. unico, oppositam sententiam dixit hæreticam.

26. *Ad actū moralē necessaria est libertas à necessitate.*



CAPUT III.

De morali, seu moralitate Actûs humani, tertio ejus prædicato.

CUm actus moralis sit actus humanus liber, cum advertentia rationis ad regulam morum factus, & secundùm dicenda sumat suam moralitatem ab objecto, seu ente morali objectivo, ejusque circumstantiis; scire oportet antè, quæ sit regula morum, quid ens morale, & quæ ejus circumstantiæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit primaria, & objectiva universalis formalis, & proxima morum, seu actuum humanorum regula?

Cùm ex una parte voluntas humana sit defectibilis, sicque norma, quæ indefectabilis, & semper recta esse debet, suarum actionum esse non possit; ex altera parte multa objecta de se nec honesta, nec inhonesta sint; alia verò, etsi sint honesta, vel inhonesta radicaliter, non tamen de se proximè, & formaliter; assignari aliquid debet, quod ea in genere moris, & objectivè honesta, vel inhonesta constituat, inducatque obligationem aliqua fugiendi, aliqua verò prosequendi, sitque stabilis, & indefectibilis actuum humanorum regula. Quam aliqui volunt esse finem ultimum; alii naturam rationalem quà talem; alii legem Dei æternam, seu voluntatem, & rationem divinam; alii hanc, &

ſimul reſpectu aliquorum actuum v. g. amoris, vel odii Dei perfectiones divinas. Hoc notato

Reſp. Primaria objectiva actuum humanorum regula formalis univerſalis, & proxima, quam moraliter operans intueri debet in ſuis operationibus, non eſt finis ultimus, nec natura rationalis quà talis, ſed lex æterna Dei, ſeu ratio, & voluntas Dei, vel ſola ejus voluntas. 27. *Regula primaria lex æterna Dei.*

Ratio primæ partis eſt: Regula primaria objectiva debet conſtituere objecta, actionesque noſtras objectivè honeſtas, vel inhoneſtas; hoc autem non præſtat finis ultimus: nam prius eſt v. g. dationem eleëmoſynæ, jejunium, orationem eſſe honeſta, quàm ut nos per ea ordinemur ad finem ultimum, & prius eſt, furtum, homicidium, odium proximi eſſe inhoneſta, quàm ut per ea deordinemur à fine ultimo: ideo enim priora nos ad eum ordinant, quia honeſta ſunt, & ideo poſteriora ab eo deordinant, quia inhoneſta ſunt. Verum quidem eſt; quòd, ſi actio ordinet ad finem ultimum, vel ab eo deordinet, rectè arguamus, eſſe bonam, vel malam moraliter, hincque regula ſecundaria, & poſterior dici poſſit finis ultimus, non tamen prima.

Pars 2da eſt contra Suar. Vaſq. aliosque multos, qui objectivè honeſtum dicunt, quod naturæ rationali, quà tali, eſt conforme, vel pro priori ad legem Dei, ſi ſermo ſit de intrinſecè honeſtis; vel pro poſteriori ad illam, ſi ſermo ſit de objectis de ſe nec bonis, nec malis; inhoneſtum verò, quod eidem, quà tali difforme eſt. Juxta plures ex his, ſuppoſito, quòd ignorans invincibiliter Deum, ageret moraliter, quod repugnat naturæ rationali, quà tali, peccatum admitteret non Theologicum, ſed Philoſophi-

cum, seu Ethicum tantùm. Unde duplicem admittunt in actu humano moralitatem, v. g. malitiam duplicem in actu malo; unam Theologicam, quæ est repugnantia actûs cum lege Dei; alteram Ethicam, quæ est repugnantia actûs cum natura rationali, quà tali: & peccatum in genere definiunt: exercitium libertatis contra regulam honestatis: Theologicum per eos est transgressio libera legis divinæ; Philosophicum verò præcisè exercitium libertatis contra naturam rationalem, quà talem. Sed ratio nostra est 1mò. Quia regula moralitatis objectiva debet posse constituere aliqua objecta obligatoriè vitanda, & aliqua obligatoriè prosequenda, quia voluntas humana, de se defectibilis, debet astringi, & in conscientia obligari ad aliqua vitanda, aliqua prosequenda, ut homo se rectè habeat erga finem suum, ordoque debitus servetur in Republica rationali: id autem præstare non potest natura rationalis, quia obligatio esse non potest, nisi à potestate Superioris, & homo liber natus, dominusque suorum actuum non potest obligari in conscientia, nisi à Superiore; jam verò in natura rationali, seu particulari, seu universali, non est potestas obligandi in conscientia, seclusâ lege Dei, sed obligandi potestas omnis est à Deo, teste Apost. Neque quisquam suus, neque unus alterius, nec universitas naturæ rationalis esse potest alicujus Superior, nisi accedente Dei Jurisdictione; neque enim major perfectio creaturæ unum alteri subjicit, aliàs Angeli essent nostri superiores ex natura sua. Deinde, quando dicitur: natura rationalis, quà talis, est regula morum, per Tò *quà talis*, vel intelligitur natura, quatenus libera & discursiva, & jam peccata

regulæ non repugnabunt, quia illi conveniunt, quatenus est libera, & discursiva ; vel intelligitur natura, quatenus potens est honestè operari, & jam committetur vitiosus circulus : nam sic dicetur honestum, quod est conforme naturæ rationali potenti honestè operari, seu exercere actus accipientes honestatem ab objectis naturæ rationali, ùt potenti honestè operari conformibus. 3tiò. Aliqua disconveniunt naturæ rationali, quà tali, & tamen moraliter mala non sunt : ut aquam haurire cribro, arbores plantare radicibus sursum porrectis, puerum induere veste gigantis.

Ratio 3tiæ partis est ; quia regula morum debet esse infallibilis, indefectibilis, potensque obligare in conscientia, quia nihil moraliter malum, nisi obligatoriè vitandum, atqui talis est sola lex æterna Dei, seu ratio, & voluntas Dei. Unde S. Th. 1. 2. Q. 17. a. 6. ad 4. ait : Omne peccatum ideo esse malum, quia prohibitum à lege æterna Dei. Et q. 96. Leges humanitùs positas vim habere obligandi à lege æterna Dei, à qua derivantur. Rationem dat 2. 2. q. 104. a. 5. *Quia homo homini non subditur quoad actus internos voluntatis, sed in iis sui juris est.* Itaque voluntas Dei regula est, quia illi actus commensurari debent ; prima, quia ante se aliam non habet, à qua ipsa regületur ; est regula universalis, quia nihil honestum, nisi illi conforme ; nihil inhonestum, nisi illi difforme ; est formalis objectiva, quia velut forma constituit objecta in ratione proxima honesti, vel inhonesti, & cognosci ab operante moraliter debet saltem confusè.

Dixi in conclusione 1mò. *Lex æterna Dei est regula primaria* : nam natura rationalis, ùt

informata lege Dei, quæ ſcripta eſt in cordibus noſtris, dici poteſt regula ſecundaria, & materialis, quia in ordine ad illam, ùt lege Dei informatam, velut ſubjectum explicamus, quæ conveniunt, vel diſconveniunt, quæ decent, vel dedecent. Dixi 2. *Objectiva formalis*: nam fundamentalis meritò dici poſſunt Dei perfectiones, ùt ſapientia, ſanctitas, omnipotentia, quia ea exigunt vetari, quæ turbant ordinem naturalem, & præcipi, quæ neceſſaria ſunt ad conſervandum illum, &c. ne Deus fiat contemptibilis. Dixi 3. *Formalis objectiva*: nam formalis interna, eſt dictamen conſcientiæ, ſeu rectæ rationis, quæ eſt velut præco legis æternæ, hancque nobis proponendo, facit, ut honeſtas vel inhoneſtas refundatur in actum internum voluntatis, aliàs non refundenda, ſicut cognitio bonitatem objecti proponens, facit, ut illud ametur.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit objectiva proxima Actuum humanorum Regula, ſeu Lex æterna Dei?

Reſp. Etſi realiter ſit unica, utpote Deo identificata, ratione tamen objecti imò alia eſt prohibens, alia præcipiens, alia conſulens, vel approbans, alia permittens. Prohibens eſt, quæ vetat aliquid fieri, & peccata, huic repugnantia, dicuntur peccata commiſſionis. Præcipiens eſt, quæ jubet aliquid fieri, & peccata, huic repugnantia, dicuntur peccata omiſſionis. Conſulens eſt, quæ ſuadet aliquid fieri, etſi ad id non obliget, & quæ contra hanc fiunt, dicuntur

cuntur imperfectiones morales. Purè permittens est, quæ nec suadet, nec dissuadet, sed purè permittit aliquid fieri; si quis operetur secundùm hanc, eam affectivè approbando, vel ex honesto fine actus erit honestus, & moralis; si autem sit pura conditio, sine qua non operaretur, erit actus ex objecto indifferens.

2dò. Alia est antecedens directa, & per se; alia consequens indirecta, & per accidens obligans, &c. Directa, & per se obligans, vel consulens, vel permittens est, quâ Deus directè absolutè, & ex prima intentione aliquid præcipit, approbat, prohibet, aut permittit; per accidens obligans est, quâ Deus factâ aliquâ suppositione, v. g. supposito errore, vel ignorantiâ invincibili, vel præcepto positivo, vel certo statu aliquid præcipit, vel prohibet, &c. Sic, si quis putaret, teneri se mentiri ad liberandum patrem à morte; lege divinâ, existente per accidens, teneretur mentiri, quia perfectio divina exigit, tunc præcipi sequelam conscientiæ, ne Dei præcipiens voluntas, existimata existere, evadat contemptibilis, seu licitè contra eam agi possit, à Lege per se obligante constituitur moralitas objectiva completa essentialis; à lege per accidens obligante moralitas accidentalis objectiva: hinc potest actio intrinsecè bona, vel indifferens, v. g. auditio Sacri, comestio carnis fieri per accidens extrinsecè objectivè mala, si nimirum accedat prohibitio positiva; & actio intrinsecè mala, potest per accidens fieri extrinsecè objectivè bona, ùt, si præcipiatur per accidens v. g. mendacium, adeoque potest repugnare legi per se, & esse conformis legi per accidens.

28. *Lex Dei antecedens, & consequens.*

Nisi dicendum sit, ùt non pauci sentiunt,

quòd

An Lex Dei prohibens intrinsecè malum, sit omnino universalis? quòd actio talis v. g. mendacium, in tali casu non sit difformis legi divinæ per se existenti, eò quòd lex per se prohibens eam v. g. mendacium non sit omnino universalis, sed Deus quasi dicat: Nolo quemquam mentiri, cui hæc mea voluntas innotuerit sufficienter. Vel: Nolo hunc, illum, vel istum mentiri, ubi id ipsis sufficienter fuerit propositum, atque ità ex errore invincibili mentiens, legem Dei directam nec materialiter violet: neque enim Deus legem contradictoriam habet, quâ dicat: Volo, ut mendacium in nullo casu fiat: volo, ut in aliquo fiat; sed semper necessariò vult, ut in casu erroris invincibilis quisque sequatur suam conscientiam. Secundùm hanc sententiam mendacium in tali casu est peccatum materiale hoc sensu, quòd necessariò refusivum esset malitiæ in actum internum, si abesset error. Juxta alios lex Dei per se, & antecedens semper manet immutata, & in dicto casu mendacium illi opponitur materialiter, legis tamen directæ obligatio proxima tunc suspenditur, quia non applicatur operanti. Hæc bene notanda sunt pro dicendis de conscientia.

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit ens morale objectivum, seu objectum regulæ morum, & actûs moralis, ejusque moralitas?

29\. *Necesse fuit aliqua prohiberi, & alia præcipi.*

Nota. Cùm, ut dixi, voluntas creata sua regula esse non possit, utpote defectibilis, Deus autem esse non possit contemptibilis, necesse fuit, ut creaturam rationalem à se conditam rectè gubernaret, rectumque ab ea ordinem servari

vari curaret; huic verò ordini cùm quædam repugnent necessariò; alia sint cum eo necessariò connexa, necesse fuit, ut ea prohiberet, hæc præciperet; cùm insuper quædam minùs, alia magis ad eum servandum conducerent, conveniens fuit, ut illa dissuaderet, & hæc suaderet, etsi sine præcepto: nisi enim, quæ ordini illi essentialiter, seu ex natura sua repugnant, vetuisset, & quæ cum eo necessariò connexa sunt, præcepisset, notam imprudentis gubernatoris non evitâsset, aut minùs potens, minùsque sanctus fuisset habitus. Hinc ex complacentia necessaria in suis perfectionibus determinatus fuit, ut creaturæ rationali jam conditæ prohiberet, quæ cum recto ordine ex se pugnant, & præciperet, quæ ad eum servandum necessaria sunt.

Ordo autem is in eo est: ut creatura rationalis debitè se habeat erga Deum, erga proximum, erga seipsam; erga creaturas alias. Ordo erga Deum requirit, ut divinæ sapientiæ, & veracitati fidem, benignitati, misericordiæ, omnipotentiæ, & fidelitati spem, & fiduciam; summæ bonitati amorem, Majestati reverentiam, & honorem; sanctitati cultum, supremæ Jurisdictioni subjectionem, & obedientiam, munificentiæ gratitudinem, &c. præstet, & vitia opposita devitet. Ordo erga proximum requirit, ut eum amet, revereatur parentes, obediat Superioribus, cuique suum præstet, sit sincerus, & fidelis omnibus, misericors erga egentes, aliasque virtutes ad ordinatam societatem necessarias exerceat, & vitia his opposita fugiat. Hæc continentur hac universali regulâ: *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ordo erga se ipsum requirit, ut

Ordo rectus in Republ. rationali.

ut appetitus subjiciatur rationi, ratio autem Deo, & Superioribus, non contrà. Denique ordo erga reliquas creaturas exigit, ut creatura rationalis iis rectè utatur, tanquam mediis ad finem, mediisque amorem fini debitum non impendat in iis sistendo, vel ea detorqueat à fine, ad quem ex natura sua, & Dei intentione ordinantur. Ad hunc ordinem servandum diversæ dantur virtutes, aliæ enim juvant ad illum servandum erga Deum, aliæ erga proximum, &c. Hoc notato.

30. *Ens morale.* Resp. 1. Ens morale est omne, & solum illud, quod substat regulæ morum, seu legi Dei præcipienti, aut consulenti, aut vetanti, aut dissuadenti sinè præcepto. Ratio est, quia illud est ens morale objectivum, per cujus amorem, vel fugam laude, & præmio; vel vituperio, & pœnâ digni efficimur, & ordinamur ad finem nostrum ultimum, vel ab eo deordinamur; atqui tale ens est solum, & omne illud, quod substat regulæ morum: mores enim nostri sunt actus nostri liberi, divinæ voluntati conformes, vel difformes, quibus laude, vel vituperio digni constituimur, & ad finem nostrum ultimum ordinamur, vel ab eo deordinamur. Dixi; *Omne illud*, sive illud jam sit ens positivum, ùt adoratio Dei, oratio, datio eleëmosynæ, reparatio injuriæ, honoratio parentum, &c. sive negativum, seu omissio actûs boni, vel mali: tam enim omissiones possunt esse moraliter objectivè bonæ, vel malæ, quàm actiones. Sic moraliter bona est omissio furti, blasphemiæ, perjurii; mala omissio actûs præcepti v. g. fidei, spei, amoris, &c.

31. *Intrin-* Resp. 2. Ens morale, seu objectivum regulæ morum, actûsque moralis aliud est intrinsecè,

ſecè, & fundamentaliter malum, aliud bonum, aliud indifferens, aliud moraliter imperfectum, ſeu moralis objectiva imperfectio poſitiva, vel negativa. Intrinſecè fundamentaliter malum eſt, quod rectus naturæ rationalis ordo, ſeu recta gubernatio exigit prohiberi; intrinſecè fundamentaliter bonum moraliter eſt, cujus ordo is, & recta gubernatio exigit præcipi, aut ſaltem ſuadet conſuli proſecutionem, & odium prohiberi, eò quòd illa habeant ex natura ſua repugnantiam, hæc verò neceſſariam connexionem cum illo ordine, vel ſaltem ad hunc ſpecialiter conducant, ut meritò conſuli poſſint. Sic intrinſecè mala ſunt, infidelitas, blaſphemia, idololatria, &c. quia repugnant recto ordini erga Deum. Item odium proximi, læſio famæ honoris, &c. quia repugnant recto ordini erga proximum. Item vitia ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, avaritiæ, quia repugnant ordini, quem creatura rationalis debet habere erga ſeipſam. Intrinſecè bona ſunt, actus fidei, ſpei, charitatis erga Deum, & proximum, honor parentum, obedientia erga Superiores, actus temperantiæ, &c. quia ad rectum ordinem ſervandum erga Deum, proximum, ſeipſum ſunt neceſſaria. Item Evangelica paupertas, vota caſtitatis, obedientiæ, quæ, cùm multùm conducant ad rectum ordinem erga Deum, erga ſeipſum, conſuli merentur, etſi non expediat univerſæ Reipublicæ humanæ iſta amplecti omnes. Indifferens objectum eſt, cujus proſecutio, vel fuga ut ſubſtet præcepto, vel conſilio, nec exigit, nec ſuadet rectus ordo; poteſt tamen quandoque præcipi, vel vitari, eò quòd prodeſſe, vel obeſſe poſſit in certis circumſtantiis recto ordini; talia ſunt deambulatio in horto, auditio muſicæ,

ſecè malum, & intrinſecè bonum.

musicæ, venatio, cibus, potus, divitiæ, labor servilis, artes mechanicæ, scientia profana, &c. hujusmodi si præciperentur, evaderent ex se objectivè bona, mala verò, si prohiberentur.

Imperfectio moralis. Imperfectio moralis positiva objectiva est actio, vel omissio hìc, & nunc repugnans consilio in re ad mores pertinente, in se nec præcepta, nec prohibita, vel est id, cujus oppositum hìc, & nunc à nobis fieri citra præceptum, magis placet Deo. Unde est contra inspirationem divinam, vel voluntatem Superioris, aut dictamen rationis, impellens ad honestiora, & magis decentia, attamen sine præcepto, tales sunt omissio orationis manè & vesperi, violatio regulæ non obligantis sub peccato v. g. de silentio, rubricæ in divino officio purè directivæ. Hæc imperfectio, etsi de se peccatum non sit, si tamen deliberatè committatur, sæpe culpâ non vacat, quia ordinariè adest vitiosus sensualis amor, aut curiositas, vel acedia, aut negligentia culpabilis. Et licèt hæc abessent, facit tamen hominem majoribus favoribus indignum, & aliquo modo reprehensibilem. Denique imperfectio moralis negativa est, omissio majoris perfectionis comitans actum bonum minùs intensum, ùt, dum quis elegit matrimonium omisso cœlibatu citra specialem inspirationem, dum elicit actum bonum minùs intensum, cùm potuisset facilè elicere magis intensum, dat eleëmosynam ex motivo misericordiæ, cùm potuisset dare ex motivo charitatis. Hæc nisi repugnet speciali inspirationi, hominem non reddit positivè reprehensibilem, sed tantùm minùs laudabilem.

32. Resp. 3. Objecta intrinsecè mala sunt in tri-

plici classe: nam 1. Alia sunt absolutè talia secundùm se independenter ab omni circumstantia, quia secundùm se repugnantiam habent cum aliqua divina perfectione, & recto naturæ rationalis ordine: talia sunt odium Dei, infidelitas, perjurium, blasphemia, desperatio, mendacium, & alia, quæ directè opponuntur alicui perfectioni divinæ. Et hæc, ut licitè fiant cum advertentia rationis, Deus permittere non potest. 2. Alia intrinsecè sunt mala, non absolutè, & secundùm se, sed ratione adjuncti alicujus, vel conditionis, aut circumstantiæ, quæ à dominativa Dei, vel etiam hominis potestate dependet, variarique potest: talia sunt ablatio rei nunc alienæ, læsio corporis, famæ, honoris proximi: si enim Deus alicui auferat jus, & alteri det potestatem in illa, licitè fieri possunt. Sic & mala objectivè intrinsecè est copula carnalis inter personas solutas; licita, & honesta inter conjugatos; occisio hominis etiam Rei illicita privato, licita Judici, & ministro publico. Lectio turpium ad finem honestum mala non est, est tamen, si fiat ob finem malum. Saltus in domo privata malus non est, in templo verò malus est, & sic de aliis. Proinde malitia objectiva non semper desumenda est ab ipsa entitate actionis, sed sæpe, prout importat varias circumstantias. 3. Alia mala sunt tantùm ratione periculi, quod communiter adjunctum habent, sique absit, nullam habent malitiam, ùt lectio libri hæretici, vel aspectus partium turpium alieni corporis, conversatio familiaris cum altero sexu, quæ, si hìc, & nunc absit periculum probabile proximum peccati formalis, & gravis necessitas urgeat, aut adsit causa rationabilis, licita esse possunt.

Intrinsecè mala in triplici classe.

Colliges 1. Moralitas objectiva est habitudo entis moralis ad regulam morum, huic si disconveniat, dicitur malitia, inhonestas objectiva; si verò conveniat, bonitas, & objectiva honestas; estque alia radicalis, alia formalis. Radicalis est ratio reperta in objecto, cur prohiberi, vel præcipi debeat, vel possit; estque reipsâ connexio necessaria cum recto ordine in natura rationali, vel conducentia ad illum, vel necessaria repugnantia objecti cum illo. Formalis importat simul regulam morum objectivam, seu legem Dei æternam, in quam simul per rationem propositam tendere debet actus humanus, ut sit honestus, aut eam debet veluti terminum, vel motivum extrinsecum respicere.

33. *Moralitas objectiva.*

2. Moralitas objectiva non sic accipienda est, quasi in uno, eodemque objecto reperiatur bonitas, & malitia, licèt actus circa illud versantes alii boni sint, alii mali. Dignitas, & excellentia Dei, & Sanctorum bona est, & non mala; èontra blasphemia, perjurium bona non sunt, sed semper mala. Actus tamen prosecutivi tendentes in Deum, boni, & aversativi sunt mali, quia bonitas, quæ exigit actus prosecutivos præcipi, vel approbari, exigit aversativos prohiberi. Itaque sensus est: operationes & objecta alia sunt bona tantùm objectivè, alia tantùm mala, vel absolutè, vel pro certis circumstantiis.

Tantò est quid perfectius, quantò magis Deo placet.

3. Tantò melius objectivè est aliquid, quantò magis Deo placet, hìc & nunc à nobis fieri; quia voluntas Dei est radix omnis honestatis: unde, si Deus suaderet alicui determinatè imperfectionem negativam, vel quod minùs perfectum est; hoc evaderet perfectius respectu illius. Sic respectu Adæ perfectius fuit matri-

monium, quàm cœlibatus, & usus matrimonii melior, quàm conservatio virginitatis; si tamen disjunctivè suaderet minùs bonum, non fieret majus; ut, si Deus inspiraret alicui, ut se determinaret ad statum vel religiosum, vel matrimonii, & is se determinaret ad matrimonium, hoc quidem placeret Deo, magis tamen status religiosus; quia voluntas Dei æstimat omnia secundùm suam dignitatem, nisi circumstantiæ aliud exigant. 4tò. Deus in omnibus operibus suis est æquè laudabilis, quoad se laude magnificante, & intrinsecâ, non tamen quoad nos, & laude gratificante, seu gratitudinis, & extrinseca: undeforte Ecclesia majore solennitate celebrat festa v. g. Nativitatis Christi, & B. Virginis, quàm diem Dominicum, & Sanctissimæ Trinitatis, & licèt omnia opera Dei sint æquè laudabilia relatè ad Deum, non tamen relatè ad nos. 5tò. Aliqua substant legi divinæ, ùt à nobis facienda, vel omittenda; alia ùt finis *cui* operationum & omissionum, vel ùt terminus, ad quem tendere debemus; sic Deus substat legi charitatis, ùt finis cui, & ùt propter se amabilis, legi spei, ùt finis qui, & terminus, ad quem tendere debemus per spem. Actus autem charitatis, & spei, ùt à nobis exercendi. 6. Objectivè honestum dici potest, quod sine errore cognitum, Deo placet à nobis amari; inhonestum verò, quod sine errore cognitum Deo displicet à nobis amari.

Quomodo Deus in omnibus æquè laudabilis.



QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit circumstantia objecti, actusque moralis?

34. *circumstantia est extra objectũ primarium.* Resp. 1. Circumstantia objecti moralis est aliquid, existens extra ejus conceptum primarium, sive est conditio extra primarium ejus conceptum posita, ipsum afficiens, vel modificans. In Exemplo: Furtum in suo conceptu primario est ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino; si autem res sit sacra, ratio sacri est circumstantia, quia, licèt omne id, in quod actus tendit, sit ejus objectum, unum tamen est quasi basis & fundamentum, quod reliqua circumstant in repræsentatione, & ideò circumstantiæ dicuntur: unde objectiva actûs moralis circumstantia est, quod est extra conceptum ejus objecti primarium.

35. *Est septuplex.* Resp. 2. Circumstantiæ morales sunt septem: Sex objectivæ, alia formalis. Objectivæ tenent se ex parte objecti; formalis ex parte actûs. Prima objectiva est qualitas, vel conditio personæ operantis, ùt, quòd sit sacra, nupta, voto ligata. 2da est qualitas vel quantitas rei, seu objecti, ùt, quòd sit sacrum, magnum, parvum. 3tia est, qualitas loci, in quo fit actio, v. g. quòd sit sacer, profanus, publicus. 4ta est, qualitas cooperantis, medii, vel instrumenti, quo quis utitur, ùt, si quis re sacrâ abutatur ad actiones malas, vel profanas. 5ta est, finis extrinsecus ab operante operi, de se bono vel malo, præfixus, ùt, si quis furetur, ut se inebriet, det pecuniam alienam pauperi, ut alteri noceat. Dixi 1. *Finis extrinsecus*, quia finis intrinsecus,

ad quem actio de se ordinatur, non est circumstantia, sed objectum primarium. Dixi 2. *Operi bono, vel male præfixus*, quia, si opus sit indifferens, finis extrinsecus est objectum principale in genere moris. Sexta est qualitas, vel quantitas temporis extrinseci, v. g. quòd sit sacrum, breve, diuturnum. Denique septima, & formalis circumstantia est modus actionis, ùt, quod fiat cum, vel sine plena advertentia, sine, vel cum perturbatione, ex malitia, ex indirecta, vel directa, efficaci, vel inefficaci intentione, sine, vel cum violentia. Septem hæ circumstantiæ comprehenduntur hoc versu:

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Quis personæ qualitatem; *Quid* qualitatem, & quantitatem objecti; *Ubi* loci; *Quibus auxiliis* medii, instrumenti, & cooperantis qualitatem; *Cur* finem extrinsecum; *Quomodo* actionis modum; *Quando* temporis qualitatem, & quantitatem significat.

Resp. 3. Circumstantiæ aliæ malitiam, vel bonitatem tantùm augent, vel minuunt intra eandem speciem, aliæ novam addunt bonitatis, vel malitiæ speciem. Dicunturque hæ circumstantiæ speciem mutantes, non quòd primariam speciem actûs, vel objecti semper mutent, sed quòd actum faciant, vel objectum esse simul alterius speciei. Speciem mutantes sunt, quæ faciunt, ut adsit honestas novæ virtutis, vel inhonestas alteri virtuti, vel eidem, modo notabiliter diverso, repugnans. Aggravantes, vel minuentes tantùm intra eandem speciem dicuntur, quæ non inducunt honestatem alterius virtutis, aut repugnantiam cum illa, vel eandem notabiliter in ratione morali diver-

36. *Quæ mutent speciem actûs, & quæ non?*

sam; sed tantùm augent, vel minuunt rationem bonitatis, vel malitiæ; v. g. speciem mutans respectu percussionis injuriosæ est status clericalis, respectu fornicationis status conjugalis. Aggravans, vel minuens est major, minor duratio; intensio, plena, minùs clara, vel clarior advertentia.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo actus humani eliciti desumant bonitatem, & malitiam formalem ab objectis, & circumstantiis objectivis?

37. *Lex Dei æquivalenter diversa.* Nota. Moralitas formalis actûs humani eliciti est habitudo ejus ad regulam morum per rationem propositam, cui si positivè conveniat, bonus & honestus est; si verò disconveniat, malus & inhonestus est: unde & ejus moralitas dicitur convenientia vel disconvenientia cum regula morum, seu lege Dei æternâ, quæ lex ut dictum, licèt sit entitativè una tantùm, & eadem, est tamen per ordinem ad objecta æquivalenter multiplex & diversa; sic alia æquivalenter est lex, quæ præcipit actum fidei; alia, quæ præcipit actum spei vel charitatis; alia, quæ prohibet furtum; alia, quæ rapinam, homicidium, &c. quia ejusmodi actus sunt diversi; imò eadem actio potest substare diversis legibus propter aptitudines, quas habet ad diversos fines: sic humiliatio, quia apta est reparare alienum honorem læsum, & apta ad suam submissionem, vel vilitatem contestandam, potest substare legi Justitiæ, humilitatis & obedientiæ, & esse objectum formale diversæ virtutis; pariter,

quia numeratio pecuniæ eſt apta extinguere debitum Juſtitiæ, & ſublevare miſeriam proximi; poteſt ſubſtare legi divinæ æquivalenter diverſæ, & eſſe objectum diverſæ virtutis, ſcilicet Juſtitiæ & miſericordiæ.

Nota. 2. Species eſt completa rei eſſentia, ſeu hoc, per quod res eſt id, quod eſt, id eſt, ſunt prædicata illa, per quæ res in eſſe ſuo primùm conſtituitur; unde ea dicuntur differre ſpecie, quæ in prædicato eſſentiali differunt, & ſiquidem in prædicato Phyſico vel Metaphyſico eſſentiali differant, dicuntur ſpecie Phyſica vel Metaphyſica differre, ùt homo, & brutum, leo, & equus; ſi verò differant in prædicato eſſentiali morali, dicuntur differre ſpecie morali. Sic differunt furtum, & detractio: furtum enim eſt ablatio injuſta rei alienæ; detractio læſio injuſta alienæ famæ; ſed de hoc plura in Tract. de peccatis. His notatis. 38. *Quid ſit ſpecies moralis?*

Reſp. 1. Actus humani eliciti deſumunt moralitatem ſuam, ſeu malitiam, & bonitatem ſuam moralem ſpecificam primariam ab objectis cognitis, ùt ſubſtant regulæ morum; ſecundariam autem & accidentalem à cognitis circumſtantiis objectivis, ùt eidem regulæ ſubſtant. Prob. Imprimis deſumunt moralitatem ſuam ab objectis, ùt ſubſtant regulæ morum, ſeu ſpectatis in genere moris: nam, ſicut actus voluntatis juxta omnes ſunt phyſicè diverſi ſpecie, ſi tendant in objecta ſpecie phyſicâ diverſa, ùt amor pecuniæ, cibi, potûs; ſic neceſſe eſt, ut ſpecie morali differant, ſi ferantur in objecta ſpecie morali diverſa; ſunt autem objecta ſpecie morali diverſa, ùt ſubſtant legibus ſaltem æquivalenter 39. *Moralitas primaria eſt ab objecto, 2daria ex circumſtantiis, ùt ſubſtantibus legi.*

formaliter diversis. Deinde sumunt primariam speciem ab objectis, ut substant regulæ morum: quia, sicut objectum est quasi basis & fundamentum eorum, quæ circumstant; sic malitia vel bonitas ex illo est fundamentum accidentium moralium actui humano. Denique sumunt moralitatem secundariam à circumstantiis moralibus: nam, si hæ sint cognitæ, & à voluntate acceptatæ; necesse est, ut refundant in actum bonitatem vel malitiam aliquam, non primariam, cùm objectum primarium non sint; ergo refundunt secundariam: sicut enim priùs est esse objectum v. g. homicidium, furtum, quàm esse occisionem Sacerdotis, vel rei sacræ ablationem injustam, ità ratione priùs adest malitia, vel bonitas formalis in actu ex objecto, quàm ex circumstantiis.

Dixi in conclusione: *Ab objectis, & circumstantiis objectivis, quatenus legi Dei substant*, quia aliqua objecta, licèt possint conducere ad rectum ordinem, finemque ultimum, tamen de se nec bona, nec mala sunt, adeoque nec actus, illa prosequentes, aut aversantes, boni sunt, vel mali ex objecto, nisi accedat lex illa vetans, vel præcipiens; alia autem, etsi de se mala sint, vel bona; talia tamen non sunt completè in ordine ad actus morales, nisi per legem æternam Dei. Unde dici rectè potest, quòd actus humani sumant suam moralitatem proximè à lege Dei; remotè verò ab objectis & circumstantiis objectivis. Lex enim ratio proxima est, cur actus tendens in objectum sit bonus vel malus: objectum verò fundamentum est, cur lex sit diversa, & alia præcipiens, alia prohibens; alia hujus, altera alte-

alterius speciei. Nec contrarius nobis est S. Thom dicens, *quòd actus humanus sumat suam speciem à fine* : nam loquitur de fine intrinseco operis, qui est ejus bonitas, sive illa jam sit honestas, sive illicita delectabilitas. Ex his,

Colliges 1. Qui aversatur Deum, vel ejus dispositionem improbat ; peccat graviter, etsi nulla sit in Deo malitia ; quia bonitas Dei, & rectus ordo creaturæ rationalis ad Deum, exigit ista prohiberi : unde species moralis actûs desumitur à lege per ordinem ad objectum. 2. Qui turpiter delectatur de copula conjugum, vel habitâ in conjugio finito, vel in eo futuro habendâ, peccat, etsi conjugalis copula de se mala non sit, quia Deo displicet ista delectabiliter à soluto amari, exigitque Dei sapientissima ordinatio, & ordo in Republica humana, prohiberi solutis, ne practica cognitione talia sibi repræsentent tanquam delectabilia, quia movent ad effusionem seminis, & corruptelam generis humani. Vasq. existimat, quòd delectationes simplices non desumant malitiam ex objectis ejusmodi, quæ de se mala non sunt, ùt mors naturalis patris, nocumentum casuale proximi, usus matrimonii, sed ex oppositione sua cum virtute ; verùm meliùs dicitur, quòd & illa sumant malitiam ab objectis, ùt legi substant, v. g. intentio comedendi carnes die vetito, ab ipsa comestione, ùt legi substat. 40. *Corollaria.*

Resp. 2. Actus humani eliciti à circumstantiis objectivis quandoque participant malitiam, vel bonitatem specie diversam à bonitate, vel malitia ex objecto : quandoque tantùm majorem, vel minorem intra eandem speci- 41. *A circumstantiis quandoque specie*

ſpeciem : quia quædam circumſtantiæ ſpeciem aliam objectivam objectis primariis addunt, aliæ tantùm augent eandem bonitatem vel malitiam. Proinde, ſi actus eliciti in illas tendant, moralitatem participant ſpecie diverſam, vel tantùm ejusdem ſpeciei majorem, vel minorem. Patet in exemplis.

diverſa, quandoque major tantùm intra eandem ſpeciem.

1. A qualitate perſonæ operantis participat actus novam ſpecie malitiam ſecundariam, ſi fornicetur obſtrictus voto caſtitatis ; & intra eandem ſpecie tantùm majorem, ſi fornicetur Fidelis præ Infideli : ſi mentiatur Sacerdos.

Exempla.

2. Ex qualitate objecti participant novam ſpeciem, ſi ſubducatur furto res ſacra, detrahatur parenti à filio, ſi percutiatur perſona ſacra ; majorem tantùm intra eandem ſpeciem, ſi præ 80. ſubducantur 100. ſi graviùs paulò percutiatur perſona ſacra, ſi detrahatur fama benefactoris.

3. Participat novam ſpeciem ex qualitate loci, ſi actus malus ſit ſpecialiter prohibitus in reverentiam loci ſacri, ùt furtum rei profanæ ex aſylo loci ſacri ; injuſta effuſio humani ſanguinis in loco ſacro, aut ſeminis ; majorem autem tantùm intra eandem ſpeciem, ſi quis turpibus deſideriis, aut cogitationibus voluntariè occupetur in templo. Dixi : *Si actus malus, &c.* ; quia, ſi actus de ſe licitus ſit prohibitus in reverentiam Sacri, ùt celebratio Sacri in loco profano, extractio furis ex loco immuni, qualitas loci tranſit in ſubſtantiam objecti ſecundùm eſſe morale, datque primam ſpeciem, etſi ſit accidens ſecundùm eſſe phyſicum.

4. Ex qualitate medii, inſtrumenti, & perſonæ cooperantis novam ſecundariam ſpeciem parti-

participat actus; si abutatur quis rebus sacris ad magiam, luxuriam; inducat personam voto obligatam, vel conjugatam ad actus turpes. Augetur tantùm in eadem specie malitia, si inducat Sacerdotem ad mentiendum, vel ad furandum.

5tò. Ex fine extrinseco participatur nova species secundaria, si actus malus ordinetur ad finem, qui diversam habet specie malitiam, ùt, si quis furetur gladium, ut alterum occidat. Dixi: *Si actus malus, &c.* nam, si actus de se malus non sit, finis dat primariam speciem, ùt, si quis aptet arma, ut alium occidat: quo casu non est opus addere in Confessione, quòd arma aptaverit; sed satis est, quòd, si intentio sit executioni data, dicat: alium occidi. Aut si executioni non sit data, habui intentionem occidendi alium, nisi ex qualitate personæ occisæ quid sit addendum. Ratio est, quia aptare arma de se malum non est, habetque tantùm malitiam finis. Similiter, si quis die Dominico omittat Sacrum, ut studeat, non est opus confiteri studium, nec, si furetur parum pulveris nitrati, ut alterius domum incendat, opus est confiteri furtum leve: secus, si per mendacem promissionem matrimonii induceret puellam ad fornicandum: quia mendacium graviter contra Justitiam pugnaret.

6. Ex modo, vel qualitate actionis diversam specie malitiam habet furtum & rapina, desiderium & complacentia simplex, detractio & contumelia, homicidium simplex & ferum, intentio directa v. g. injuriæ Dei, inobedientiæ, ingratitudinis, contemptûs legis; & indirecta tantùm; quia opponuntur præceptis & vir-

virtutibus modo notabiliter diverso, non autem mutat speciem ratione minoris intensionis, vel majoris, ratione perfectioris libertatis, modò maneat plenus usus rationis.

7timò denique. Qualitas & quantitas temporis extrinseci novam refundit speciem malitiæ, si actus malus ratione temporis sit specialiter prohibitus, aut divino cultui specialiter repugnet; ùt, si quis die Veneris sancto exhiberet ludos obscœnos publicos, si statim post Communionem se inebriaret. Itemque, si fieret cum directa intentione diem festum inhonorandi; secus est, si absit speciale præceptum, vel intentio directa: unde non adest nova species ex circumstantia temporis, quòd quis furetur die festo, vel Communionis, aut Veneris sancto. Nec juvat, quòd quis furans, aut peccans carnaliter in loco sacro contrahat novam speciem; quia locus, utpote res permanens, est magis capax sanctitatis moralis, quàm tempus transiens, quod tantùm est sacrum per accidens ratione mysterii, quod recolitur, vel rei, quæ fieri jubetur. Locus specialiter deputatur ad cultum Dei, tempori verò successivo tantùm statuitur mysterium recolendum. Dixi: *Actus malus*: quia, si actus de se non sit illicitus, ùt comestio carnis, opus servile, tempus non est circumstantia actûs moralis tum prohibiti, sed transit in substantiam objecti moralis, eumque malum primò constituit. Ex his deduco.

42. *Corollaria.* 1. Qui eligit medium honestum ad finem honestum, actum ponit duplicis honestatis, si utraque honestas sit intenta, ùt, si quis amore castitatis temperet sibi in cibo, & potu, & sobrietatis honestatem simul amet per se.

2. Qui

2. Qui eligit medium malum ad finem malum, duplicis malitiæ est reus, ùt, si quis furetur, ut se inebriet : incendat domum Titii, ut comburat in ea merces Caji. Excipe, nisi medium malum ex natura sua subordinaretur fini malo, ut, si quis per oscula & tactus impudicos pelliceret puellam ad fornicationem, hancque consummaret; tunc enim esset eadem moraliter malitia, etsi major.

3. Qui eligit, vel adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit 1. malitiam mali finis, quia electio medii est volitio finis. Deinde, si medium honestum speciali irreverentiâ tractetur, contrahit & aliam malitiam, ùt, si quis abutatur consecratâ hostiâ ad nocendum proximo; si autem specialis irreverentia non redundet in medium, juxta Oviedo erit unica tantùm malitia, juxta Granado duplex quidem, æquivalens tamen uni, eò quòd in abusu medii exigua sit inordinatio, ùt, si pauperi det eleëmosynam ad obtinendum consensum in turpem actum : si quis oret, confiteatur, communicet ad aucupandam vanam gloriam, seu inanem æstimationem apud homines.

4. Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantùm malitiam medii, attamen communiter minorem, quia minùs afficitur erga malitiam, & vellet eam abesse; ùt, si quis mentiatur, ut liberet à periculo proximum : furetur pecuniam, ut possit dare eleëmosynam; si tamen adesset voluntas dandi eam pro eleëmosyna, aut eam daret; juxta sanctum Augustinum duplicem numero culpam contraheret, quia post furtum disponeret de re, invito rationabiliter domino. *Hoc* intel-

lige

lege in circumstantiis, in quibus res restituenda esset.

5. Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum, vel malum, contrahit tantùm bonitatem, vel malitiam finis: ùt, si ambules ad vires conservandas pro honore Dei: vel, ut alterum advertas, & eum convitieris, & in hoc casu, ùt dixi, non est opus medium confiteri.

QUÆSTIO VI.

Quomodo Actus humanus debeat tendere in objectum, & circumstantias, ut ex iis in illum refundatur bonitas, vel malitia formalis?

Resp. Ut actus voluntatis elicitus participet
43. ex objecto & circumstantiis objectivis honestatem debet, prælucente eorum cognitione, honestatem directè intendere, vel amare propter se, saltem sub ratione confusâ; ut verò ex iis malitiam participet, non est opus eam directè intendi, vel amari; sed sufficit, quòd intendatur, vel ametur indirectè & interpretativè; seu intendatur, vel ametur objectum delectabile, vel utile, quod amare cognoscitur esse prohibitum, &c. Ratio primæ partis est, tum, quia voluntas non potest amare objectum, nisi propter bonitatem aliquam ejus; ut autem actus participet honestatem, non sufficit, amari propter delectabilitatem, vel utilitatem; ergo debet amari propter honestatem, &c. tum, quia bonum, cognitum, & non amatum, est bonum velut neglectum; bonum autem neglectum non refundit honestatem in actum: hinc nemo laudatur, qui abstinet à

Honestas debet directè intendi; non verò malitia.

potu

potu ex avaritia : qui dat eleëmosynam, ut à molestia petentis se liberet : qui visitat infirmum, tantùm confabulationis gratiâ, &c. Ratio 2dæ partis est, quia hoc ipso, quòd quis intendat objectum, vel amet, quod cognoscit esse in se malum, aut prohibitum, virtualiter contemnit legem, & interpretativè vult malitiam, exigitque recta gubernatio, ut talis habeatur reus : nam, si innocens haberi posset, qui malitiam directè non intendit, vel amavit, omnia scelera grassarentur impunia. Dixi in responsione 1mò. *Ut participet ex circumstantiis objectivis*, quia, ut circumstantiæ formales, tenentes se ex parte actûs, ùt duratio, intensio, modus tendendi ejus, &c. augeant moralitatem, vel ad aliam speciem transferant, non est opus eas intendi, ùt quod; sed satis est, objectum & circumstantias objectivas cognosci & amari, & circumstantias formales esse volitas, ùt quo : qui enim vult objectum, ùt quo, & exercitè vult suam volitionem. Dixi 2. *Debet intendere honestatem saltem sub ratione confusâ* : quia necesse non est, ut intendat eam explicitè sub ratione propriâ, clarè cognitâ, vel sub convenientia cum voluntate Dei approbante ; sed sufficit, quòd objectum cognoscatur tanquam decens, vel conveniens rectæ rationi, vel tanquam laudabile, vel præmiabile, conducens ad beatitudinem, convenienter amabile, tanquam debitum, tanquam opus virtutis, v. g. temperantiæ, justitiæ, &c. sic enim reipsa intenditur honestas : nam, si objecta quà talia amentur, etiam voluntas DEI approbans attingitur implicitè, & indirectè : Similiter, ut peccetur, sufficit objectum cognosci, ùt avertens à beatitudine, ùt punibile,

ùt

ùt inducens damnationem, amissionem gratiæ, velut repugnans rectæ rationi, ùt indecens, ùt repugnans virtuti, &c. & sic cognitum amari. Atque ex his patet, quòd rudes etiam honestè operentur, etsi non intendant convenientiam objecti cum voluntate divina explicitè. Hinc, si interrogentur, cur orent, jejunent, dent eleëmosynam, laborent, &c. Respondent: Ista sunt opera bona, prosunt ad beatitudinem, decent, conveniunt, oportet laborare, sic Deo placet, &c. Dixi 3. *Non est necesse intendi directè malitiam*, quia, si illam quis (quam præcisè, ùt talem, non potest intendere) ùt vestitam aliquâ bonitate apparente, redundante in se ipsum v. g. cognitam, ùt aliquam suam satisfactionem intenderet, gravissimè peccaret, essetque peccatum ex malitia: ùt, si quis intenderet transgressionem legis, quia Deo displicet, quia inobedientia, contemptus Dei est, vel intenderet alterius peccatum grave, quia ipsi malum est. Ex dictis.

44. *Honestas, & valor actûs in quo differant?*

Colliges. Ut Filii Principis se humiliantis dignitas refundat majorem honestatem in actum humiliationis, debet aliquo modo esse ab ipso cognita, saltem confusè; sicut Religiosus servans castitatem tantùm ex hujus, & non Religionis motivo, tantùm participat honestatem castitatis. Aliud est de augmento meriti; quia honestas attenditur penes objectum, quod non habet se ùt tale, nisi cognoscatur. Ratio autem, & valor meriti constituitur intrinsecè simul ex persona operantis, quia hæc cum operatione constituit unum objectum complacentiæ præmiantis. hinc opus non est, personæ operantis dignitatem ab ipso cognosci
in

in ordine ad hoc, ut augeat valorem operis ad præmium. Sic justus, etsi nesciat se esse in gratia, tamen bene operando meretur de condigno. 2 Deus exercendo actus misericordiæ, liberalitatis, justitiæ honestissimè operatur, quia intendit istos actus complacentiâ suâ approbatos, tanquam convenientes suis perfectionibus.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Actus humanus debeat divinæ voluntati conformari, ut sit bonus; & difformari, ut sit malus?

Resp. 1. Ut sit bonus, debet illi conformari ex objecto & circumstantiis, & conformiter illi, in illa tendere; ut sit malus, satis est, difformari in uno. Ratio est, quia, si vel objectum, vel circumstantia aliqua mala sit, vel improbata à voluntate divina, actus in illa tendens est simpliciter malus, & difformis voluntati divinæ, utpote prohibenti actum in tali circumstantia poni: unde, uti malum physicè dicitur, cui deest aliquid ad naturalem suam perfectionem; sic malum moraliter dicitur, cui aliquid deest ad suam perfectionem moralem. Et hinc Axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Dixi: *Debet conformiter illi, in illa tendere*, id est, bonum prosequendo, & malum fugiendo. Ex his patet, quòd idem actus elicitus non possit simul intrinsecè, & ex objecto, circumstantiisque esse bonus & malus.

45. *Debet esse conformis ex objecto, circumstantiis, & modo.*

Resp. 2. Voluntas humana, ut actus ejus sit ho-

46. *Et in volito materiali precepto*

nestus, tenetur se conformare voluntati divinæ secundùm rationem causæ efficientis, ùt loquitur S. Thom. id est, velle, quod Deus vult illum velle, puta, voluntate præceptiva : nam, quæ sunt meri consilii, aut solius approbationis, non est necessarium in iis se conformare, etsi laudabile sit, quia Deus non vult obligationem inducere consulendo v. g. perpetuam castitatem; quia talia non sunt necessaria ad bonos mores.

47. *Cui quandoque non obest actus inefficax conditionatus contrarius.*

Resp. 3. Etsi Deus habeat sæpe voluntatem efficacem, ut aliquid sit, potest tamen aliquando illi actus inefficax conditionatus honestus circa volitum materiale difformis esse, quo quis nollet id, quod scit, Deum efficaciter velle : sic filius potest affectu inefficaci velle patrem vivere, quem Deus efficaciter vult mori : sic & Christus refugit mortem. Ratio à priori est, quia, cùm idem objectum possit esse conveniens bono communi, & ad unum finem, & disconveniens bono particulari, & alteri fini; potest Deus tanquam gubernator universalis aliquid velle, ùt conducens bono communi, & homo illud inefficaciter nolle tanquam repugnans bono particulari, ad quod ipse inclinationem naturalem habet. Neque talis affectus repugnat voluntati efficaci faciendi, quod fieri ab homine Deus vult : vellet enim, id non esse, aut non facere, si Deo placeret. Sic bona est voluntas Judicis, quâ vult occidi latronem, quia Justitia id postulat : bona etiam est voluntas uxoris ejus, quâ vellet eum non occidi, quia id illi malum est. Cæterùm stultum esset, absolutè & efficaciter nolle, quod constat, Deum efficaciter velle, quia hoc esset,

velle

velle frustrari, aut mutabilem esse voluntatem Dei, id quod impium foret.

Resp. 4. Potest quoque esse actus honestus, etsi non conformetur divinæ voluntati in omnibus in volito formali particulari, id est, etsi non velit ex eodem motivo, quo id vult Deus: nam, quando Deus aliquid præcipit ob certum finem, sibi præfixum, necesse non est, ut actionem meam referam ad illum finem; sed satis est, quòd velim satisfacere præcepto. Nunquam tamen licet displicentia, aut improbatio talis finis, & ità voluntas nostra non debet difformari in volito formali; sed semper approbare honestè potest Dei intentionem & dispositionem: unde, licèt non possim optare proximo mortem vel damnationem, possum tamen licitè eam, ùt substat Dei dispositioni, approbare ùt justam. Similiter, licèt quis non possit optare sibi privationem gratiæ, & damnationem; ex supposito tamen, quòd esset peccaturus graviter, & in peccato moriturus, potest approbare ordinem divinæ Justitiæ, & hoc sensu semper est licitum velle, quod vult Deus.

48. *Non debet positivè difformari in volito formali.*

QUÆSTIO VIII.

An Actus externus, ab interno procedens, illi aliquid addat bonitatis, vel malitiæ in ordine ad præmium, vel pœnam?

Resp. Actus externus nihil per se addit constitutivè actui interno bonitatis, vel malitiæ in ordine ad præmium, vel pœnam; sed vis meritoria præmii tota sita est in actûs interni, ùt informati dignitate personæ operantis

49. *Constitutivè nihil addit, auget tamen sæpe per accidens*

tis, honestate; & vis meritoria pœnæ in malitia actûs interni. Est communissima contra Scotum. Ratio est: quia actio meritoria debet esse formaliter honesta, seu prosecutiva boni honesti, & actio demeritoria debet esse formaliter inhonesta, cùm movere debeat vel per modum obsequii præmiantem ad dandum præmium, vel per modum contemptûs, inobedientiæ saltem generalis, vindicem ad infligendam pœnam; atqui actio externa non est formaliter, sed tantùm objectivè honesta, vel inhonesta; cùm non sit formaliter libera, & prosecutiva honesti vel inhonesti: ergo. Unde S. Greg. hom. 3. in Evangelia dicit: *Deus cor, non substantiam* puta derelictam, *pensat.* Et S. Bern. Epist. 77. *Quid clarius, quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas.*, idque conformiter S. Scripturæ: nam Genesis 22. dixit Deus Abrahæ, qui tantùm voluit filium suum immolare: *Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi.* Et Lucæ 21. de vidua, quæ tantùm duo minuta misit in gazophylacium, dixit Christus, quòd plus, quàm omnes miserit: nimirum, quia, ùt ait S. Aug. Epist. 49. affectus omnium factorum, & meritorum est mensura. Dixi: *Per se constitutivè*: quia per accidens actiones externæ augent vim meritoriam, & demeritoriam actuum internorum, quatenus faciunt, ut hi diutiùs continuentur, vel ob difficultates occurrentes, vel delectabilitatem subnascentem magis intendantur: præsentia enim magis afficiunt animum, quàm futura, majorque est difficultas in tolerando cruciatu, quàm appareat in cogitato. Unde deduces.

1mò

1mò. Qui actui interno virtutis v. g. adorationis addit externum, plus obsequii præstat Deo extensivè, & fortè etiam intensivè ex parte actûs interni, quia actus externi internos promovent extendendo, & intendendo sæpe; actus tamen externus non constituit majus meritum, uti nec honor Dei, inde in proximo proveniens: si enim templum in honorem Dei ædifices rectâ intentione, idem est tibi meritum, sive dein Deus in eo colatur, sive illud destruatur. Idem est de Concionatore multos, & altero paucos convertente, si actus interni sint pares: hos enim, secus ac homines, qui utilitatem suam spectant, pensat Deus. *50. Exponuntur, quæ objici possunt.*

Cæterùm, ut affectus habeatur pro opere, debet is se ad illud habere non ùt ad objectum tantùm; sed velut causa ad effectum, ità, ut hìc & nunc illud inferret, si aliunde non impediretur: & habere omnem honestatem, & valorem, quem in se haberet, si opus fieret: unde, qui vellet dare infinitas eleëmosynas infinitis pauperibus, si posset, non haberet actum infiniti meriti; tum, quia affectus ille non esset aptus hìc & nunc exequi talem eleëmosynam; tum, quia dignitas personæ maneret limitata, cognitioque confusa, valdeque imperfecta, & improportionata. Similiter, si quis vellet, modò posset, opera tam perfecta ponere, quàm posuit Christus Dominus, vel Beatissima Virgo: aut dolere de peccatis, sicut doluit pœnitens Magdalena, non ideo par iis meritum haberet; tum, quia dignitas operis, & valor meriti non desumitur à solo objecto; sed simul à dignitate personæ operantis & affectu ejus majore; nemo autem in his accedit ad Christum Dominum, vel Beatissimam Virginem; tum, quia *Quid requiritur, ut affectus habeatur pro opere?*

quia affectus ille non est aptus hic & nunc causare similes effectus.

Opera externa rectè subsunt legibus. 2dò. Opera tamen externa rectè præcipiuntur vel prohibentur, tum, quia sunt occasio actûs interni intensioris & diuturnioris; tum, quia vel necessaria sunt ad societatem humanam conservandam, ad succurrendum proximo, ad honestè occupandum animum, ad ædificandum proximum, ad confitendum, colendumque Deum cultu publico, & omnibus potentiis & viribus, &c. vel perturbant societatem humanam, nocent proximo, &c.

Opus externum auget per se vim satisfactoriam. 3tiò. Opera externa, etsi meritum per se non augeant, augent tamen vim satisfactoriam: quia satisfactio potissimùm desumitur à pœnalitate operis, reperta potissimùm in operibus externis. Cujus ratio est, quia Justitia vindicativa exigit, ut, qui se erexit contra Superiorem malè operando, eidem per satispassionem subjiciatur, quantùm contra eum se erexit; satispassionis autem vim supplere potest satisfactio. Hinc, sicut satispassio consistit in perpessione afflictionis, sic satisfactio succedens, vim suam potissimùm desumit ab afflictione corporis, quæ maximè invenitur in operibus externis.

§ I. *Cur Christus Dominus voluerit in Confessione exprimi actum externum.*

Petes. Cur igitur Christus voluit, ut peccator simul confiteretur actum externum, si hic malitiam per se non auget?

Resp. Quia actus externus cum interno integrat unum actum moralem sensibilem, quem convenientissimè ad finem, naturamque Sacramenti Pœnitentiæ totum exponi Christus voluit: 1mò. Quia Sacramentum illud instituit in formam judicii humani, in quo prima quæstio est de facto externo. 2. Quia voluit in illo

illo exponi species peccatorum, adeoque actus efficaces ab inefficacibus distingui debent, quod optimè fit, si actus externi simul exponantur, aliàsque, à rudibus præsertim, difficulter potuisset elici. 3tiò. Quia actûs externi expositio facit ad erubescentiam peccatoris, quam voluit Christus esse partem pœnitentiæ, quaque voluit impudentiam peccatoris castigari, eumque deterreri à relapsu. 4tò. Quia voluit, ut Confessarius simul esset Doctor, & Medicus; si autem actus externi non exponerentur, non possent pœnitentes instrui de suis obligationibus satisfaciendi proximo læso, vitandi pericula, &c.

QUÆSTIO IX.

Quinam Actus externi indeliberatè facti retineant malitiam objectivam?

Resp. Retinent malitiam objectivam actus externi indeliberatè facti, si hoc retinent, ob quod aliàs prohibentur, ità ut, si accederet sola advertentia & libertas, hoc ipso in illos prosecutivè tendens peccaret formaliter; si autem ex parte objecti desit, propter quod aliàs prohibentur, non retinent malitiam objectivam. In Exemplis: Homicidium prohibetur, quia est violatio juris alieni in vitam, vel ejus usum: pollutio innaturalis, seu procurata turpibus cogitationibus, vel tactibus, aliâve actione, prohibetur, quia est damnosa proli & generi humano: esus carnium prohibetur, quia est roboratio corporis adversus spiritum rebellis: hæ autem rationes manent, licèt ista fiant sine libertate & advertentia; proinde sine his 52. *Si maneat ratio prohibendi.*

facta manent objectivè mala: & hinc voluntas non potest sibi in iis licitè complacere, etiam ùt factis sine advertentia, multò minùs desiderare, ut sine advertentia fiant, nec licet quenquam inducere ad ea etiam sine advertentia facienda; sed est obligatio vitandi, vel emendandi causas illorum proximas. Econtra mendacium prohibetur, quia est locutio contra mentem, ideoque turbativum commercii in societate humana, quam everteret licentia mentiendi. Perjurium prohibetur, quia est interpositio testimonii divini pro re cognitâ, ùt falsâ, ideoque abusus divini testimonii ad confirmandum falsum. Hæresis prohibetur, quia est dissensus pertinax ab objecto proposito, tanquàm à Deo revelato. Hæ autem rationes non manent, si verba mendacia seu falsa, vel hæretica, aut perjura inadvertenter v. g. in somno, vel ebrietate proferantur: nam sic verba falsa non proferuntur contra mentem, seu judicium proprium, nec hæretica cum cognitione revelationis divinæ, nec perjura cum cognitione interpositi divini testimonii: proinde verba talia sic prolata non retinent malitiam objectivam, ideoque non est obligatio, ob eam vitandi causam illorum proximam v. g. ebrietatem ideo præcisè, quòd talia verba sine advertentia in illa proferantur. Ità La Croix l 5. num. 48. Hoc teste putant multi, verba blasphema & imprecatoria non retinere quoque malitiam objectivam, si proferantur sine animo inhonorandi Deum, vel malè volendi proximo; sed rectè notat Lugo de Pœn. d. 16. n. 210. quòd retineant turpitudinem objectivam, si proferentur ab habente usum rationis, quia fiunt cum advertentia ad substantiam

actûs

actûs mali, qualis est inhonoratio materialis Dei, & imprecatio contra proximum. Imò, si quis nesciret, quid verbis istis significaretur, etsi tum malitiam propriè dictam objectivam non retinerent, tamen non carerent omni turpitudine, quia audientibus ingerunt malum sensum: unde non licet stultum incitare ad verba blasphema & diras imprecationes, etsi id à mortali excuset Gobat. Hinc

Colliges 1. Non licet aliquem inducere ad pejerandum vel mentiendum, etsi is putaret invincibiliter, ista sibi hìc & nunc licere; licet tamen ex rationabili causa inducere ad affirmandum falsum, quod is verum esse judicat, modò aliunde nihil obstet v. g. damnum, aut ipsius, aut proximi, quia præcisè loqui falsum non est materialiter malum. Vide Viva in damnatam 24. ab Innoc. XI. n. 15. 53. *Corollaria.*

2dò. Non licet hæreticum etiam materialem inducere die, ab Ecclesia vetito, ad esum carnium, quia is verè subest Ecclesiæ, & obligatur præcepto in actu primo. Econtra licet ad eum inducere pueros ante septennium, item Infideles, quia præcepto non tenentur.

3tiò. Per se loquendo, ex multorum sententia cum S. Thoma, licet desiderare pollutionem naturalem, id est, à natura ex abundantia seminis provenientem, in somno orituram, tum valetudinis, tum sedandæ gravis tentationis causâ, quia illa intrinsecè mala non est, utpote non noxia generationi, quæ moderatè à natura intenditur, & ità non impeditur. Non licet tamen optare, ut fiat tactus turpis in somno, quia id esset velle agere, non pâti tantùm, manetque actus objectivè malus. Sic & non licet mortem naturalem optare proximo, quia

est aliquod ejus malum : nec de eo gaudere ob eandem rationem : melius quoque est abstinere à talis pollutionis desiderio, & Deo se committere secundùm dicenda p. 2. n. 221.

QUÆSTIO X.

An omnis Actus honestus sit amor finis ultimi, & inchoata charitas?

54. *Omnis actus honestus supernaturalis est inchoata charitas*

Resp. Affirmativè; quia omnis actus honestus virtutis, præsertìm supernaturalis est conformis voluntati divinæ, ordinanti nos per præcepta & consilia in finem ultimum: qui, cùm sit objectum charitatis; hinc actus honestus supernaturalis non potest non habere aliquam participationem charitatis propter ordinem intrinsecum, & subordinationem suam ad objectum charitatis, quod est Deus, finis noster ultimus. Docet hoc S. Th. agens de spe Theologica in 3. dist. 26. a. 2. ad 3. His verbis: *Et omnes aliæ virtutes participant aliquid de charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur.* Ex quo patet, quòd juxta S. Thomam actus reliquarum virtutum procedant ex desiderio summi boni, & ab eo quodammodo informentur. Atque de hac inchoata charitate sæpe loquitur S. August. dum nullam ait esse virtutem sine charitate: utì, dum in Ps. 65. inquit: *Quidquid se putaverit homo bene facere; si fiat sine charitate, nullo modo bene fit.* Et l. 9. de Trin. cap. 7. *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit, quod verbum amore concipitur sive creaturæ, sive Creatoris, &c. ergo aut cupiditate, aut charitate.* Nam certum est,

est, quòd non semper esse debeat actus bonus ex amore perfectæ charitatis: quia damnata est hæc propositio: *Quisquis aternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.* Atque ex hoc patet, quomodo attritio supernaturalis sit inchoata Dei dilectio. Sed de hoc in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ p. 4. n. 267.

QUÆSTIO XI.

An sit obligatio semper agendi ex fine honesto, quandocunque ex deliberata ratione agimus?

Affirmat S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. ex hac ratione: *Cùm rationis sit ordinare; actus ex deliberata ratione procedens, si non sit ordinatus ad debitum finem, hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali; si verò ad finem debitum ordinetur, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni.* Ubi per debitum finem S. Th. intelligit finem honestum, quia ait, omnem actum in individuo esse bonum vel malum. Eandem sententiam tenent Thomistæ, Suar. aliique multi, citantes pro se S. Aug. Bern. Ambr. aliosque PP. Non conveniunt tamen hi A. A. in explicanda intentione finis honesti necessariâ ad actum honestum: nam S. Thom. loco cit. ait: Sufficere virtualem, quâ quis serviendo necessitatibus naturæ accommodat se iis ob ordinationem Auctoris naturæ: *Hoc ipso,* inquit, *quòd quis ordinatè agit ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo* qui

55. *Probabilis sententia affirmativa.*

qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis. Pallav. Esp. Haun. & alii putant, ad honestè operandum sufficere, quòd quis advertens ad regulam morum permittentem, sic constitutus operetur, ut nollet operari, v. g. se calefacere, ambulare in horto, nisi esset permissum: verùm talis vel affectivè approbat legem permittentem, vel respicit illam, ùt puram conditionem, sine qua non operaretur? Si primum; jam affectivè prosequitur finem bonum: sed id non necessariò fit. Si secundum, non ideo positivè honestè operatur: aliàs mereretur, qui purgat nares, rescecat barbam, occidit pulices, quia permissum est.

Probabilior ex ratione est negativa. Econtra negant Scotus, Scotistæ, Vasquez, Arr. Viva, & alii, dari obligationem istam. Primò; quia lex illa, cùm sit naturalis universalis, deberet constare lumine naturæ, adeoque omnibus saltem doctioribus esse nota; talis autem non est: quis enim de ea cogitavit, antequam hanc controversiam audiret agitari in Theologia? 2. Lex illa esset nimis difficilis, exponeret innumeris periculis peccandi; sic plus nocumenti, quàm commodi afferret ejus obligatio; quis enim reflectat in omnibus actionibus suis ad finem honestum, aut ità conservet intentionem semel præfixam, ut opera, verba, cogitationes omnes deliberatè procedant ex fine honesto priore? 3. Licèt homo creatus sit ad finem supernaturalem, non tamen tenetur semper agere ex fine supernaturali, nec ex motivo perfectæ charitatis, licèt sit creatus ad Deum tanquam finem *cui*. 4. Recta ratio non dictat, quòd homo malè agat, ponendo actionem, à Deo permissam, non referendo illam in finem positivè

tivè honestum : aliàs agnoscerent & hoc minùs docti, seque de ejusmodi accusarent. Hæc sententia videtur ex ratione probabilior, habetque pro se S. Hieronym. Greg. Nazianz. Greg. Magnum, S. Bonav. In hac enim, dum quis ambulat in horto, animi levandi causâ ; dum se calefacit ad focum, ad frigoris molestiam pellendam ; adhuc agit ùt homo, quia consulit regulam morum permissivam, & ab ea licentiam acceptat, sine ea non acturus, sicque ponit actum non inhonestum, & prosequitur licitè amabile, etsi non virtuosum, ordinatque ex ratione actionem suam ad bonum physicum naturæ. Si quis comedat, vel bibat, solius voluptatis causâ, peccat quidem, quia cibi & potûs delectatio subordinatur alteri fini, nempe sustentationi naturæ, adeoque, in delectatione sistendo, inordinatè agit. At relaxatio animi, depulsio frigoris immediatè ordinatur in bonum naturæ physicum.

Verùm, quamvis hæc sententia videatur probabilior ; nihilominus sedulò curandum est, ut omnes actiones nostras referamus in Deum vel ùt finem *cui* : vel saltem ad finem honestum, eumque supernaturalem. Primò. Quia Deus omni cultu, honore & amore dignissimus est. 2. Quia id maximè convenit ob nimiam charitatem, quâ dilexit nos Deus, innumeraque beneficia, quibus nos hìc coronat quotidie, & quæ nobis ab æterno præparavit in cœlis. 3. Ingenuus filius in omnibus conatur gratificari patri. 4. Quia pro nobis Christus passus est, ut à nobis diligeretur ; quis omittat, quod ei placet ? 5. Quia merces æterna reparata est cuivis operi bono supernaturali hominis justi ; quis tantum lucrum negli-

56. *Motiva, omnia referendi in Deum.*

negligat? 6. Quia anima per virtutes Deo assimilatur. 7. Quia ingentia habemus debita, quæ facili operâ sic extinguimus. 8. Multas intulimus Deo injurias, decet eas compensare. 9. Versamur in millenis periculis interitûs; quis nos proteget, nisi Deus? Quantò erga eum liberaliores erimus, tantò ipse erga nos erit liberalior. 10. Judicia Dei abyssus multa: quidam diu steterunt, & in senectute propter occulta vitia derelicti sunt; quis novit, quid futurum sit nobis, si simus in obsequio Dei negligentes? 11. Vita nostra brevis est; operemur bonum, dum tempus habemus. Parum habemus, & quàm citò illud perdimus, si non conservet is, qui dedit? 12. Creavit nos Deus in gloriam suam, ut operemur salutem nostram, eumque in cœlo intueamur, amemus, & in nobis resplendeat ejus divinitas; eum in finem conservat nos, ideo misit Filium suum, titulo ergo creationis, conservationis, finis ultimi, supremi Dominii, Redemptoris, summi Benefactoris, debemus illi actiones nostras. 13. Nisi constanter conemur ex motivo honesto, vel charitate operari, facilè intercurrent peccata venialia, quæ impediunt uberiora gratiæ auxilia. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quare non tantùm utile; sed etiam necessarium est ad meritum, ut operibus nostris rectam præfigamus intentionem, tum manè, tum sæpe per diem: nisi enim quandoque renovetur, facilè desinet, & in opera indifferentia non influet, præsertim, si per peccata venialia vitietur.

57. *Signa sinistræ intentionis.*

Quæres. Quæ sint signa vitiosæ, vel corruptæ intentionis?

Resp. Seqq. 1. Si intendas sensualitatem, & com-

commoditatem in ea ſiſtendo. 2. Si per opus tuum placere velis hominibus, gaudeas, te ideo ab iis æſtimari, laudari, ideoque optes illud ab iis videri, vel reſciri, non referendo iſta ad finem honeſtum. 3. Si ſciens gloriam Dei magis, vel æquè promoveri per opus occultum, vel vilius; attamen malis facere publicum, vel honorificum magis. 4. Si cum perturbatione, anxietate, aut impatientiâ quæras aliquid agere, conquerendo, vel turbando te ipſum, vel alios, dum non permittitur, aut differtur. 5. Si perturberis, dum quid tibi non ſuccedit glorioſè. 6. Si in tua ſatisfactione ſiſtendo ideo facias, ut ſis quietus, internâ pace fruaris, non te redarguat conſcientia, ut tibi ipſi ſatisfacias, ut aliis non videaris malus, non ſpectando bonum exemplum, quod aliis debes. Cæterùm honeſta eſt cura de bono nomine tibi neceſſario, vel convenienti, v. g. ut ſis, & habearis bonus Chriſtianus, bonus Religioſus: monet enim Scriptura, ut ſit nobis cura de bono nomine. Denique, nec ipſum gaudium & conſolatio in actione bona eſt certum ſignum bonæ intentionis, quia in ſolatiis vitiata natura quærit ſe, & non Deum, ſicque admittit vitium gulæ ſpiritualis, quærendo dulcedinem ſpiritualem propter ſe, in eaque ſiſtendo; utì vitium gulæ ſenſualis admittit, qui comedit, vel bibit propter voluptatem. Signum autem gulæ ſpiritualis eſt, ſi, ceſſante dulcedine, ceſſet operatio, vel dilectio.



QUÆS-

QUÆSTIO XII.

An Actus internus voluntatis possit esse honestus, qui imperatur ab intentione mala?

Quæritur. An, si quis ex intentione vanæ gloriæ velit confiteri, aut interesse Sacro, dolor de peccatis, & attentio ad Sacrum possit esse honesta, & supernaturalis?

58. *Potest esse.* Resp. Affirmativè cum D. Th. Scoto. Lug. contra alios. Ratio est; quia actus à tali intentione imperatus, v. g. actus contritionis, attentio reverens ad Sacrum, potest niti motivo suo solo honesto: ergo nihil obest, quò minùs possit esse honestus, & supernaturalis. Ant. probatur, & declaratur Exemplis: nam intentio, quâ quis vult elicere actum charitatis, quà utilem ad delenda peccata, vel quà honestum; nititur honestate, vel utilitate actûs charitatis, & tamen actus charitatis non nititur, ùt motivo, illâ honestate; sed bonitate Dei: ergo nec actus contritionis motivo vanæ gloriæ. 2. Volitio, imperans actum fidei, pro motivo habet honestatem fidei, & tamen actus fidei pro motivo non habet illam honestatem; sed authoritatem Dei loquentis. 3. Si Superior ex motivo vanæ gloriæ imperet suo subdito, ut eruditè dicat ad populum, potest subditus dicere ex motivo solius obedientiæ: ergo à pari.

Solvuntur opposita. *Dices* 1. Non potest idem actus esse bonus simul, & malus. Resp. Non potest esse bonus & malus intrinsecè, quia bonum ex integra causa, & non potest simul in se placere & dis-

& displicere Deo, Conc. Non esse bonus intrinsecè, & denominativè malus, seu malâ intentione volitus, vel imperatus, Neg.

Dices 2. Actus bonus non potest esse à malo principio ; ergo non potest imperari à mala intentione. Resp. Non potest esse à malo principio imperativo, Neg. Patet, si Superior ex vana gloria subdito imperet. Non potest esse à malo principio objectivo, quod approbatur, Conc. Possum à turpitudine peccati ad contritionem, subditus à malo imperio Superioris ad actum obedientiæ moveri ; cur non inclinatus à mala intentione ad aliquod opus, quod dein ex motivo honesto faciam ?

Dices 3. In casu eliciens contritionem, per eam cooperatur fini malo, utiturque eâ, velut medio ad illum ; ergo contritio non potest esse honesta. Resp. Per eam cooperatur fini malo materialiter tantùm, utiturque eâ non motus fine malo, Conc. Per eam cooperatur fini malo formaliter, utiturque eâ velut medio, motus fine malo, Neg. antecedens & consequentiam. Qui ex vana gloria vult confiteri, antecedenter ordinat quidem requisita ad Sacramentum ex parte sua ad finem malum ; dolor tamen postea elicitur ex motivo tantùm bono.

Inst. Eleëmosyna, data ex fine vano, non est honesta ; ergo à pari. Resp. Neg. consequentiam. Datio eleëmosynæ non procedit elicitivè ex fine honesto ; sed honestatem participare debet ab actu imperante, secus est de actu interno contritionis.

Dices 4. Non decet Deum, auxilio supernaturali in præsentia talis imperii concurrere ad actum contritionis ; ergo actus ille saltem

non potest esse supernaturalis. Resp. N. Antec. Neque sic Deus complet malitiam intentionis malæ præcedentis, sicut non complet malitiam sacrilegii, producendo ubicationem Hostiæ sacræ in terram projectæ. Neque sic initium salutis erit ex homine; quia intentio illa nihil confert ad supernaturalitatem actûs: sicut intentio naturalis, v. g. ob commodum temporale suscipiendi Baptismum, non probat, initium salutis esse ab homine. *Nec obstat*, quòd actus contritionis, ùt liber, essentialiter respiciat intentionem illam malam, quia honestatem suam ab objecto, supernaturalitatem à principio supernaturali sumit. Actus fidei non potest esse ab imperio malo, quia debet esse initium salutis, in se autem non est formaliter honestus, sed honestatem accipit ab actu, à quo imperatur.



TRACTATUS II.

De principio intrinseco Actuum humanorum directivo, seu de Conscientia, eorum Regula formali.

59. *Varia conscientiæ acceptio* CONscientia variè accipitur, ac 1mò quidem pro subjecto actuum moralium, seu pro ipsa anima: sic dicitur ad Hebr. 9. *Sanguis Christi emundare conscientias nostras*, id est, animas, *ab operibus mortuis*. 2. Pro memoria, seu potentiâ, vel actu recordativo præteritorum, quæ quis bene, vel malè egit, & non expiavit, vel non retractavit: sic accipitur, dum

dum dicimur, non habere conſcientiam peccati, examinare conſcientiam, habere teſtimonium conſcientiæ bonæ. Hæc dicitur conſcientia conſequens; quia conſequitur noſtros actus, approbatque bonos, & malos improbat, ideoque dicitur accuſare, remordere, vel conſolari, defendere, abſolvere, quatenus nempe in voluntate cauſat vel inquietudinem ob malè acta, quæ appellatur remorſus, & vermis conſcientiæ; vel ſolatium, & fiduciam parit ob bene geſta. Quàm ob cauſam Origenes conſcientiam appellat Pædagogum, & Rectorem animæ, ut eam de melioribus moneat, & de culpis caſtiget. 3. Accipitur pro dictamine rationis antecedente actiones noſtras, & proponente earum honeſtatem, vel inhoneſtatem: & de conſcientia, hoc tertio modo acceptâ, hìc nobis ſermo eſt: hæc enim ſola eſt regula, ex qua penſanda eſt actio, an bona, an mala ſit, vel fuerit?

CAPUT I.

De Conſcientia in genere.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Conſcientia propriè dicta?

RESP. Conſcientia, propriè, & ſtrictè dicta, eſt dictamen intellectûs practicum, proximè directivum voluntatis ad moraliter operandum: id eſt, eſt actus intellectûs dictans, quid hìc & nunc, ſeu ſpectatis omnibus circumſtantiis, licitè vel honeſtè fieri poſſit, aut debeat, vel contrà. Dicitur 1. *Dictamen in-* 60. *Conſcientiæ definitio.*

 telle-

tellectûs ; quia, cùm voluntas, quà talis, non ſit cognoſcitiva, ad intellectum pertinet, proponere illi agendorum, & omittendorum honeſtatem, & inhoneſtatem, vel indifferentiam. Dicitur 2. *Dictamen practicum ;* quia non nudè repræſentat objectorum honeſtatem, & inhoneſtatem ; ſed velut præco proponit legem Dei, dictatque, quid agi, vel omitti oporteat, & non oporteat, vel licitè poſſit, aut non poſſit. Dicitur 3. *Proximè directivum voluntatis, &c.* quia, cùm actiones ſint circa ſingularia, debet regula moralitatis proxima dictare, quid hìc & nunc, ſpectatis omnibus circumſtantiis, fieri licitè poſſit, vel debeat, aut non debeat. Et per hoc differt Conſcientia à principiis generalibus, & generaliſſimis Syndereſeos, ùt ſunt : *Malum eſt fugiendum, bonum amplectendum : temperatè vivendum : cuique ſuum tribuendum.* Dicitur autem tale dictamen Conſcientia, quia accedit alteri judicio, vel cognitioni proponenti legem Dei, eamque applicat ad operandum. Et hinc eſt ſcientia cum alia, &, quia operantem, inhærendo illi, informat, & dirigit, vocatur regula formalis. Dixi in reſponſione : *Conſcientia propriè, & ſtrictè dicta* ; quia latiùs accepta importat cognitionem intellectûs practicam quamcunque dirigentem ad moraliter operandum, ſive jam illa proximè, ſive remotè dirigat. Et definitur : Dictamen intellectûs dirigens ad operandum moraliter, ſive id fiat remotè, ſive proximè.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quomodo dividatur Conſcientia ?

Reſp. Dividitur 1mò, per ordinem ad ob- 61.
jectum in veram, ſeu rectam; & falſam, ſeu er- *Variæ*
roneam. Phyſicè vera eſt, quæ enuntiat de ſuo *diviſio.*
objecto, ùt verè à parte rei eſt, v. g. hìc &
nunc licitum eſſe, vel illicitum, quod verè li- 1. *Per*
citum eſt, vel illicitum, v. g. *Hìc & nunc au- ordinē*
dire Sacrum, honeſtum eſt: hìc & nunc men- ad obje-
tiri, non decet. Phyſicè falſa, ſeu erronea eſt, *ctum.*
quæ aliter enuntiat de objecto, ac revera eſt,
utì hæc: *Hìc & nunc pro concordia in domo*
ſervanda mentiri licet. Erronea alia eſt vin-
cibilis, alia invincibilis. Vincibilis eſt, quæ
humanâ, id eſt, ab hominibus probis adhibe-
ri ſolitâ, diligentiâ deponi poteſt; utì, ſi quis
judicet, ſe hìc & nunc non teneri ad reſtitu-
tionem, advertensque obligationem magis in-
quirendi in veritatem, negligat inquirere. Hæc,
ſi ſit obligatio eam deponendi, dicitur culpa-
bilis.

Conſcientia erronea invincibilis eſt, quæ hu-
manâ diligentiâ deponi non poteſt. Vide dicen-
da de Legibus n. 190.

2dò. Per ordinem ad regulam objectivam 2. *Per*
morum, ſeu legem Dei, dividitur in veram, *ordinē*
ſeu rectam: & falſam, ſeu erroneam Ethicè, *ad regu-*
& Theologicè. Ethicè, & Theologicè vera, & *lam ob-*
recta eſt, quæ eſt conformis regulæ objecti- *jectivā.*
væ morum, ſeu enuntiat de objecto, ùt repræ-
ſentato verè, vel invincibiliter erroneè tan-
quam conformi legi Dei; id eſt, dictat agen-
dum vel omittendum, quod hic & nunc ſe-

 cun-

cundùm eam agendum, vel omittendum est. Ethicè vel Theologicè falsa, seu erronea est, quæ enuntiat de objecto, ùt repræsentato vincibiliter erroneè, tanquam conformi legi Dei; id est, dictat agendum, vel omittendum, quod secundùm legem Dei hìc & nùnc agendum, vel omittendum non esset, eò quòd lex erroneè vincibiliter proponatur.

Porrò Conscientia Theologicè recta, si sit Physicè vera, dicitur speculativè, & practicè vera, estque simpliciter & strictissimè recta: ùt v. g. etsi Deus hìc & nùnc gravia mihi immittat mala, tamen honorandus est. Si autem sit quidem Physicè falsa, attamen Ethicè recta, ùt si nixa prudenti motivo, invincibiliter erroneè enuntiat, hìc & nunc licitum, quod à parte rei illicitum est, etsi non sit strictissimè, attamen est propriè recta; quia rectitudo Conscientiæ, utpote regulæ morum, non tam desumitur ex conformitate ejus cum objecto secundùm se, quàm ex conformitate cum objecto, ùt substat legi Dei, vel illi substare, invincibiliter judicatur.

Hæc Conscientia dicitur speculativè falsa, & practicè vera: Ethicè autem erronea dicitur practicè falsa, etsi esset Physicè vera, & hæc sola apud Theologos propriè nomen meretur erroneæ. Alii paulò aliter loquuntur ex S. Th. & Aristotele, ab iisque dicitur Conscientia ethicè recta, quæ est conformis appetitui recto, id est, voluntati rectè dispositæ ad implenda omnia mandata Dei; ethicè irrecta, quæ est difformis appetitui recto, id est, conjuncta cum voluntate non bene disposita ad obsequendum omni Dei legi.

3tiò,

3. Per ordinem ad motivum suum.

3tiò. Per ordinem ad motivum suum formale Conscientia latiùs dicta dividitur in certam, evidentem, probabilem, dubiam, scrupulosam, & perplexam. Certa nititur motivo certo, cognito ùt tali, v. g. fidei divinæ. Evidens nititur motivo evidenti. Probabilis motivo secundùm se quidem fallibili, attamen gravis momenti. Dubia est motus mentis suspensæ, id est, cùm intellectus anceps hæret, ità, ut neutri parti propositæ assentiat, neutri dissentiat. Scrupulosa est orta ex nimio timore, vel anxietate apprehensio, nixa levibus principiis, dictans esse peccatum, ubi peccatum non est. Perplexa est, quæ dictat, peccatum esse, quidquid ex oppositis elegeris. Cæterùm nec Conscientia dubia, nec scrupulosa, utpote mera apprehensio, propriè Conscientia est, imò nec tantùm probabilis: neque enim ultimò dirigit ad operandum moraliter.

4. Per ordinem intentionalem ad statum objecti.

4tò. Per ordinem ad statum objecti diversùm dividitur in directam, & reflexam. Directa est, quæ enuntiat de objecto secundùm se, v. g. Honestè facio hìc & nunc abstinendo à mendacio, perjurio, &c. Reflexa est, quæ enuntiat de objecto, ùt subtat rationi, v. g. hanc rem licitè vendo, quia prudenter judico, esse id hìc & nunc mihi licitum.

5. Per ordinem ad dispositionem subjecti.

5tò. Per ordinem ad dispositionem subjecti Conscientia dividitur in laxam, teneram, pharisaicam. Conscientia laxa dicitur, quæ tantùm graviora mortalia curat: tenera verò, quæ ex singulari perfectionis studio magni facit minima, & umbram etiam peccati fugit. Pharisaica est, quæ peccata magna parvi, & parva magni facit. Denique Conscientia alia est obligatoria, quæ proponit legem Dei ob-

gantem; alia consulens, quæ consilium; alia permittens, quæ Dei permissionem proponit. Ex dictis.

62. *Quomodo conscientia possit esse vera, & falsa?* *Colliges*. Conscientia 1mò potest esse tam speculativè, quàm practicè vera, v. g. hìc & nunc honestum est succurrere pauperi infirmo. 2. Potest esse speculativè & practicè falsa, utì, si quis ex errore vincibili judicaret, hìc & nunc licitum esse mentiri. 3. Potest esse speculativè vera, & practicè falsa, utì, si Titius de homine, qui revera non est ipsius parens; attamen censetur esse, temerè judicaret, non esse suum patrem, & formaret sibi Conscientiam: Non teneor honorare, ùt parentem, qui non est meus parens: atqui hic non est meus parens; ergo non teneor eum honorare, ùt parentem. Hoc enim Conscientiæ dictamen esset physicè verum, non tamen practicè; quia non est conforme appetitui recto, & legi Dei, jubenti honorare, ùt parentem, quem supponere debet esse suum parentem. 4. Potest esse speculativè fasa, & practicè vera: utì, si in prædicto casu diceret Titius: Illum hìc & nunc honorare debeo, qui est meus parens; atqui hic homo est meus parens; ergo illum hic & nunc honorare debeo. Hæc Conscientia est physicè & speculativè falsa; quia minor præmissa falsa est, & tamen practicè, & Ethicè vera, quia conformis legi Dei, jubenti honorare, quem esse suum parentem, dubitare non potest. Unde conscientia dici potest simpliciter recta, quæ est conformis legi divinæ verè existenti, vel invincibiliter existimatæ existere, irrecta verò, quæ est difformis legi Dei verè cognitæ, aut vincibiliter ignoratæ existere.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Qualis debeat esse Conscientia practicè practica, seu ultimò directiva actûs humani honesti?

Resp. Conscientia, ultimò directiva actûs humani honesti, & liciti, debet esse certa saltem moraliter, & exercitè. Ratio est, quia nisi sit moraliter, & exercitè certa, non certificat operantem de honestate, vel licentia suæ actionis, adeoque locum relinquit prudenti formidini, ne inhonestè operetur, peccetque formaliter: stabit enim hoc judicium: fortè operando pecco. Sic autem operari intrinsecè malum est. Nam operans æquivalenter diceret: Sive id liceat, sive non liceat, nihilominus facio: proinde in illum cadit illud Eccle. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Dixi 1. *Saltem moraliter*; quia ad operandum honestè sufficit judicium prudens, certum moraliter, etiam directum; tum, quia id certificat de honestate operationis; tum, quia in multis metaphysicè certum habere non possumus; proinde nec Deus, cujus providentia suavis est, illud à nobis requirit. Dixi 2. *Saltem exercitè*; quia necesse non est, me reflexè judicare, quòd certus sim; sed satis est, quòd operationes ponantur, ùt indubitanter bonæ, vel licitæ, vel nullum appareat periculum formalis peccati. Et sic rudes facilè in plurimis conscientiam certam habere possunt. Dixi 3. *Ad honestè, & licitè operandum*; quia ad operandum inhonestè sufficit dubium practicum, vel suspicio prudens de inhonestate, vel mali-

63. *Pro actu bono debet esse certa, pro malo sufficit dubia.*

tia. Et quamvis sic operans ordinariè habeat judicium reflexum certum, quòd sic operando peccet; putat tamen Suarez, id non requiri. Ex his

64. *Colliges* 1. Etsi, qui ex motivis directis prudenter judicat, v. g. hic contractus hìc & nunc est mihi licitus, habeat judicium prudens speculativè; quia nititur ratione gravi & prudenti; non habet tamen judicium practicum, practicè prudens, quia formidolosum, quod compatitur judicium reflexum de malitia formali fortè contrahendâ, etsi non compatiatur hoc judicium: hic contractus hìc & hunc est illicitus. 2dò. Judicium speculativè practicum prudens potest esse regula actûs mali, si aliud non accedat proximè practicum prudens, quia potest compati prudentem formidinem de peccato formali. 3tiò. Etsi, ut honestè, vel licitè operemur, certi esse saltem moraliter debeamus, de honestate, vel licentiâ actionis, inde non sequitur, ut malè arguit Elizalda, certos nos esse, quòd simus in statu gratiæ; tum, quia non sumus semper certi, an rectè formaverimus conscientiam; tum, quia sæpe procedimus cum timore, quem, an satis prudenter deposuerimus, nescimus; nec scimus, an actus nostri fuerint depurati ab omni sinistra intentione, & supernaturales.

Corollaria.



QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quomodo, & ex quibus principiis formari possit Conscientia, practicè certa, ad honestè, vel licitè operandum necessaria, & sufficiens ?

Resp. 1. Principia ex quibus formanda est, alia sunt universalissima; alia specifica, seu minus universalia; alia particularia ; alia directa, alia reflexa ; quæ omnia dicuntur principia agibilium. Universalissima sunt, quæ ad nullam agibilium determinatam speciem descendunt, ùt: Bonum est amplectendum, malum fugiendum. Specifica sunt, quæ descendunt quidem ad aliquam agibilium speciem, non tamen ad particulares circumstantias, hîc & nunc se offerentes ; fundanturque in lege tum naturali, tum positivâ divinâ, & humanâ, ùt : Non est pejerandum : cuique suum tribuendum : temperatè est vivendum : parentes sunt honorandi. Particularia sunt dictamina rationis de agendis, omittendis, licitis, vel illicitis hîc & nunc : v.g. Hîc & nunc honestum est, temperatè edere & bibere : non violare jus alienum. Directa sunt dictamina, quæ enuntiant aliquid de objectis secundùm statum suum à parte rei, independenter à statu intentionali, seu existentia eorum in mente : ùt : Sacrum die Dominico audiendum : Jejunium die præcepti servandum est. Reflexa sunt, quæ enuntiant de objectis, ùt substant judiciis mentis nostræ : v. g. Honestè fit, quod hîc & nunc prudenter judicatur honestum : licitè eligitur, quod hîc & nunc gravis ratio sua-

65. *Principia agibilium.*

suadet, vel, quod viri sapientes docent, vel, quod, spectatis omnibus, probabilius est licere: Contra: Inhonestè fit, quod nulla prudens ratio suadet, esse licitum: inhonestè eligitur, quod recta ratio dictat, hîc & nunc esse illicitum. Dictamina universalissima, & universalia sunt principia Synderescos: particularia pertinent ad prudentiam, cujus est dirigere in particulari actiones nostras.

66. *In materia evidenti sufficit dictamen directum.* Resp. 2dò. Ad formandam Conscientiam practicè certam in materia morali evidenter, vel certò licita, vel honesta, aut inhonesta, sufficiunt principia agibilium, seu dictamina directa, v. g. Impium est, Deum blasphemare; ergo hîc & nunc blasphemandus non est: turpe est consentire in peccatum; ergo hìc & nunc consentire non debeo: Deus est omni cultu dignissimus; ergo rectè facio, cum hìc & nunc colendo, &c. Nec hìc opus est discursu; sed sufficit hoc judicium: Deus hìc & nunc blasphemandus non est: hîc & nunc honestum est, Deum colere, &c.

67. *In solùm probabili requiritur reflexum.* Resp. 3. Ad rectè formandam Conscientiam practicè certam in materia probabiliter, vel tantùm probabiliùs licita, aut honesta, cognita ùt tali, non sufficiunt dictamina directa; sed adhibenda sunt reflexa, v. g. non sufficit formare hoc modo: Dominico die licitè facio, quod in eo facere nôn est prohibitum; sed: die Dominico non est prohibitum pingere; ergo id licitè facio; quia minor est incerta, adeoque & conclusio. Ratio autem est, quia dictamina directiva in materia solùm probabiliter licita non excludunt prudentem formidinem de peccato formali. Unde formanda hoc similive modo est Conscientia: Die Dominico

licitè

licitè hîc & nunc facio, quod prudenter, vel, spectatis omnibus, probabiliùs judico, hîc & nunc mihi licere; atqui pingere die Dominico, spectatis omnibus, hîc & nunc probabiliùs judico, mihi licere; ergo hoc hîc & nunc die Dominico licitè facio. Ubi major est certa, utpote dictamen Synderesеos, lumine naturæ notum: recta enim ratio dictat, licitè operari, qui ductu prudentiæ operatur, neque aliam regulam in probabilibus habere possumus. Minor quoque est experimentaliter certa, & evidens, proinde & conclusio, quæ est actus prudentiæ elicitus. Idem est in aliis ejusmodi. Notandum tamen, opus non esse formali discursu; sed sufficere virtualem, seu judicium talibus principiis nixum, quod & rudes facilè habent: v. g. Hîc & nunc licitè hoc facio; quia prudentes censent esse licitum; quia vir prudens, & doctus dixit, mihi esse licitum; quia id timorati faciunt. Hunc debeo honorare, ùt meum parentem; quia, eum esse, dubitare prudenter non possum. Hanc Hostiam debeo adorare; quia, esse consecratam, prudenter non possum ambigere.

QUÆSTIO V.

An, & quanta sit obligatio sequendi Conscientiam tum veram, tum speculativè seu physicè erroneam invincibiliter.

68. *Praeceptiva invincibilis est sequenda.*

Resp. Conscientiam præcipientem, & vetantem, seu veram, seu inculpabiliter erroneam sequendi tanta est obligatio, ut in sensu composito illius, seu stante illâ Conscientiâ, non

non possit Deus in illa obligatione dispensare. Ratio est; quia in nullo casu licitum esse potest acceptare malum, cognitum, ùt tale, seu cognitum, ùt repugnans legi Dei: aliàs enim Deus posset esse in aliquo casu contemptibilis saltem indirectè. Proinde actio difformis Conscientiæ obliganti est indispensabiliter mala. Id quod patet ex terminis, talem operationem explicantibus: nam operans exercitè diceret: Ego, tametsi indubitanter cognoscam, quod hîc & nunc jubeat Deus; nolo tamen parere.

69. *Corollaria.* Ex his deduces seqq. 1mò. Qui invincibiliter putat, sibi hîc & nunc mentiendum esse, v. g. ut patrem suum eripiat de manibus latronum, etsi hoc judicium ejus difforme sit objecto, & fortè legi Dei directæ; conformat tamen se legi Dei reflexæ, præcipienti, ut supposito errore invincibili de existentia legis directæ, illi, obediamus: ex eo enim, quòd quis judicet, in eo casu obligare Deum ad mentiendum, sequitur dictamen rectæ rationis, hîc & nunc mentiendum esse, quod dictamen est Conscientia, estque saltem æquivalenter conclusio in hoc vel simili Syllogismo: Quando indubitanter judico, velle Deum, ut hîc & nunc mentiar, debeo hîc & nunc mentiri; atqui indubitanter hîc & nunc judico, velle Deum, ut hîc & nunc mentiar; ergo debeo hîc & nunc mentiri. Ex quo patet, quòd dictamen directum, quo quis judicat hîc & nunc esse legem Dei obligantem ad mentiendum, & dictamen reflexum, quo infert, sibi hîc & nunc mentiendum esse, non sint de eodem objecto affirmato, & negato: nam primùm dicit: Hîc & nunc existit lex Dei præcipiens mentiri:

Potest esse legi Dei reflexæ conforme mendacium.

vel:

vel : hic & nunc mendacium non est inhonestum, sed præceptum: alterum autem reflectens supra directum dicit, quia indubitanter judico, legem Dei esse, ut hic & nunc mentiar; debeo hic & nunc mentiri. Primum est Physicè falsum, attamen ethicè rectum, quia dirigit ad actum laudabilem, etsi remotè tantum; alterum est verum, & recta ratio, dirigitque actum velut regula proxima. Idem est in similibus aliis: v. g. si Judex, quando reipsâ innocens probatus est reus, judicet, illum esse reum; judicium illud est erroneum, & non dirigit proximè, sed remotè tantùm judicem ad eum justè condemnandum; proximè autem dirigit hoc judicium illatum; justè condemno, qui legitimè probatus est nocens; atqui hic legitimè probatus est nocens; ergo eum justè condemno.

2dò. Quamvis Deus lege antecedente non possit præcipere intrinsecè malum, v. g. mendacium, potest tamen, sic exigente ejus authoritate, pro nullo casu contemptibili, & recto ordine creaturæ rationalis erga illum, præcipere id per accidens, & indirectè, quatenus jubet sequi judicium indubitatum de lege sua circa illud existente; unde mendacium pro tali casu peccatum propriè non est etiam materiale secundùm dicta N. 28. sed in tantum materiale peccatum dicitur, quatenus voluntas in illud cum advertentia malitiæ tendens necessariò participaret ab illo malitiam formalem. Sic multi cum Sanch. apud La Croix l. 6. p. 3. n. 545. dicunt copulam naturalem inter non conjuges, qui bonâ fide invincibiliter putant se esse conjuges, propriè non esse peccatum materiale; ideoque posse Confessarium jubere, 70. *Et per accidens præcipi.*

ut

ut reddant sibi debitum, dum non expedit illis revelari matrimonii nullitatem. Ratio est; quia tum Deus jubet, ut petenti reddatur debitum, & copula non obest vitæ & educationi prolis. Itaque quando aliqua dicuntur ità intrinsecè mala, ut nullâ circumstantiâ honestari possint, intelligendum est extra casum invincibilis ignorantiæ, & de lege Dei, per se existente.

71. *Operans ex erronea invincibili conscientia mereri potest.*

3tiò. Operans ex invincibili ignorantia, putans bonum vel præceptum, quod reipsâ malum, & prohibitum est, non tantùm non agit malè, ut fatentur omnes; sed etiam honestè potest agere, ponitque actum illius virtutis, ex cujus motivo debitè operatur, ùt habet communissima contra paucos. *Ratio est*; tum quia objecta refundunt moralitatem in actus internos, non ùt sunt in se; sed ùt substant judicio prudenti operantis; tum quia sic operans obedit legi Dei reflexæ, eamque reveretur, & agit ex recta ratione. Sic qui dat pecuniam reipsà alienam, quam invincibiliter putat, esse suam, pauperi ex motivo misericordiæ, exercet actum misericordiæ; actum justitiæ Judex, qui condemnat ex motivo justitiæ innocentem, quem ex allegatis & probatis judicat esse reum; actum religionis, qui adorat hostiam non consecratam, quam indubitanter judicat esse consecratam, & sic de aliis.

Confirmatur: Juxta S. Th. & August. omnis actus humanus est honestus vel inhonestus; talis actus non est inhonestus, ùt fatentur adversarii; ergo est honestus. Unde taliter operanti debetur præmium non quidem pro actu malo v. g. mendacio, secundùm se; sed ut

posito

poſito ſecundùm legem Dei reflexam. Vide La Croix hìc n. 14. & Dicta ſuprà ſub n. 28.

4. Agens contra conſcientiam invincibiliter erroneam, ejuſdem ſpeciei malitiam contrahit, quam contraheret, ſi ageret contra veram conſcientiam in eadem materia: v. g. Qui non jejunat, dum erroneè putat, eſſe jejunandum; eandem malitiam contrahit, quam contraheret, ſi verè eſſet lex jejunii: quia lex jejunii exiſtimata eſt ejuſdem ſpeciei, ac revera exiſtens, jubetque Deus obedire tali legi. Nec peccatur aliter contra conſcientiam, niſi quatenus agitur contra legem, ſeu verè, ſeu erroneè apprehenſam, ùt exiſtentem. Operáns tamen contra conſcientiam erroneam non incurrit pœnas Eccleſiaſticas, quas incurreret operans contra conſcientiam legis verè exiſtentis, quia pœnæ illæ non imponuntur, niſi transgreſſori legis verè exiſtentis. 72. *Agens contra peccat ejuſdem ſpeciei peccato.*

QUÆSTIO VI.

Ad quid teneatur laborans conſcientiâ vincibiliter erroneá?

Reſp. Si ſit circa materiam fortè prohibitam, vel præceptam, tenetur errorem actu adhuc vincibilem deponere, peccatque agendo ſecundùm, & peccat agendo contra talem conſcientiam. *Ratio 1mæ partis eſt*; Quia, ut conſcientia ſit vincibiliter erronea, debet cognoſci obligatio magis inquirendi; hâc autem cognitâ tenetur inquirere, cumque error ſit vincibilis, tenetur eum deponere, rem melius examinando, vel doctiores, aut libros conſulendo. *Ratio 2dæ partis eſt*; Quia agendo ſecundùm 73. *Tenetur deponere.*

talem conſcientiam, dictantem, faciendum, vel omittendum eſſe aliquid, quod apprehendit, fortè illicitum eſſe, exponit ſe periculo formaliter peccandi; cùm dubius ſit de honeſtate, vel licentia ſuæ actionis, vel omiſſionis. *Ratio 3tiæ partis eſt*; quia agendo contra talem conſcientiam agit contra legem apprehenſam, ſicque eam virtualiter contemnit. Dixi 1mò. *Si ſit circa materiam fortè prohibitam*: nam ſi eſſet circa honeſtam v. g. eſſe hodie jejunium, cùm revera non ſit, poſſet, errore non depoſito, jejunare. Dixi 2dò. *Tenetur errorem actu adhuc vincibilem deponere*; nam ſi jam de vincibili tranſiiſſet in invincibilem v. g. ſi ante habuiſſet rationem dubitandi, vel ſuſpicandi, & hanc neglexiſſet deponere; nunc autem nec dubitaret, nec recordaretur etiam implicitè; ſequi poſſet conſcientiam ſine formali peccato præſenti. Imò, ſi obligatoria eſſet, teneretur eam ſequi; ante tamen peccaſſet non inquirendo, niſi fortè, præcepto necdum urgente, ſtatuiſſet inquirere, & dein eſſet inculpabiliter oblitus. Ex his reſolves

74. *Corollaria.* 1mò. Qui erroneè vincibiliter judicat, ſe die Dominico, deſerto ægro, debere audire Sacrum, ſi non inquirat, peccat non audiendo, peccat quoque audiendo. Duplex enim lex in tali caſu proponitur, una de audiendo hodie Sacro, hanc violandi periculo ſe exponit non audiendo; altera de ægro fortè illicitè deſerendo, hanc violandi audiendo Sacrum, ægro deſerto, ſe periculo exponit. Non peccat tamen neceſſariò, quia poteſt, & tenetur inquirere, erroremque deponere. Hoc ſi nolit, peccat quidem neceſſariò, ſed neceſſitas eſt tantùm conſequens nolitionem liberam inquirendi, quam eliciendo

vult

vult alterutrum eligere; nempe omittere Sacrum, vel deſerere infirmum cum dubio, utrum liceat ex duobus. Neque vult Deus, ut peccet, & abſolutè ſequatur conſcientiam vincibiliter erroneam; ſed urgere pergit, ut inquirat, & errorem deponat, inventaque veritate agat, quod oportet. Ex quo patet, quòd non ſit obligatio, ſe poſitivè conformandi conſcientiæ vincibiliter erroneæ; ſed non agendi contra illam, & deponendi errorem. v. n. 112.

2dò. Conſcientia erronea adhuc actu vincibilis non eſt judicium certum: quia ut vinci poſſit, debet adeſſe ratio dubitandi, quæ pulſet animum in contrarium; Secus eſſe poteſt de ea, quæ actu amplius non eſt vincibilis, eò quòd ratio dubitandi non ſit amplius propoſita.

3tiò. An graviùs peccet, qui contra, an qui ſecundùm conſcientiam vincibiliter erroneam agit; conſideranda primò utraque materia, dein, quomodo lex utraque fuerit apprehenſa; nam qui erroneè vincibiliter putaret, ſe peccaturum venialiter, niſi furetur rem gravem ad ſuccurrendum pauperi, is furando graviter, non furando leviter peccaret: cæteris tamen paribus, gravius peccat agendo contra; quia actus alius ex ſcientia, alius ex ignorantia procederet.

CAPUT II.

De Conſcientia dubia.

Cùm Conſcientia dubia ſecundùm dicta ſub n. 61. §. 3. dictamen practicum non ſit de agibilibus; ſed ſuſpenſio intellectûs inter utram-

que oppositorum partem ancipitis, propriè non est conscientia, ad eam tamen reducitur ; quia fundat dictamen, aut agendum hic & nunc non esse, aut magis inquirendum, dubiumque deponendum, quòd quomodo faciendum, hic potissimùm inquiritur.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit dubium.

75. *Definitio.* Resp. 1mò. Dubium formale est motus mentis suspensæ, seu suspensio intellectûs ab assensu, & dissensu circa objectum propositum cum judicio vel formali, vel radicali, de ejus incertitudine. Dixi 1mò. *Suspensio intellectûs*, sive illa proveniat ex motivi ad assensum, vel dissensum insufficientià, sive ex defectu imperii voluntatis, non imperantis assensum, vel dissensum. Dixi 2dò. *Cum judicio de ejus incertitudine* ; quia ad dubium non sufficit mera utriusque partis oppositæ apprehensio, meraque judicii ulli parti adhærentis negatio ; aliàs dubitaremus in fide, quoties utraque pars contradictionis proponitur, & actus fidei non elicitur : sicque peccaremus, etsi non esset obligatio eliciendi actum fidei. Neque ad dubium sufficit mera inquisitio veritatis : nam nondum satis instructus potest in veritatem fidei inquirere absque eo, quòd in fide dubitet. Dixi 3tiò. *Cum judicio formali de incertitudine objecti*, quod requirit Suarez; vel *radicali*, quod per alios ad dubium sufficit, statque in eo, quòd quis in rem propositam feratur cum ea animi dispositione, quæ apta sit, causare judicium formale de incertitudine objecti, vel insuf-

insufficientia motivi. Ut si quis per argumenta, fidei opposita, sic moveatur, quasi etiam comparata cum argumentis pro fide, non essent contemnenda omnino. Dixi autem: *dubium formale*; quia objectivum est id, circa quod mens anceps hæret.

Resp. 2dò. Dubium aliud est negativum, aliud positivum, aliud mixtum, seu partim positivum, partim negativum; aliud juris, aliud facti. 1mò. Negativum est, dum pro utraque parte aliqua, non imprudentia: attamen pro neutra parte ad prudens judicium sufficientia motiva apparent. 2dò. Positivum est, dum pro utraque parte est motivum, ad prudens judicium sufficiens; sed id suspenditur ex metu errandi aut aliunde impeditur. 3tiò. Mixtum, est, quando pro una, & non pro altera parte est ad prudens judicium motivum sufficiens, judiciumque suspenditur. Gonzalez & alii dubium positivum propriè tale negant dari, nisi dicatur consistere in assensu, vel dissensu opinativo cum formidine de opposito; negativum verò dicunt esse, cùm pro utraque parte occurrunt motiva æqualia: quo casu putant, neutri parti posse dari assensum, vel dissensum. Denique Viva & alii dubium negativum dicunt, quando pro neutra parte occurrit ulla ratio prudens; ùt, an stellæ sint pares, vel impares numero. Positivum verò, si pro una tantùm sit ratio gravis. Hæc quidem sunt de nomine, bene tamen notanda, ubi leguntur AA qui, quomodo dubium accipiant, advertendum est. Cæterùm nomine dubii ordinariè venit dubium negativum.

76. *Divisio.* *Negativum & positivum.*

4tò. Dubium facti est, in quo ambigitur, an aliquid factum sit, vel evenerit, nec ne: v. g. an

Dubium juris & facti.

an votum ſit emiſſum, horæ Canonicæ dictæ, an ſeptennium ſit completum? &c. Dubium juris eſt, quando dubitatur de obligatione ſeu lege, vel de facultate legitima agendi, vel quomodo hæc intelligenda, aut de valore actûs, an ſecundùm jura valeat? Dubium juris dividitur in ſpeculativum & practicum. Dubium ſpeculativum eſt, in quo non quæritur de praxi, ſeu actione humana, an ſit licita, nec ne; ſed de valore actûs, vel aliquo legitimo titulo, poteſtate &c. v. g. an Matrimonium hìc & nunc contractum, ſit validum: an valeat Baptiſmus, tali formâ collatus: an bellum, in quo militas, ſit juſtum: an equus, quem poſſides, ſit tuus? &c. Dubium practicum juris eſt, in quo directè quæritur de praxi, ſeu de actione humana, an ſit licita, vel illicita: ſique quæratur de actione, ùt abſtracta à circumſtantiis, v. g. an liceat die feſto bellare, venari, pingere; dicitur dubium juris generale, & ſpeculativo practicum; ſi autem ſit de actione conſiderata ſecundùm omnes circumſtantias; dicitur dubium prácticè practicum, v. g. an liceat mihi hoc die feſto venari? Porrò ex dubio merè ſpeculativo ſæpe oritur dubium practicum, v. g. ex dubio, an Baptiſmus collatus ſit validus, ſequitur dubium practicum: an repeti debeat? ex dubio an Matrimonium, contractum, ſit validum, ſequitur dubium practicum, an uſus ejus liceat? Similiter ex facti dubio ſæpe oritur dubium juris v. g. dubitas, an votum emiſeris; ſtatim incipis dubitare, an eo tenearis? Dubium juris etiam dicitur, quod ex jure, dubium facti, quod aliunde reſolvendum eſt ſecundùm dicta in Analyſi num. 10.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

An aliquando liceat operari cum dubio?

Resp. Cum dubio practicè practico nunquam licet operari; sed id aut prudenter deponendum, aut in eo tutius eligendum est. *Ratio est*: tum quia actus humanus debet esse prudens; prudentia autem consistit in judicio mentis definientis, quid hìc & nunc licitè fiat, vel non fiat; tum quia aliàs committit se periculo peccati, acceptatque malitiam, ab intellectu propositam. Dixi 1mò. *Cum dubio practicè practico*; quia cum dubio speculativè practico stare sæpe potest dictamen conscientiæ certum de licentia operationis v. g. dubitas, an die Dominico tibi liceat pingere? stante illo dubio, formare potes conscientiam hoc modo: quod probabilius mihi est, die hâc Dominicâ licere mihi; hoc licitè facio: atqui, ergo. Dixi 2dò. *Prudenter deponendum est*; quia non sufficit, hoc pro libitu suo, & per solum affectum deponere; sed fieri debet per prudens motivum, ut est ratio gravis, authoritas timoratorum virorum, sic operantium, responsum alicujus viri pii & docti; quia talis merito præsumitur prudenti motivo duci. Si tamen dubium temerè, vel sine justa causa conceptum esset, posset sine nova ratione contemni: quod enim temerè concipitur, sine temeritate contemnitur; quod scrupulosis notandum est. Ex dictis resolves. 77. *Non licet cum dubio practico*

1mò. Qui operatur cum dubio practicè practico, malitiam contrahit, cujus periculo se expo- 78. *Corollaria.*

exponit. Unde 2dò. Si cum dubio de veniali venialiter, cum dubio de mortali mortaliter; si cum dubio de homicidio, peccat peccato homicidii. 3tiò. Si abstrahat à malitia mortali & veniali, eamque solùm in confuso apprehendat; tum si animo sic comparatus est, ut velit operari sive sit grave, sive leve, aut advertat periculum peccati gravis, peccat graviter; si verò objecti malitia illi nullo modo appareat gravis, nec advertat periculum, & obligationem magis inquirendi, peccat tantùm venialiter, & quidem peccato illius speciei, cujus malitiam apprehendit; speciei autem innominatæ, si puram rationem mali apprehenderet. *Ratio est*, quia ad peccatum mortale requiritur advertentia plena ad malitiam gravem, vel in se, vel in periculo, quæ hìc supponitur non adesse: cùm autem certum sit, eum peccare, peccat saltem venialiter. Hæc etsi speculativè vera sint, practicè tamen vix continget, quin exercitè apprehendatur malitia vel levis, vel gravis, aut in se, aut in periculo. P. La Croix putat, quòd censeatur apprehendi exercitè malitia gravis, si quis ad eam valde horreat. Verùm timorati sæpe magis horrent ad malitiam levem, quâm alii ad gravem, nec tamen illi ideo peccant graviter, apprehendendo malitiam levem. Signum tamen videtur, quod apprehendatur malitia gravis, si ad eam valde horreat, & non ad alia levia: nisi quis fortè in certa tantùm materia esset scrupulosus.

Quomodo peccet abstrahens à malitia gravi & levi?



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quale debeat esse dubium speculativum, ut prudenter deponi possit practicum, & quomodo intelligendum illud axioma : In dubio tutior pars est eligenda?

79. *Debet esse invincibile, & adesse ratio prudens.*

Resp. Ut quis dubium practicum prudenter deponat, & resolvat se in favorem libertatis, dubium speculativum, in quo practicum fundatur, debet esse invincibile, seu debet fundari in dubio speculativo invincibili, & adesse causa rationalis pro libertate. *Ratio est*; quia quamdiu non constat dubium vinci non posse speculativum; non potest quis operari, quin exponat se periculo formalis peccati. Si autem non adsit ratio prudens, non potest formari conscientia certa pro libertate. In exemplo: Speculativè dubitas, an hodie sit jejunium; practicè verò dubitas, an tu hìc & nunc tenearis jejunare; ut dubium tuum practicum prudenter deponas, formesque dictamen practicum certum, quòd jejunare non tenearis; dubium illud speculativum debet esse invincibile, adeoque debes præmisisse diligentiam debitam in inquirenda veritate, quam si non inveneris, dubium erit invincibile, ut jam dubium practicum deponas, resolvasque te pro libertate; debet adesse ratio prudens judicandi, quòd in dubio de existentia legis non tenearis jejunare, qualis esse posset, quod lex dubia non obliget. Quòd si ratio prudens pro praxi licita in favorem libertatis non inveniatur; tutius est eligendum. V. g. Dubium

ſpeculativum eſt, an Baptiſmus, in aqua roſacea collatus, valeat, unde oritur dubium practicum, an liceat extra caſum neceſſitatis in ea baptizare? At quia ratio prudens non eſt judicandi quod liceat, cùm agatur de valore actûs, qui per probabilitatem, cui ſubeſſe falſum poteſt, non ſuppletur, pars tutior eſt eligenda.

80. *Quando tutius eligendum?* Hinc inferes. In dubio pars tutior eſt eligenda. 1mò. Si ſit dubium practicum, quod non poteſt reſolvi in favorem libertatis. 2dò. Si quis in dubio ſpeculativo nolit in veritatem inquirere. 3tiò. Quando agitur de valore actûs, v. g. Sacramenti adminiſtrandi, vel ſuſcipiendi, & non eſt nimis difficile ſequi partem tutiorem. 4tò. Quando agitur de damno proprio vel proximi, quod quis tenetur ex juſtitia, vel ex charitate evitare.

QUÆSTIO IV.

An, ubi dubium ſpeculativum eſt invincibile, ad dictamen practicum formandum in favorem libertatis in materia juſtitiæ ſufficiat legitima poſſeſſio?

81. *Sufficit poſſeſſio legitima.* Reſp. In dubio ſufficit in materia juſtitiæ poſſeſſio certò legitima. Eſt communiſſima contra Adrianum & Cordubam. *Ratio eſt* 1. Quia recta ratio dictat, neminem eſſe ſpoliandum re, bonâ fide poſſeſsâ, ob dubium ſuperveniens. *Ratio eſt* 2. Bonum commune exigit, ut in tali caſu liceat poſſeſſori rem retinere: ſecus enim tranquillitas publica maximè perturbaretur per nimias in republica humana muta-

mutationes. Unde jura statuunt, ut in casu tali res adjudicetur possessori legitimo, suntque in praxi hæ juris regulæ. 1ma. *Cum partium jura sunt obscura reo* (id est possessori) *potiùs quàm alteri favendum est.* 2da. *Quando in dubio neutra pars sufficienter probatur, causa possessoris sustinenda est.* Unde illud : *in dubio melior est conditio possidentis.* Jam verò externo foro internum conformari potest, nisi constet, quòd externum nitatur falsâ præsumptione, vel præcisè actionem neget &c. *Ratio est* 1. Stante dubio, nemo jus habet, obligans possessorem; quia nemini certa lex favet, à qua jus vim habet ; lex autem dubia non obligat. Et quamvis possidenti etiam non faveat lex certa, quo ad proprietatem, seu rem ; favet tamen certa possessio, quæ jus certum tribuit in dubio rem retinendi, quod non eliditur, licet jus alterius pro proprietate esset probabilius, multò minùs, si pro ipso non sit ratio probabilis, etsi non esset pro possidenti. Dixi 1mò. *In dubio* : nam si esset moralis certitudo, rem esse alienam, retineri non posset, uti si pro possessore nulla esset ratio gravis, nec præsumptio prudens, rem esse illius; pro alio autem esset ratio gravis : tunc enim haberetur certitudo, qualis in humanis haberi potest ; sic si cui sit gravis ratio pro lege lata, voto emisso, nec sit ulla ratio, vel præsumptio seu probabilis conjectura pro libertate, tenetur lege & voto. Cæterum in materia justitiæ præsumitur, titulum esse possessori legitimo longissimi temporis, id est annis 30. Dixi 2dò. *Possessio certò legitima*, quia possessio dubiè legitima pro nulla reputatur, certò autem legitima fundat jus certum rem retinendi

in dubio tum utrimque negativo, tum utrimque positivo. Et quamvis judicare non posset, rem esse suam, judicare tamen potest, licitè se retinere, estque præsumptio pro titulo, seu causâ rem possidendi, tanquam suam. Unde, & rem vendere posset, monito tamen emptore de dubio.

QUÆSTIO V.

An quoque in materia aliarum virtutum idem procedat?

82. *Idem valet in aliis materiis.* Resp. *Affirmativè.* Est communior contra Vasq. Azor, & alios, præsertim Probabilioristas, & Rigoristas, contra quos *Probatur* 1. efficaciter authoritate Pontificum, PP. & communi DD. Nam 1mò. Legitima possessio sufficit in materia castitatis: uti enim habetur cap. *Dominus de secundis nuptiis.* Conjux dubitans de vita prioris conjugis, adeoque de valore secundi Matrimonii, potest debitum conjugi, non dubitanti, reddere; ubi, factâ inquisitione, dubium vinci non potest, non obstante periculo peccandi materialiter contra castitatem, idque non ex alio capite, quàm, quia Matrimonium, bonâ fide contractum, seu bonâ fide contrahens est in possessione certa. Denique capite: *Laudabilem de frigidis, & maleficiatis.* Cœlestinus III. Pont. conjugibus bonæ fidei; sed postea dubiis de potentia, indulget triennium ad usum Matrimonii tentandum, ùt constet, an adsit impotentia, idque iterum non alio ex capite, quàm quia Matrimonium est in possessione. 2. Sufficit in materia obedientiæ: nam juxta SS. PP. ipsosque adver-

adversarios subditus Religiosus tenetur obedire Superiori, jubenti aliquid, quod non sit certò illicitum, etsi subdito probabilius sit, esse illicitum; miles, secundùm S. Aug. c. 75. contra Faustum, potest, jubente Rege sacrilego, bellare, quando certum non est, id esse contra legem Dei. Cujus ratio est; quia Superior est in possessione potestatis jubendi, Unde resultat obligatio parendi in subdito, ubi res præcepta non est certò illicita. 3. Sufficit in materia Religionis: nam dubius, an emiserit votum, eo non tenetur; quia libertas est in possessione; dubium enim non exhibet nisi legem incertam, quæ non obligat ob rationem jam dandam. *Probatur 2dò ratione à priori*: Nam, sicut in materia justitiæ favendum est possidenti, quia recta ratio id dictat, & bonum commune id exigit; ità & in aliis materiis favendum est possidenti libertatem, quia id exigit bonum animarum; ne ob dubia frequentia innumeris anxietatibus, & peccatorum periculis committantur, quibus passim succumbant. *Probatur* 3. In omnibus materiis forum externum favet possidenti: Nam subditus Superiori inobediens in foro externo condemnatur, si res præcepta fuit probabiliter licita, utì & conjux nolens reddere debitum ob dubium, Matrimonio bonâ fide contracto, supervenients; atqui in foro interno nos licitè accommodamus externo, secundùm dicta; ergo. Atque ex his patet 1. Quod non ideò in foro externo, ùt contendunt adversarii, faveatur in materia justitiæ dubia possessori, quia Respublica habet dominium altum; nam dominium altum non habet, quo tribuat non conjugi jus in alterius corpus; & tamen favet in dubio super-

ſuperveniente Matrimonio, bonâ fide contracto. Patet 2. Quòd non ideo melior ſit conditio poſſidentis in materia juris, quia jus facit præſumptionem; ſed quia poſſeſſio certa præferenda juri alterius incerto, & hoc etiam valet, quando libertas poſſidet. Patet 3. Quòd, quando poſſeſſio eſt pro lege, obſequendum ſit legi; quando verò eſt pro libertate, in hujus favorem dubium reſolvi poſſit.

Dices. Quando conjugi uni poſt Matrimonium, bonâ fide utrimque contractum, ſupervenit invincibile dubium de valore Matrimonii, tenetur quidem is alteri non dubitanti, ſi bonâ fide petat, reddere debitum, non quia poſſeſſio eſt pro valore Matrimonii, utrimque bonâ fide contracti, ſed quia ex duobus malis, quando utrumque vitari non poteſt, minus eſt eligendum; atqui minus malum eſt exponere ſe periculo fornicandi, quàm negandi injuſtè debitum conjugale; ergo, quod dicebatur, non ſubſiſtit. Reſp. 1. Neg. rationem majoris. Nam petens bonâ fide debitum ideo jus habet ad illud; quia pro Matrimonii, bonâ fide contracti, valore ſtat poſſeſſio; & præſumitur validum, dum probetur invalidum; ex eodem autem capite, ex quo oritur jus activum in uno, oritur jus paſſivum, ſeu obligatio in altero. Imò utriuſque eadem ſunt constitutiva, diſtinctioque duntaxat eſt ex parte terminorum. Dein ponamus, utrique conjugi dubium eſſe de Matrimonii valore ob impedimentum indiſpenſabile, fortè præſens, v. g. impotentiæ, de quo uterque conjux, experientiâ edoctus, dubitare poteſt: In hoc caſu utraque pars ad triennium petere poteſt debitum, & uni petenti pars altera tenetur reddere.

dere. Cur ? An quia majus malum est non petere debitum, quàm exponere se periculo peccandi contra castitatem ? Minimè; sed quia Matrimonium est in possessione, & homines præsumuntur potentes, cùm ordinariè sint, donec constet de opposito. Resp. 1. Neg. min. Nam imprimis repugnat S. Thomæ, quem Adversarii, velut ducem, sibi propositum, sequi se dicunt. Is 2. 2. q. 154. a. in O. ait : *Fornicatio est gravius peccatum secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra exteriora, ùt est furtum, & alia ejusmodi; minus autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra bonum hominis, jam nati ùt homicidium.* 2. Qui fornicatur, injuriam Deo facit, ùt habet S. Th. 2. 2. q. 153. a. 3. ad 3. Deus enim nemini usum corporis sui concessit ad venerea, & generationem extra Matrimonium, ità ut nec pro vita conservanda liceat pollutio, vel fornicatio; sicut licet sibi amputare brachium pro ea conservanda. 3. Nullo casu licet fornicatio, variis verò ex causis licet conjugi debitum petenti negare, quemadmodum si petat irrationabiliter, si immineat grave malum corporis vel animæ, &c. Ex quo ergo capite majus malum est, negare debitum conjugi petenti, dum dubium est, an petens sit verè conjux, aut, an minus malum Deo facere injuriam, quàm homini in dubio debiti; nisi ergo legitima possessio certum faciat jus, non licebit id petenti reddere. *Si dicas* : In eo casu non esse propriè fornicationem, ùt supra sub n. 70. retulimus ex Sanch. Resp. Si ità est; cur dubitanti post contractum bonâ fide Matrimonium, dum dubium, adhibitâ diligentiâ, manet invincibile, non li-

cet petere debitum, cùm Matrimonium ſit in poſſeſſione, & præſumatur validum?

QUÆSTIO VI.

Unde diſcerni poſſit, an pro lege, vel pro libertate ſtet poſſeſſio?

83. *Tres regulæ aſſignantur.* Reſp. Dignoſcitur ex his Regulis. *1ma.* Quando dubitatur de exiſtentia illius, quo poſito priùs oritur obligatio; poſſeſſio ſtat pro libertate: èconrra, quando dubitatur de exiſtentia ejus, quo poſito deſinit obligatio antè exiſtens, poſſeſſio eſt pro lege. *2da.* Si, dum dubium ortum eſt, tempore immediatè antecedenti præceſſerit libertas, poſſidet libertas, èconrra, ſi immediatè præceſſerit obligatio, lex eſt in poſſeſſione. *3tia.* Pro eo ſtat poſſeſſio, qui onus probandi rejicit in alterum. In Exemplis: Si dubium ſit, an lex ſit lata, vel promulgata; poſſidet libertas, quia dubitatur de ejus exiſtentia, quâ poſitâ priùs oritur obligatio, & tempore, dubium immediatè antecedente, præcedebat libertas, & legem aſſerenti incumbit probatio; èconrra, ſi dubium ſit, an lex, lata & promulgata, ſit abrogata, vel in ea diſpenſatum; poſſeſſio eſt pro lege ob rationes contrarias. Similiter, ſi dubites, an compleveris annum 21, adeoque tenearis jejunare, poſſidet libertas, ſi autem dubites, an compleveris 60. adeoque amplius non tenearis jejunare, poſſidet lex ob eandem rationem. Quòd ſi hæ regulæ particularibus caſibus quandoque difficulter applicari poſſint, ideoque inter AA. controvertatur, pro qua parte ſtet poſſeſſio; ſervit hæc regula: Pro eo cenſetur in dubio

dubio esse possessio, pro quo est certa præsumptio juris, v.g. dubitas, an votum, post usum rationis emissum, valeat, adeoque stet possessio pro libertate, an pro obligatione; standum est pro obligatione, quia in dubio præsumitur pro valore actûs, certò positi, donec probetur invalidus; nam homines censentur considerate agere, & verba non proferre sine intentione. Hinc jus non præsumit sine rationabili causa; sed ex prudenti conjectura. Unde, dum pro una parte est certa Juris præsumptio, illa pars debet censeri vera, donec probetur opposita. Idque tenet etiam in foro interno. Dixi: *Præsumptio certa*: Nam, si incertum sit, pro quo stet præsumptio, judicandum est, ac si nulla esset; sicut possessio dubiè legitima, pro nulla habetur, & par censetur causa utriusque partis, aliæque probationes sunt adducendæ.

Dices 1. In omni dubio desinit possidere libertas; quòd autem in materia Justitiæ dubius possit se resolvere in suum favorem, ex eo est, quòd sit in certa possessione rei, nec constet, rem esse alienam, & hinc potest præsumere, rem esse suam: in aliis autem materiis non sumus in certa possessione libertatis; ergo regulæ prædictæ non subsistunt extra materiam Justitiæ. *Confirm.* Quando dicitur libertas nostra esse in possessione, vel sermo est de libertate morali, quâ quis possit licitè operari, stante dubio speculativo; vel de libertate physica? Primum dici non potest, quia, quando dubium est de existentia legis, libertas moralis est dubia, adeoque nec possidet. Nec dici potest 2dum, quia libertas physica manet, etsi lex certò cognoscatur existere, & ta-

84. *1. Fundamentũ partis adversæ.*

men tunc non possidet. Resp. Neg. Antec. Nam, quando est in materia Justitiæ, Religionis dubium, sæpe possidet libertas, sicut & in materia obedientiæ authoritas Superioris, ùt constat ex dictis, sive jam placeat illam possessionem appellare minùs strictam, sive strictè dictam; etsi non strictissimè talem, qualis competit respectu rerum corporalium: nam verè dicitur quis possidere libertatem à servitute, &c. Deinde ex eo, quòd rem possideas, non potes semper præsumere esse tuam: præsumptio enim est quoddam judicium fundatum in verisimilitudine aliqua, sufficiente ad prudenter credendum. Unde dicitur conjectura probabilis præferens veritatem, donec probetur oppositum: Jam verò, quando tibi æquè probabile est, aut probabilius rem, quam possides, esse alienam, juxta Adversarios non potes judicare esse tuam, aut saltem esse potiùs tuam, quàm alterius, & tamen potes eam retinere juxta omnes, quia es in possessione legitima, rectèque præsumis legem Dei dubiam, quæ probabiliter videtur hìc & nunc favere alteri, non obligare.

Cur lex dubia non obliget? Cur ergo in aliis materiis, ubi lex Dei dubia est, non rectè præsumamus, quòd ea non obliget; cùm exigat sapiens, suavisque Dei providentia, & gubernatio, ut non obliget humanam infirmitatem ad amplectendam in omnibus partem tutiorem, sequendas leges dubias; quia hæc obligatio esset onus intolerabile, cederetque in humanæ Reipublicæ detrimentum, exponendo innumeris peccatis formalibus, ac proinde deficeret à ratione legis, quæ plus prodesse debet, quàm ejus negatio

gatio, & non esse in detrimentum communitatis.

Ad Confirmationem Resp. Sermo est de libertate physica, id est, potentiâ agendi & non agendi, ut conjunctâ cum ignorantia invincibili legis, quæ libertas non manet, ubi certò lex cognoscitur existere: Atque libertas illa physica antecedens, conjuncta cum ignorantia invincibili legis, & bonâ fide, fundat in nobis certam possessionem libertatis moralis, seu potentiæ agendi, vel non agendi licitè, vel honestè, non obstante dubio speculativo de existentia legis prohibentis: neque enim tollit bonam fidem, cùm maneat judicium prudens, non dari legem proximè obligantem. Idem dicere debent Adversarii dicentes in dubio in materia Justitiæ possidere libertatem. *Libertas physica conjuncta cum ignorantia legis invincibili est in possessione.*

85. *Fundamentum 2dum.*

Dices 2. Ideo in dubio in materia Justitiæ possessio favet possessori, quia fundat præsumptionem pro veritate, puta, quòd sit verè dominus rei possessæ; atqui in materia aliarum virtutum possessio libertatis non fundat præsumptionem pro veritate, ergo. *Minor probatur.* Nam, qui die Jovis dubitat, an transierit medium noctis, adeoque adhuc possit vesci carnibus, quamvis sit in possessione suæ libertatis, illa tamen possessio non dat ei præsumptionem pro veritate, id est, quòd potiùs non sit, quàm sit duodecima, ideoque possit potiùs, quàm non possit vesci carnibus. Resp. *Neg. maj.* Si enim ideo præcisè faveret possessori, ergo cui probabilius est, aut æquè probabile, rem à se possessam esse alienam, non posset eam retinere, quia per Adversarios judicare non potest, rem esse suam.

Lex favet possidenti, quia id bonum commune exigit animarum. Itaque ei favet ideo possessio, quia bonum commune, & æquitas naturalis exegit, ut possessor non spolietur re, bonâ fide possessâ, ob Jus alterius incertum, & hinc judicare potest possessor, quòd lex Justitiæ circa proprietatem probabiliùs favens alteri, non obliget. Similiter possessio libertatis favet dubitanti de legis existentia, ut judicare possit, legem illam hìc & nunc non obligare, utpote non satis promulgatam. Unde in materia aliarum virtutum possessio fundat præsumptionem veritatis, quòd licitè quis operetur resolvendo se in dubio legis, sicut in dubio delicti, possessio innocentiæ facit, ut faveatur Reo, etsi sit major præsumptio veritatis contra, quàm pro eo. Atque hoc sensu intellectam. *Neg. Min. Ad cujus probationem* Resp. Etsi libertatis possessio non fundet præsumptionem, quòd potiùs sit duodecima, quàm non sit; tamen fundat judicium, quòd licitè vescatur carnibus, saltem si probabilius sit, quòd non sit duodecima. Et idem est in materia Justitiæ.

86. *3. Fundamentum.* *Dices* 3. Dum dubitatur in materia Justitiæ, lis est inter æquales, hinc meritò favetur possidenti; in materia aliarum virtutum, lis est inter Deum & hominem; favendum autem est magis Deo, quàm homini, sicut in dubio magis favetur causæ piæ, quàm profanæ.

Resp. In materia Justitiæ etiam lis est, si ità loqui liceat, inter Deum, & possessorem rei probabiliter alienæ: dubitatur enim, an lex divina non faveat alteri, & tamen possessor potest rem retinere, donec probetur aliena. Neque ideo magis favetur homini, quàm Deo, quia ad bonum commune, & animarum, gloriamque Dei pertinet, ut non sit passim obligatio

gatio ad tutiora, legesque incertas. Et quis dicat, quòd Ecclesia non rectè permittat experimentum usûs Matrimonii, bonâ fide contracti, ad triennium, dum supervenit dubium de impotentia, etsi dubium sit, an sint verè conjuges, adeoque copula prohibita.

Neque dicas: Rectè id permittit, quia tutius est, ne peccetur contra Justitiam. Nam non minùs grave est peccare contra castitatem, ùt constat ex dictis. Deinde dubius de sua impotentia potest petere debitum, nec tamen ad id tenetur, essetque tutius non petere. Imò in primo trimestri ante consummatum Matrimonium, nec tenetur reddere, & tamen licitè potest; ergo non ex eo, ut consulatur Justitiæ, id licet; sed quia Matrimonium, bonâ fide contractum, est in possessione. Quod autem in dubio faveatur causæ piæ, doti, Matrimonio, est ex lege positivâ, sic statuente in bonum commune, & animarum; non est autem in bonum animarum, obligari hominem passim ad tutiora, & leges incertas.

Dices 4. In dubio parendum est Superiori, 87.
quia est in possessione potestatis præcipiendi; 4. *Fun-*
ergo & Deo. Quod confirmatur: quia lex *damen-*
Dei est æterna, adeoque antecedit, & possi- *tum.*
det contra libertatem. Resp. 1. Lex Justitiæ est lex Dei, cur ergo in dubio circa materiam Justitiæ ei non est parendum à possessore? Item lex Justitiæ est æterna & prior; ergo possidet contra possessorem v. g. agri. Resp. 2. In dubio de existentia legis parendum est Superiori, Neg. In dubio de Justitia legis certò existentis, Transf. *Ad Confirm.* Lex Dei existens, & sufficienter promulgata possidet contra libertatem, Conc. Non existens, vel non suffi-

cienter promulgata, adeoque invincibiliter ignorata possidet contra libertatem, Neg. Si lex Dei, nobis dubia, reipsa existat, antecedit quidem libertatem secundùm se, ùt incompleta in ratione legis, proximè obligantis; non tamen quoad nos, & ùt completa in ratione legis, ùt proximè obligantis. Eodem modo respondere debent Adversarii in materia Justitiæ, in qua præcipua eorum argumenta evidenter retorquentur. Dixi: *Transeat*, propter dicenda de Legibus n. 228. *Nec dicas*: Non apparet, quomodo libertas sit in certa possessione, quando dubium est de lege contraria. Nam *Respondeo*: Est in certa possessione libertas ab obligatione, quia certum est, quòd lex incerta non obliget, utì dictum est. Et aliàs, si probabile tantùm esset, dari legem, non liceret sequi oppositam probabiliorem.

QUÆSTIO VII.

Quomodo intelligendum sit Axioma illud: *Factum in dubio non præsumitur; sed demonstrari debet?*

88. *Actus externus principalis in dubio non præsumitur*

Resp. Axioma illud Juris seu Regula, teste Layman l. 1. t. 1. c. 5. n. 30. apud omnes recepta sic explicatur: Si dubitetur de actu principali, v. g. An aliquem percusseris, hoc factum præsumi non debet, sed, qui affirmat, debet positivè probare; si verò actus principalis sit certus, vel ex causis, quod raró fit, præsumatur positus, dubiteturque tantùm de aliquo accessorio; tunc, si hoc de Jure faciendum erat, aut si ordinariè fieri solet, aut ità factum esse, est favorabile facienti, præsumitur, accessorium

rium factum esse. V. g. constat, alienationem factam esse, & dubitatur, an adfuerit necessaria solennitas, hæc præsumitur adfuisse. Orâsti Horas, audivisti Missam, explevisti Pœnitentiam; & dubitas, an cum debita intentione, vel attentione? Es confessus; & dein dubitas, an cùm sufficienti dispositione? In his omnibus accessorium præsumitur, nisi præsumptio fortior sit in contrarium. Et universim, si constet de actu externo ritè peracto, v. g. Confessione, testamento, contractu; in dubio, nisi accedat alia præsumptio fortior in oppositum, præsumitur, actus internos necessarios, & sufficientes adfuisse: Juxta enim aliam regulam Juris: *Factum in dubio præsumitur, quoties de Jure faciendum erat.* Hinc in dubio, an, dum Matrimonium contraxisti, habueris animum te obligandi; præsumeris habuisse; quia æquum est, quemque præsumi obligationi suæ satisfecisse. Neque delicta præsumuntur, aut malus quisquam præsumitur, sed probandus est. Similiter, si constet, votum esse emissum post usum rationis, censetur adfuisse sufficiens deliberatio, nisi ratio prudens suadeat contrarium: quia naturæ congruum est, ut homo deliberatè agat, & facta prudenter præsumuntur ex iis, quibuscum frequenter solent conjungi. A prædicta regula excipitur casus, quo dubitatur de homicidio, tanquam de actu principali facto; Jus enim Cap. *Significâsti ad audientiam. 2. de homicidio.* statuit, ut præsumatur irregularis, talisque sit in utroque foro, de quo dubitatur, an homicidium commiserit; idque ob reverentiam divinis debitam, & ædificationem fidelium. Advertendum tamen est, ca-

pur illud intelligendum esse non de casu, quo dubium est, an actio injusta sit posita, vel mors sit secuta; sed quo constat de actione posita, & morte secuta, solùmque dubitatur, an sit secuta mors ex illa actione posita.

QUÆSTIO VIII.

Quæ pro praxi ex dictis deducenda?

89. *Corollaria.* Resp. 1. Si dubites ex probabili pro te ratione, an res, quam Titius bonâ fide legitimè possidet, non sit tua; non poteris eam tibi tollere, quia Titius est in possessione legitima, quæ ei jus certum tribuit, quod per rationem probabilem non eliditur. Unde ordinariè saltem non licet occulta compensatio, si non sit certum, tibi ex Justitia deberi. Dixi: *Ordinariè*: quia aliqui AA. casus aliquos excipiunt, de quibus videri potest Viva hîc q. 2. a. 2. sub num. 3. La Croix l. 3. p. 1. n. 962.

2. Si die Jovis dubites, an sit duodecima noctis, & non possis sine incommodo non omnino levi abstinere ab esu carnium; licitè comedes: si verò dubites die Sabbati, illicitè comedes: quia in primo libertas, in secundo obligatio abstinendi possidet.

3. Si dubites, an debeas Titio; non teneris solvere: si autem dubites, an debito certo satisfeceris; teneris saltem pro ratione dubii: Ratio est eadem.

4. Si dubium sit, an votum emiseris, ante vel post pubertatem; pater vel tutor tuus potest illud irritare: tum, quia ætas est facti, adeoque non præsumitur; tum, quia Superior in dubio non est spoliandus suâ potestate. Unde

& si

&, ſi dubites, an habeas annum vigeſimum primum ; non poteris ſuſcipere ſacros Ordines, quia lex eſt in poſſeſſione, & ætas non præſumitur. Si tamen Ordinem ſuſcepiſſes, dubius de ſufficienti ætate, peccâſſes quidem ; non eſſes tamen ſuſpenſus, ſi dein non conſtet, defuiſſe ætatem requiſitam ; quia delicta conſummata, & inde conſequens pœna non præſumuntur : odioſa enim reſtringi, favores convenit ampliari. Similiter, ſi percuſſiſti hominem, timens eſſe Clericum ; ſi dein humanâ diligentiâ reſcire non poſſis, an fuerit Clericus ; etſi reus ſis ſacrilegii interni, non tamen cenſere te debes excommunicatum, ob eandem rationem.

5. In dubio poſitivo, an ſis jejunus, licitè communicas ; quia libertas eſt in poſſeſſione, & in ejuſmodi non requiritur plus ab homine, quàm, ut ſequatur prudens dictamen rationis.

6. In dubio negativo, ùt, ſi quis ſciat, ſe poſt medium noctis fuiſſe jejunum, & poſtea negativè dubitet, an aliquid, violans jejunium, deglutierit, probabilius licitè communicat : quia quilibet habet jus communicandi, niſi ſciat ſe prohiberi. Proinde talis eſt in poſſeſſione ſui juris, & libertatis. Neque hic tenetur, probare ſe eſſe idoneum ; ſed ſatis eſt, quòd, ſe fuiſſe ſciat, & non ſciat, amplius ſe idoneum non eſſe : ſic enim manet in poſſeſſione ſui juris, à qua dejici non debet per impedimentum incertum ; præſertim, cùm violatio jejunii ſit facti, adeoque præſumi non debeat, ſed probari. Sic, qui ſcit, ſe fuiſſe liberum ab irregularitate, & hodie dubitat, an aliquam incurrerit ; non tenetur ſe gerere, ùt irregularem, exceptâ irregularitate ex homi-

cidio, de qua est specialis dispositio Juris secundùm dicta n. præcedente.

7. Qui scit, se aliquid cibi, vel potûs deglutivisse; sed nescit, an post, vel ante medium noctis, probabiliter non potest communicare. Ità Thom. Sanch. Lugo, Tamb. & alii. Quia, cùm sciat, se comedisse; possessio videtur esse pro præcepto. Contradicunt tamen Laym. Dicast. Gobat. Card. & alii apud La Croix l. 6. n. 572. Quia volenti talem repellere, incumbit probatio. Quòd si haberet rationem prudentem judicandi, necdum fuisse medium noctis, posset licitè communicare, ob rationem datam. Plura ejusmodi dubia resolventur per decursum.

CAPUT III.

De Conscientia probabili, & usu opinionum probabilium pro formanda Conscientia certa.

JUdicium solùm probabile, versans circa honestatem & inhonestatem morum, etsi propriè Conscientia non sit; dicitur tamen Conscientia, tum quia remotè dirigit voluntatem ad mores, tum quia sæpe est principium, ex quo ultimum dictamen deducitur, ùt constat ex n. 65. Indagandum hìc, ex qua opinione, vel judicio probabili id formari possit. Pro quo sit



QUÆS-

QUÆSTIO I.

Quæ ſit opinio probabilis, & quæ ejus diviſio?

Quæ opinio ſit improbabilis, temeraria, &c.

Reſp. 1mò. Opinio eſt judicium incertum, 90. nitens motivo fallibili cum formidine ſaltem radicali de oppoſito. Si illius motivum non ſit ſimpliciter grave, quod ſpectatis omnibus poſſit virum prudentem movere ad aſſenſum, dicitur opinio improbabilis. Si ſit dubiè grave, nec ſit ratio prudens pro ejus gravitate, dicitur dubiè probabilis. Si ſit incertum, an motivum ſit grave ſimpliciter, ſit tamen ratio prudens pro ejus gravitate, & etiam contra; dicitur probabiliter probabilis. Si motivum ſit ità leve, ut non mereatur aſſenſum viri prudentis, etiam dicitur tenuiter probabilis, eſtque ſimpliciter improbabilis. Si habeat contra ſe rationes graviſſimas, ejus autem motivum nullum ſit grave, vel nec pro ſe, nec contra ſe habeat motivum prudens; vel procedat ex præcipitantia, vel ſiniſtro affectu ſine prudenti ratione, dicitur temeraria. Si nimium faveat libertati non nixa ſufficienti ratione; dicitur laxa. Quæ dicatur hæretica, hæreſi proxima, erronea &c. Vide in Analyſi n. 26.

Opinio probabilis.

Reſp. 2dò. Opinio, ſeu ſententia ſimpliciter probabilis eſt Judicium incertum, nitens 91. motivo ſimpliciter indubiè gravi, vel nitens motivo abſolutè & reſpectivè certè gravi. Dixi 1mò. *Motivo ſimpliciter, vel abſolutè, & reſpectivè gravi*, quia debet eſſe grave ſecundùm ſe, & non ex paſſione inordinata, vel

vel negligentia in inquirenda veritate; debet quoque esse grave, attentis rationibus pro parte opposita, aliàs non meretur prudentem assensum. Dixi 2dò. *Indubiè gravi*, quia aliàs erit tantùm dubiè, vel probabiliter, aut tenuiter probabilis, sicque iterum assensus non poterit esse prudens. An autem motivum sit certò grave, experimentaliter sciri potest, si nempe, expensis diligenter omnibus, fortiter inclinet ad assensum. Utì sciri potest, an pondus sit grave, ex eo, quòd fortiter premat corpus. Atque hæc tantùm est simpliciter probabilis. Cæterùm rudi, saltem ad tempus, aliquid potest respectivè ad ejus capacitatem esse probabile, quod secundùm se probabile non est. Itaque ad veram probabilitatem requiritur secundùm omnes, ut neque S. Scripturæ, neque traditioni, neque communi PP. sententiæ, neque rationi certæ adversetur, imò nec communibus TT. placitis; nisi contra horum authoritatem novæ gravis momenti rationes inveniantur. Unde &, ut opinio aliqua sit improbabilis, necesse non est, ut ejus argumenta positivè evidenter solvantur, sed sufficit, stare contra eam motivum certum, ejusque argumenta probabiliter solvi. Sic improbabile est, in homine lapso non dari libertatem activæ indifferentiæ, & tamen argumenta, quæ à scientia, & decretis Dei petuntur contra eam, non solvuntur positivè evidenter.

Opinio moraliter certa. Similiter ut opinio sit moraliter certa, non est opus, ut nullæ sint rationes, & AA. pro opposita; sed satis est, quòd, expensis omnibus, non possit de ejus veritate dubitari, argumentaque opposita sic solvantur, ut prudens dubium non maneat.

Resp.

Resp. 3tiò. Opinio probabilis variè dividitur : nam primò ex modo tendendi alia est speculativè probabilis , quæ gravi motivo nititur pro objecti sui veritate , non referendo illud ad praxin : seu nihil enuntiat de praxi operationis , ùt hæc : Forma essentialis Sacramenti pœnitentiæ consistit in his verbis tantùm : *Absolvo te.* Practicè probabilis est, quæ ex gravi motivo , consideratis omnibus, quæ in praxi apta sunt contingere , enuntiat de praxi licita , ùt hæc : Die Dominicâ licet pingere, quia non est opus servile. Porro speculativè probabilis evadit practicè probabilis , si ejus motivum pro praxi non elidatur , sed suam vim ad prudentem assensum retineat, utì hæc : Pingere die Dominicâ non est opus servile : ex hac enim deducitur hæc : Pingere die Dominicâ licet , quia non est opus servile. Si autem ejus motivum pro praxi grave non maneat ; speculativè probabilis , est practicè improbabilis : v. g. Valet Baptismus in aqua rosacea , quia ità docent probabiliter DD. & substantialiter non differt ab aqua elementari &c. Hujus motivum , quia grave non manet pro praxi extra casum necessitatis , cùm exponatur Sacramentum periculo nullitatis ob probabilem oppositam ; non evadit practicè probabilis extra casum necessitatis. Universim speculativè solùm probabilis, non est practicè probabilis, quando ex ejus usu imminet grave damnum ; aut lex, conventio, vel recta ratio eam vetat, ùt patebit ex dicendis.

92. *Varia divisio.*

Quando opinio speculativè probabilis maneat pro praxi probabilis?

2. Probabilis opinio ex parte motivi , alia est immediatè probabilis , cujus probabilitas innotescit ex terminis , ùt : Omnis mater diligit filium. Alia est probabilis mediatè , cujus

jus probabilitas non ex terminis, ſed ex alio motivo innoteſcit, ùt: die Dominico licet pingere, quia non eſt opus ſervile.

3. Mediatè probabilis alia eſt intrinſecè talis, quæ nititur ratione gravi, petita ex rei natura, proprietatibus, vel effectibus; alia talis extrinſecè, quæ ùt motivo nititur authoritate gravium DD. ſita in peritia, præcipuè ſapientiâ, probitate, & veracitate eorum: quæ tamen non movet, niſi quatenus cenſetur informatâ gravi ratione, & hinc dicitur motivum extrinſecum; quia ratione ſuî non importans connexionem cum veritate. Si motivum opinionis putetur grave, & re ipsâ tale non ſit, eſt tantùm probabilis quo ad opinantem; ſi autem ſit grave, & de eo conſtet, eſt probabilis quoad ſe, & quoad nos: ſi ſit grave, & de eo nobis non conſtet, eſt tantùm probabilis quoad ſe.

4. Opinio probabilis alia eſt probabilior, vel intrinſecè, ſi gravioribus rationibus nitatur; vel extrinſecè, ſi majorem pro ſe habeat authoritatem: alia eſt minùs probabilis, quæ magni momenti motivo, attamen minus gravi, aut minore authoritate nititur. Quòd ſi una ſit intrinſecè, alia extrinſecè probabilior; ſimpliciter probabilior dicitur, quæ eſt intrinſecè talis: quia authoritas eatenus movet, quatenus DD. illi veritatem propinquiùs cenſentur attigiſſe; graviores autem contra eos rationes ſuadent, potiùs eos non attigiſſe veritatem.

5. Alia eſt probabilior directè, quæ authoritate, vel ratione, petita ex natura rei, vel proprietatibus, graviore nititur; alia reflexè

flexè probabilior, quæ nititur motivis, quæ intellectus, reflectendo ſuper motivum intrinſecum, vel extrinſecum directum, invenit: & ſic directè minus probabilis, poteſt eſſe reflexè probabilior oppoſitâ. V. g. Si tibi eſſet minùs probabile, quòd liceat die Dominico pingere; reflectendo autem invenias, legem id prohibentem eſſe incertam, adeoque non obligare; fit tibi reflexè probabilius, licere pingere die Dominico. Similiter poteſt opinio directè minus probabilis, indirectè & reflexè fieri practicè probabilior, imo certa ex circumſtantia. V. g. Si tibi, quòd certa actio liceat, eſſet minùs probabile, & ſuperior illam imperaret, tibi indirectè & reflexè fieret probabilius practicè, imò certum ex accedente præcepto ſuperioris eam licere; quia parendum ſuperiori, ubi non apparet manifeſtum peccatum. Et idem contingere poteſt ex alia circumſtantia v.g. neceſſitate, vel periculo ſalutis proximi. Imò ſic practicè improbabilis poteſt fieri practicè probabiliſſima & certa: ùt, ſi in caſu neceſſitatis non poſſet haberi materia, niſi dubia Baptiſmi: ſi impensâ diligentiâ in dubio, an res ſit tua, maneas dubius, de legitima tamen poſſeſſione certus, &c.

6. Ex parte objecti materialis opinio probabilis alia eſt tuta, alia tutior, alia minùs tuta, alia tutiſſima. Simpliciter tuta eſt, quam quis ſequendo non exponit ſe periculo peccati formalis, vel alterius mali incurrendi, etſi fortè ſit periculum peccati materialis. Et hæc dicitur formaliter & practicè tuta. Tutior eſt, quam quis ſequendo recedit magis à periculo peccati etiam materialis, vel alterius mali, quàm ſequendo oppoſitam. Et hæc dicitur materia- *Opinio tuta, tutior &c.*

terialiter tutior, non tamen formaliter & practicè, si non sit periculum peccati formalis: Minùs tuta est, quam sequendo recedo quidem ab omni periculo peccati formalis, est tamen peccati materialis periculum majus, quàm in sequela oppositæ. Hæc est formaliter & practicè æquè tuta; sed non materialiter & speculativè. In exemplo: sit probabilius, contractum certum esse licitum, probabile tamen quoque, esse illicitum; jam minùs probabilis erit tutior, imò tutissima; probabilior materialiter minùs tuta, practicè tamen & simpliciter tuta. Quòd si in opinione utraque esset periculum peccati materialis, vel alterius mali incurrendi, illa foret tutior, quæ removet à periculo graviori, vel gravioris peccati aut damni. V. g. Invenis moribundum dubiè dispositum; hìc periculum est irreverentiæ, & salutis proximi; tutius tamen est absolvere: quia non absolvendo exponis te periculo, peccandi contra charitatem, non succurrendo proximo, periclitanti de salute; absolvendo autem exponis quidem te periculo irreverentiæ; sed ab hac excusatis ob charitatem, quæ prima virtus est.

QUÆSTIO II.

Quis judicare possit, & unde constet, quòd opinio aliqua sit verè probabilis, aut probabilior.

93. *Difficulter proprio ingenio invenitur certa probabilitas.*

Resp. 1. Proprio ingenio expendendo rationes, judicare, an hæc, vel illa opinio sit intrinsecè probabilis, difficile est, nec id possunt, nisi doctissimi, & in materia morali versatissimi.

mi. *Ratio est* ; Quia ad hoc judicandum scire quis debet 1mò. Quid sit stricta probabilitas. 2dò. Debet conferre motiva hujus & oppositæ opinionis, & discernere, an motiva pro hac non sint fortè levia, æquivoca, Sophistica. 3tiò. An non pro opposita sit motivum certum. Hoc autem non possunt, nisi viri doctissimi, & in materia morali versatissimi; ergo.

Dixi : *Proprio ingenio expendendo rationes.* Nàm vir mediocriter doctus, si statum quæstionis intelligat, & inveniat opinionem assertam in AA. hujus ætatis, omni exceptione notoriè majoribus, poterit judicare esse probabilem : secus si AA. non sint notoriè omni exceptione majores. *Ratio 1mæ partis est*; quia tales Authores censentur bene examinâsse, & niti gravi fundamento. *Ratio 2dæ partis est*; quia difficile erit, id judicare, si non constet, illos esse omni exceptione majores, id est, tales quorum authoritati nihil opponi possit.

Quis sit auctor omni exceptione major?

Nam ut Author sit omni exceptione major, non debet esse 1. merus summista, qui tantùm ex aliis transscripserit. 2. Non debet contra se habere principium certum. 3. Non debet niti levi, vel æquivoco, vel sophistico fundamento. 4. Non debet docuisse varia improbabilia, à cæteris Theologis rejecta. Horùm unum si desit, non est omni exceptione major. Non obstat tamen, quòd olim probabilia aliqua docuerit, quæ nunc sint improbabilia : nam Auctores gravissimi antehac docuerunt, quæ nunc sunt improbabilia, uti videre est apud La Croix l. 1. n. 161. Quia tunc nixi sunt motivo gravi, nunc eliso. Ex

his patet, quàm periculosè procedant, qui quamlibet opinionem, ab Auctoribus aliquibus traditam, suæ libertati, commodo, voluptati faventem, statim arripiunt, & non examinant, imò sæpe apti non sunt examinare, an sit practicè probabilis. Dixi: *In AA. hujus ætatis*: nam multæ opiniones, ante hac probabiles, nunc amiserunt probabilitatem: de hoc autem monebunt, qui hâc ætate, & post damnationes Pontificum scripserunt. Vide La Croix n. 136. & 201.

94. *Adhuc difficiliùs invenitur major probabilitas.* Resp. 2dò. Judicare de majore probabilitate, paucorum, & adhuc difficilius est. Nam quotusquisque est, qui, nisi sit admodum doctus, & in materia morali versatissimus, ità noverit expendere rationes pro & contra, ut judicet, quæ saltem notabiliter præponderent, faciantque sententiam intrinsecè probabiliorem? Quis ità perspicit Auctorum sinceritatem, perspicacitatem, studium, &c. ut hos illis præferre prudenter possit. Edocti in schola S. Thomæ suam, edocti in schola Scoti, oppositam censent probabiliorem, aliter opinaturi, si hi in schola S. Thomæ, illi in schola Scoti fuissent. Ex aliis alii Scoto, alii S. Thomæ accedunt: quid autem re ipsâ probabilius sit, pauci, & non nisi valde docti dijudicare possunt. Verum est, quòd ea sit probabilior censenda, pro qua est ratio potior, & authoritas; sed hoc sæpe non constat.

Nec juvat, quòd pro una sententia sint fortè plures AA. Nam pluralitas præcisè nec extrinsecè facit probabiliorem: quia pauciores v. g. 10. sæpe plus momenti addunt, quàm 50. non æquè graves, qui unius vel alterius tantùm sequuntur authoritatem. Hinc qui sine

affectu particulari ad certam scholam, & sine passione sententias examinârunt, præferendi sunt iis, qui pro certa schola æmulantur, aut ex statuto ordinis debent sententiam aliquam docere: hi enim liberè suam sententiam dicere non audent, aut, jam præoccupati, oppositam non rectè examinant, contenti, si hujus argumentis utcunque possint respondere.

Resp. 3. An opinio sit probabilis adhuc, colligitur ex his. 1mò. Probabilis censeri debet, quæ de facto viget inter AA. passim, & ab Ecclesia toleratur. 2. Quæ scitur esse communis Theologorum, vel adhuc hodiedum doceri à Divi Thomæ, vel Scoti discipulis, tanquam practicè probabilis, nisi ratio certa esset in contrarium. 3. Quæ passim ab omnibus dicitur probabilis; etsi fortè aliqui, qui ejus fundamenta non examinaverunt, eam dicant falsam. Non sufficit tamen, quòd reperiatur in aliquo Auctore etiam moderno, nisi esset omni exceptione major, in eaque materia, ab aliis non examinata, asserat gravem rationem, quæ aliunde non elidatur. 4. Quæ infertur ex duabus præmissis certis, vel certò probabilibus simul verificabilibus. 5. Rudi in materiis obviis, non tamen in difficilioribus, v. g. de testamentis, opinionem probabilem facit judicium sui Pastoris, qui habetur suo muneri aptus. Item infirmo judicium Medici, dicentis, comedendam esse carnem pro recuperanda sanitate. 6. Si opinio sit in controversia de revelatis; illa censenda est probabilior, pro qua potiùs stat revelatio. Si sit in materia juris positivi; illa probabilior est, cui magis favent leges, & consuetudo loci, optima legum interpres, quæ vim habet legem

93. *Signa, ex quibus colligitur adhuc vigens probabilitas.*

priorem abrogandi, & novam introducendi : si sit in materia conscientiæ, plus Theologis : si in materia juris, plus jurisperitis est, cæteris paribus, credendum, quia hi in hac, illi in illa magis censentur versati.

QUÆSTIO III.

An aliquando sit obligatio in concursu probabilium opinionum sequendi tutiorem, etsi minùs probabilem, relictâ minùs tutâ, etiam probabiliore?

96. *Sequenda est quandoque tutior opinio.* Resp. 1mò. Est obligatio sequendi opinionem probabilem tutiorem, relictâ probabiliore minus tutâ, quando probabilis, vel probabilior non removet periculum non obtinendi finem intentum, ad quem quis tenetur, seu ex charitate, seu ex justitia, vel religione, aliâve virtute. Uti, quando agitur de valore actûs, quem procurare : vel de damno temporali, vel spirituali, quod vitare quis tenetur. *Ratio est*; quia talis committit se periculo non obtinendi, ad quod procurandum tenetur, adeoque violandi legem certam, quæ pergit urgere. Unde opinio, etsi probabilior, in tali casu non est practicè probabilis, adeoque non fundat conscientiam certam de licentia actionis; sed eam sequens imprudenter agit. Sicut imprudenter ageret, qui relictâ tutâ viâ iniret viam, quam sciret à latronibus quandoque infestam : vel qui relictâ medicinâ æquè facilè parabili, certo sanaturâ, eligeret aliam, dubiè aut minùs probabiliter sanaturam : quia probabilis minùs tuta, si re ipsâ falsa sit, non confert, quod

quod intenditur. Idem dic de probabilissima minùs tuta, si non sit moraliter certa. Ex his resolves

1mò. In iis, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem, opinio tutior est eligenda. Ut, si tibi Baptismus collatus esset tantùm probabiliter validus, repetendus esset sub conditione, quia probabilitas, si falsa fuit, valorem non contulit. 79. *Ac 1. in necessariis necessitate medii ad salutem.*

2. Qui probabiliùs judicat, in dumeto latere feram, dubitans, an non sit homo; peccat ejaculando in feram: quia charitas & Justitia obligat ad cavendum occisionis periculum, & probabilitas illud non elidit. Non esset tamen homicidium externum, si fera latuisset.

3. Medicus & Chirurgus tenentur ad medicamenta & media tutiora, quæ hîc & nunc moraliter haberi possunt, & ad quæ tenetur infirmus, vel vult adhibere, pro restituenda sanitate, quia tacito contractu se ad id obligârunt, ut sanitatem modo, quo humanâ diligentiâ possunt, meliore, procurent. Similiter Advocatus tenetur ad viam tutiorem pro obtinenda victoria. Et idem est de aliis, qui ad proximi bonum procurandum se obligârunt. Imò, qui ex officio se non obligavit, tenetur sequi tutiorem suam, vel alienam, si sequendo minùs tutam, se, vel proximum committat periculo gravis damni, quando ipse, sequendo tutiorem, non nisi exiguum incommodum, vel damnum incurreret. 2. *A medico & Advocato.*

4. Minister Sacramenti, ubi de ejus valore agitur, & defectus ab Ecclesia non suppletur, tenetur, per se loquendo, sequi tutiorem probabilem, si in praxin moraliter deduci possit, relictâ minùs tutâ probabili: quia aliàs expo- 3. *A ministro Sacramenti, ubi de valore agitur.*

 nit

nit Sacramentum periculo nullitatis, & proximum gravis damni spiritualis. Unde peccat non tantùm contra charitatem; sed etiam contra Justitiam, saltem, si ex officio tenetur administrare Sacramentum: imò, etsi officium id non exigat; quia hoc ipso, quòd in se suscipiat Sacramenti administrationem, se obligat ad id validè, quoad potest, ministrandum. 2dò. Secundùm Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 2. & tom. 4. disp. 26. s. 6. n. 5. & alios nunc communiùs contra Vasq. Sanch. Pont. Salas. Busenbaum peccat etiam contra Religionem. Quia, sicut peccat non tantùm, qui legem certò existentem violat, sed etiam, qui periculo proximo se exponit, illam ex omni parte certam violandi; sic peccat contra religionem non solùm, qui Sacramentum invalidè administrat; sed etiam, qui se illud invalidè administrandi periculo exponit: certum enim est, quòd Sacramentum sit validè administrandum, idque is velit administrare, adeoque lex, illud ritè administrandi, possidet. Videtur hoc colligi ex damnata ordine 1ma ab Innoc. XI. quæ sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, vel conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Nam videtur reprobari, non alio ex capite illicitum esse, nisi id vetet lex positiva, conventio aut periculum gravis damni. Nisi velis dicere, damnari propositionem ob malam illationem: dicit enim: Licet sequi, &c. nisi vetet lex, vel conventio, aut grave dampum incurrendi adsit periculum;
ergo

ergo tantùm non licet in collatione Baptismi, collatione Ordinis, &c. quod non sequitur, ùt expendenti alia Sacramenta patet. Vide Analysin n. 41. Porro ratio à priori est, quia est gravis irreverentia in Christum, qui Sacramenta instituit eò fine, ut, dum ponuntur eorum constitutiva, causarent gratiam. Quo fine frustratur Christus, si administretur invalidè. Sed quidquid sit de hoc, Ecclesia ex motivo Religionis nunc prohibet, Sacramenta exponere periculo nullitatis, ubi ejus valori consuli moraliter potest. Unde communissimè inferunt AA. quòd contra Religionem peccet etiam suscipiens Sacramentum, sequendo sententiam probabilem minùs tutam de valore, relictâ tutiore; quia exponit Sacramentum periculo nullitatis: & quamvis propositionis damnatio non loquatur explicitè de suscipiente; legitimè tamen infertur ex damnata, quòd ei non liceat sic procedere. Unde oppositum est virtualiter damnatum: nam committeret irreverentiam in Christum, qui voluit, per Sacramenta causari gratiam, quâ carere non potest velle suscipiens sine injuria Christi. La Croix l. 6. p. 1. n. 104. *Et à suscipiente illud.*

Dixi 1mò: *Tenetur minister, per se loquendo.* Nam, quando tutior omnino in praxin deduci non potest, urgetque necessitas, Sacramentum conferendi, licet usus minùs tutæ: utì, si infans esset moriturus sine Baptismo, & materia haberi non posset, nisi dubia, v. g. aqua rosacea; esset in ea baptizandus sub conditione, ut modo, quo posset, consuleretur saluti animæ, ob quam instituta sunt Sacramenta. Neque tunc committeretur irreverentia, quia, ubi est necessitas, conditio v. g. *Si hæc mate-* 98. *Quando tutior non potest in praxin deduci, sequēda quandoque minùs tuta*

ria est sufficiens, tollit irreverentiam; nam suavis Dei providentia tunc exigit, consuli saluti.

Dixi 2dò: *Ubi agitur de valore Sacramenti*; ubi enim de hoc non agitur; sicut in aliis, sic in materia Sacramentorum licet usus sententiæ minùs tutæ, v.g non confiteri circumstantias intra eandem speciem solùm aggravantes.

Dixi 3. *Et defectus ab Ecclesia non suppletur*: si enim hæc defectum suppleat, v.g. in dubio conferendo jurisdictionem, aut tollendo impedimentum juris v.g. Matrimonii, licitè & validè proceditur.

Dixi 4. *Tenetur sequi tutiorem probabilem, relictâ minùs tutâ probabili*, quia, si minùs tuta sit moraliter certa, licitus ejus usus est, relictâ tutiore, saltem ex causa rationabili, quia tunc non relinquitur prudens timor periculi nullitatis. Neque plus Christus requisivit, quàm ut prudenter procedamus. Rectè autem ait S.Thomas 2.2. q.47. a.9. ad 2. *Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundùm proprium modum: quia verò in materia prudentiæ sunt singularia contingentia, circa quæ sunt operationes humanæ; non potest certitudo prudentiæ tanta esse, quòd omnino sollicitudo tollatur.* Quòd si tamen deesset rationabilis causa, imprudenter ageret, omittendo tutiora. Inter rationabiles causas numerari potest magna utilitas proximi, nimia molestia ministri, &c.

Dixi 5. *Si in praxin deduci moraliter possit*; quia noluit nos Christus in usu, & administratione Sacramentorum obligare ad moraliter impossibilia. Hinc licitè absolvit Confessa-

fessarius pœnitentes, etsi plerumque non habeat, nisi judicium probabile de ejus dispositione; nam ordinariè certitudinem majorem habere non potest, sique plus requireretur, Sacramentum Pœnitentiæ fieret odiosum Confessario, & pœnitenti, exponeremurque innumeris anxietatibus. Unde nulla etiam fit irreverentia, sed reverentiæ ejus consulitur. Non oportet, inquit S. Thomas 1. 2. q. 91. a. 3. ad 3. *Quòd omnis mensura sit omnino infallibilis, & certa; sed secundùm quod est possibile in genere suo.*

QUÆSTIO IV.

An etiam, quando à veritate opinionis probabilis non pendet consecutio finis, cujus procurandi est obligatio, sed de sola licentia actionis in aliis materiis agitur; teneamur sequi ex opinionibus tutiorem, relictâ etiam probabiliore minùs tutâ?

Resp. Quando de sola licentia actionis agitur, non tenemur sequi tutiorem, sed licitè operamur secundùm probabiliorem. Est communissima, & certa contra Jansenistas, & eorum sequaces, quorum aliqui id negant, quia operans exponeret se periculo agendi contra legem: alii autem tenuerunt, ignorantiam legis naturalis non excusare à peccato, eò quòd sit voluntaria in Adamo. *Ratio* autem nostra est. 99. *Non tenemur semper ad tutiora.*

1. Quia, quando est minùs probabilis pro existentia legis, lex est incerta, & non satis promulgata: lex autem incerta non obligat: legibus enim incertis obligari esset onus intolerabile

naturæ humanæ, hanc objiciens anxietatibus innumeris.

2. Omnis lex debet esse in bonum communitatis: lex obligans in omnibus ad tutiora non esset in bonum communitatis; quia plus mali afferret, quàm ejus negatio, peccatis formalibus passim exponendo. Unde sapienter dixit Pallav. 1. 2. d. 9. q. 4. a. 2. num. 12. *Lex, per quam juberemur, omnia facere optima, esset pessima, & intolerabilis, ac perpetua causa peccati, & damnationis.*

3. Sequendo probabiliorem minùs tutam prudenter operamur: Deus autem à nobis plus non exigit.

4. Fundamenta oppositæ sententiæ nulla sunt. Nam 1. Non est obligatio, vitandi periculum peccati materialis, ubi est ratio prudens, peccatum materiale non committi, aliàs non liceret sequi sententiam inter probabiles probabilissimam, consequens autem est falsum: nam Alexander VIII. damnavit hanc n. 3tiam: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Cujus damnatio intelligi debet de probabilissima minùs tuta, nam aliàs damnatio esset inutilis: nemo enim docuit, nec cui in mentem venit, non licere sequi probabilissimam tutiorem. *Ratio à priori* est, quia per sequelam minùs tutæ probabilioris, relictâ minùs probabili tutiore, Deus non inhonoratur, sed operans agit ex prudentia, exigit autem sapiens Dei, suavísque, & infirmitati humanæ accommodata providentia, ut plus ab homine non exigat, ne sit jugum Dei nimis grave, & homo succumbat, milleque anxietatibus & periculis expositus, deviet à fine, ad quem creatus est. Dein ignorantia inculpabilis legis naturalis certò excusat à peccato: nam

Alexan-

Alexander VIII. damnavit hanc 2dam: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ: hæc in statu naturæ lapsæ non excusat à peccato formali operantem ex ipsa.*

Ratio est 5tò. Si vera non esset responsio nostra, errâssent 1mò Pontifices: Nam Pius V. Matrimonia rata quinque, Greg. XIII. undecim dissolvit; & tamen opposita sententia Scoti, Bonav. Palud. & aliorum, negans id posse Pontificem, probabilis & tutior erat. Honorius II. Alex. V. Clemens XI. dispensârunt in votis solennibus, & tamen probabilis tutior negabat, id posse Pontificem, Benedictus XI. dispensavit, ut Casimirus Monachus professus, & Diaconus Matrimonium iniret; & tamen D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 11. O. negat, id posse Pontificem. Cùm ex infidelibus, in India ad fidem Catholicam conversis, varii habuissent plures simul uxores, dubitaréntque Missionarii, an obligandi essent ad permanendum cum prima, aliis dimissis; eo quod sic contraxissent, ut dubium esset de valore, P. Joannes de Lugo Postea Cardinalis, interrogavit Urbanum VIII. quid respondendum, esset respondit Pontifex, ut, ubi Doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequerentur opiniones pro conditione locorum, & hominum barbaris favorabiliores, ac sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Ita refert P. Nicolaus del Tescho in Historia Paraquariæ L. 10. cap. 15. Idem respondit Alexander VII. teste La Croix de Matrim. n. 42. 2dò. Errâssent PP. & DD. qui sententias, minùs tutas materialiter, tradunt tanquam tutas in praxi: & nominatim S. August. ùt videre est apud Moyam de opinione probabili q. 5. §. 3. & Cardenam in 1. Crisi d.

66. n. 578. Ubi refert 300. Propositiones D. Thomæ minùs tutas. 3. Errâssent SS. PP. & Fundatores Ordinum, qui volunt, subditum obedire Superiori contra suam opinionem, tutiorem materialiter, ubi manifestum non apparet peccatum. An hos Sanctos, & doctos non licet sequi? An non hoc est involvere totum genus humanum innumeris periculis & anxietatibus? Hic Tutiorismus eodem patre natus est, quo Jansenismus, eò tendente, ut Sacramenta abolerentur, & homines, oneri succumbentes, discederent à Deo. Vide dicenda Quæst. sequenti.

Ratio est 6tò. Ex probabiliore, minùs tutâ, potest formari dictamen certum de licentia actionis, hoc modo: Quòd, consideratis omnibus, prudenter, aut etiam probabiliùs judico, hîc & nunc mihi licere, hoc licitè facio; atqui hîc & nunc probabilius judico, mihi licere, v. g. hunc contractum; ergo eum licitè facio. Per consequens licitè sequor probabiliorem, materialiter minùs tutam.

100. *1mum fundamentum adversæ partis.* *Dices* 1. Tenemur, quoad possumus, nos accommodare mandatis Dei, ergo tenemur sequi tutiora. Resp. Tenemur, quoad possumus, nos accommodare mandatis Dei, quæ existere nobis constat, Conc. Quæ existere nobis non constat Subdist. Tenemur, quoad possumus, humanâ diligentiâ ea investigare, Conc. Ea sequi semper, ubi dubia eorum manet existentia, Neg. Deum decet, nobis infirmis famulis suis non imponere onus importabile, ne deficiamus, & ad finem nostrum plerique omnes non perveniamus. Quod fieret, si obligaret ad tutiora in omnibus, atque ita innumeris peccatis formalibus offenderetur.

Dices

Dices 2. Reverentia Sacramenti exigit, ut, 1018.
ubi de valore ejus agitur, ſequamur probabilem *2dum*
tutiorem, relictâ etiam probabiliore minùs tu- *funda-*
tâ; ergo etiam reverentia erga legislatorem ſu- *mentum*
premum exigit, ut, ubi probabile eſt, legem ejus exiſtere, ſequamur tutiorem. Reſp. 1. Reverentia Sacramenti exigit, ut ſequamur probabilem tutiorem de ejus valore, relictâ etiam probabiliſſimâ inter probabiles; ergo reverentia erga ſupremum legislatorem exigit, ut id faciamus in aliis materiis omnibus; ergo non licet ſequi inter probabiles probabiliſſimam. Hoc autem damnatum eſt. Conſultius & perfectius eſt ſecundùm ſe ſequi tutiora: aſt ad id obligari periculoſiſſimum, & intolerabile eſt; ergo ad id lex non datur. Dixi: *Secundùm ſe*: nam ſæpe non expedit ſequi tutius, v. g. dum pœnitens probabiliter eſt diſpoſitus, tutius foret pro valore differre abſolutionem, donec conſtaret de ejus diſpoſitione, & tamen ſæpe id nec expedit, nec licet. Reſp. 2. Tranſeat Antec. Quia id non ſemper exigit, Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quia, quando probabile eſt, legem non dari; lex non eſt ſufficienter promulgata ſeu propoſita: lex autem conſulendi valori Sacramenti, quoad fieri moraliter poteſt, eſt certa, adeoque in poſſeſſione. Nam 1. Eſt lex Eccleſiæ, dein lex naturalis: recta enim ratio dictat, Chriſto Domino, velut Auctori gratiæ, & Miniſtro Sacramentorum principali, deberi ſpecialem reverentiam, eumque, velut operantem, inducendum non eſſe ſine neceſſitate, dum fortè non operatur, cùm opinio probabilis, ſi falſa ſit, de valore, hunc non conferat. Neque lex illa ità difficilis eſt, multò minùs moraliter obſervatu impoſſibilis, ùt foret lex, ſemper tutius ſequendi.

Imò non est ratio exponendi Sacramentum periculo nullitatis extra casum necessitatis, aut nimiæ difficultatis; est autem ratio, non sequendi semper tutiora, ne nimiis anxietatibus implicemur & incommodis. Unde patet, quòd lex naturalis jubeat, per se loquendo, sequi probabilem de valore Sacramenti tutiorem; sicut dictat in casu, quo Hostia probabiliter judicaretur consecrata, & probabile foret, non esse consecratam; non esse tractandam, velut non consecratam.

Inst. Lex, Deo exhibendi reverentiam in omnibus, etiam est in possessione; ergo lex jubens obsequi, dum probabilis est ratio, dari legem Dei, prohibentem v. g. certum contractum, est in possessione. Resp. Dist. Antec. Ubi constat de lege Dei, Conc. Ubi de ea non constat, Neg. Ant. & in Consequente Suppositum, quòd Deus jubeat obsequi, dum lex est dubia: est enim onus impar humanis viribus, semper conari ad tutissima, multò magis ad ea obligari.

Dices 3. Cap. 12. *De Homicidiis* Et Cap. 5. *De Clerico excommunicato* dicitur: In dubio semitam eligere debemus tutiorem; ergo. Resp. Quando ex sequela minùs tutæ sequitur incommodum, Conc. Secus, N. Ant. & Cons.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

An, quando de sola licentia actionis agitur, liceat sequi opinionem solidè, certòque, attamen solùm æquè, aut etiam minùs directè probabilem, materialiterque minùs tutam, relictâ æquè, aut magis probabili materialiter tutiore?

Certum est, nisi aliud obstet, prudentiùs agere, qui sequitur sententiam faventem legi, etsi minùs probabilem. Controvertitur, an, quando occurrunt probabiles duæ opiniones, quarum una favet libertati, statque pro licentia, vel honestate actionis, vel omissionis, adeoque est materialiter minùs tuta: altera autem aut æquè, vel magis probabilis stat pro lege & actionis inhonestate, liceat sequi faventem libertati, minùs directè probabilem, materialiterque minùs tutam? v. g. si tibi probabilius sit, contractum census personalis esse illicitum; attamen etiam certò probabile, esse licitum; an possis licitè contractum illum inire? Aut si tibi probabilius sit, circumstantias peccatorum intra eandem speciem solùm aggravantes esse confitendas, & etiam verè probabile, sed minùs tamen, non necessariò esse confitendas; licitè possis eas omittere: vel, quod idem est, an reflectendo super minus probabilem, minusque tutam, possis in tali casu formare dictamen conscientiæ certum, quo dirigente licitè procedas? Affirmant communissimè AA. classici, qui sua typis dederunt, partim contra Tutioristas, partim contra alios varios, qui in vias diversas abeunt,

Status quæstionis.

eunt, & plerique non oppugnant communem sententiam; sed alienam sibi propositam, utunturque argumentis exigui momenti, quæ & ipsi solvere debent fere omnia. Contra quos

102. *Per se licet.* Resp. Per se loquendo licet, ubi de sola honestate actionis agitur, sequi sententiam simpliciter certò solidè probabilem, materialiter minùs tutam, relictâ æquè, aut etiam magis probabili tutiore.

Probatur 1mò. Quando contra legis existentiam, v. g. de non pingendo die Dominico, sunt rationes certò practicè, etsi minùs, probabiles, illa non obligat; ergo licet tunc sequi opinionem minùs probabilem, minùsque materialiter tutam. Consequentia patet. Ant. probatur. Quando contra legis existentiam stant tales rationes, lex est incerta, ùt patet; atqui lex incerta non obligat, ut habet communissima, paterque in exemplis. Nam 1. Si tibi probabile sit, rem, quam bonâ fide possides esse tuam; etsi probabilius non sit tua, licitè eam retines. 2. Si conjugi probabile sit, se esse potentem ad usum conjugii, licitè utitur jure suo ad triennium, ùt constat ex jure cap. *Laudabilem*; & tamen sub finem triennii, si sine successu copula fuerit tentata, probabilius est, illum laborare impotentia, illique tactus copulamque esse illicitam materialiter. Quis enim neget, si Medicus decies in eodem morbo eandem sine effectu medicinam adhibuerit, illi probabilius esse, eam medicinam vim non habere pellendi illum morbum? 3. Si quis sub Rege sacrilego militet, potest juxta S. August. contra Faustum c. 75. illo jubente bellare, si quod jubetur, vel non esse contra præceptum Dei, certum est, vel utrum sit, certum

1. Quia lex incerta non obligat.

non

non est. *Confirm.* Secundùm Adversf. quando probabilior est favens libertati, lex probabiliter existens non obligat, quia est incerta, ergo nec obligat, quando ratio verè probabilis est pro non existentia legis, quia est incerta. Ex his exsurgit hoc certum conscientiæ dictamen: Lex incerta, certò non obligat; atqui lex v. g. de hìc & nunc non pingendo est incerta, ergo. Major constat ex dictis, minor est experimentaliter certa.

Si dicant. Adversf. Quando stat major probabilitas pro legis existentia; lex est satis promulgata, estque pro ea moralis certitudo. Contra est 1. Certitudo in una parte non stat cum ratione probabili prudenti pro parte opposita. Contra est 2. Ergo, quando probabilius est, id, quod superior mihi præcipit, esse illicitum, non potero obedire. 3. Quando solùm probabilius est, Sacramentum valere in certa materia, poterit ex ea id confici, etsi opposita opinio sit probabilis, quia Christus non requisivit, nisi moralem certitudinem. 4. Quando probabilius est, rem à Titio possessam esse meam, potero, si aliâ viâ nequeam recipere, clam illi ipsam subducere, quia adest moralis certitudo, & lex mihi favens est satis promulgata. 5. Quando probabilius est, crimen proximi esse publicum, potero illud ulterius divulgare, quia de lege favente meæ libertati satis moraliter certò constat. Quæ omnia sustineri non possunt.

Probatur 2. Qui operatur cum ignorantia invincibili legis, ductus ratione prudenti, licitè operatur: quia ignorantia invincibilis certò excusat à peccato, & operans ex prudenti ratione argui non potest peccati; alias pruden- *2. Quia ex ratione prudenti agitur*

cum ignorantia invincibili legis. ter & non prudenter operaretur ; atqui qui sequitur verè, licet minùs, probabilem, operatur cum ignorantia legis invincibili, ductus ratione prudenti : nam ignorantia, quam hactenus viri doctissimi superare non potuerunt, est certò invincibilis, & ratio probabilis est prudens ; aliàs probabilis non esset ; sed posset viro prudenti eam sequenti imputari ad culpam. *Confirm.* Per adversarios excusatur per ignorantiam, qui putat, probabilius esse, & docet, quòd liceat sequi minùs probabilem, minusque tutam ; ergo, &, qui eam sequitur, præsertim si ei per motiva reflexa fiat probabilior.

3. *Non datur lex id vetans.* *Probatur* 3. Non datur lex prohibens usum sententiæ verè, practicè certò, etsi minùs probabilis, minusque tutæ ; ergo licet eam sequi. *Cons. constat. Ant. probatur.* Si lex illa daretur, esset naturalis, & generalissima, utpote orta ex primis principiis moralibus de bono faciendo, & malo vitando, & dirigens plerasque actiones nostras; atqui talis lex non datur : ergo. *Minor probatur.* Nam 1mò. Talis lex non deberet latere, aliàs natura rationalis deficeret in principio necessario universalissimo, Deusque naturæ non satis providisset ; atqui lex illa latet plerosque doctissimos, idque post longum sincerumque examen, illorumque eam negantium sententia practicatur à conscientiæ arbitris, & fidelibus passim, qui censent, rectè se procedere sequendo sententiam practicè probabilem. 2. Lex debet esse accommodata viribus humanæ naturæ, & in bonum ejus : atqui talis non esset lex illa ; sed innumeris peccatis formalibus exponeret homines passim : Pauci enim sunt apti examinare, quæ sententiæ sint probabiliores, maximè cum notabili excessu, quem tamen adversarii ad minùs

nùs tutæ uſum licitum requirunt : conſequenter paſſim in negotiis, in contractibus, in directione propriæ, & alienæ conſcientiæ eſſet obligatio ſequendi tutiores ſententias ; quia quando minùs tuta non eſt probabilior, ſequenda tutior. Atque ità onus viribus humanis intolerabile imponeretur. Neque quiſquam munus Confeſſarii ſubire poſſet, niſi ità verſatus in Theologia Morali, ut ſciat diſtinguere inter opiniones probabiliores, & minùs probabiles : neque ſuperiores, niſi talem, poſſent aut ad curam animarum promovere, aut pro confeſſionibus excipiendis examinandum mittere ; quia onus faciendi includit onus ſciendi. Hinc omnes docent peccare mortaliter, qui ſuſcipit officium Judicis, ſcientiâ ſufficienti non inſtructus. Jam vero quotuſquiſque eſt talis ? Paucos eſt reperire, qui ſe inſpicientes auſint cum veritate tales ſe reputare, aut dicere. Neque enim ſine dubitatione poteſt quis dicere ſententiam probabiliorem, quòd eam ſit doctus, quòd inveniat in libris : nam alii fortè doctiores tenent oppoſitam, ùt probabiliorem. An non ergo plerique meritò formidare poſſunt in pleriſque, ne oppoſita ſit probabilior, minùſque tutæ uſus ſit illicitus. Hoc minimè probandum, quòd Adverſarii non pauci obligent ad ſequelam probabilioris, & in ſuis libris vix oſtendunt ſolidè, quid ſit magìs probabile : ſatis ſe feciſſe putant, ſi dicant : hoc eſt probabile, multi docent hoc, multi oppoſitum. Legatur Taberna, Gabriel Antoine, & alii.

Probatur Concluſio 4. Non rarò eſt obligatio ſequendi minùs directè probabilem, & materialiter minùs tutam, ergo licet eam ſequi. *Conſ. patet. Ant. probatur* : nam 1. ſubditus

4. **Sæpe ad id eſt obligatio.**

tenetur obſequi ſuperiori jubenti, quod ipſi probabilius eſt illicitum; quia juxta SS. PP. & Ordinum Fundatores ſubditus tenetur ſuperiori obedire, in quibus non eſt manifeſtum peccatum. 2. Conjux cui probabilius eſt, ſuum matrimonium bonâ fide initum eſſe invalidum, ſi adhibitâ diligentiâ manet probabiliùs invalidum, tenetur conjugi petenti reddere debitum. 3. Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem, qui ſpectantem ad actiones ſuas vult ſequi ſibi probabiliorem, vel probabilem, licet Confeſſario ſit minùs probabilis; quia pœnitens, ùt ſuppono, eſt diſpoſitus, juſque habet ad abſolutionem, & Confeſſarius non eſt ejus ſuperior, niſi quoad peccata confeſſa, nec debet velle ſolus ſapere. 4. Quando ex uſu minùs probabilis, minuſque materialiter tutæ, relictâ probabiliore, pendet ſalus proximi, aut grave ejus detrimentum avertendum, aut animæ ejus directio in anxietatibus & ſcrupulis id exigit; eſt obligatio ſequendi minùs, certò tamen practicè probabilem.

5. Quia licet ſequi ſententiam ſpectatis omnibus probabiliorem.

Probatur 5. Licitè quis ſequitur ſententiam, quæ ſpectatis omnibus eſt illi longè probabilior, atqui ſententia aſſerens, licere ſequi opinionem ſimpliciter, certòque practicè probabilem, etſi minùs tutam, minuſque, quàm oppoſita, probabilem, eſt ſpectatis omnibus, nempe fundamentis directis, & reflexis longè probabilior; ergo licet eam ſequi. *Major* cum fundamento negari non poteſt: ſi enim fatentibus adverſariis, licet ſequi minùs tutam, directè probabiliorem; ſi accedente præcepto ſuperioris, vel proximi neceſſitate, minùs probabilis fiat indirectè, & reflexè probabilior, imò practicè certa, ùt fatentur omnes; non eſt

ratio,

ratio, cur non liceat sequi spectatis omnibus principiis probabiliorem. Id quod patebit ex dicendis n. 108. *Minor* constat ex rationibus jam allatis, & constabit magis ex responsis ad argumenta partis adversæ. Unde jam volens operari juxta minùs, certò tamen practicè probabilem, minusque materialiter tutam; certum conscientiæ dictamen, quo licitè operetur, formare poterit hoc modo: Quòd, spectatis omnibus probabiliùs judico, mihi hìc & nunc licere, hoc hìc & nunc licitè facio; atqui spectatis omnibus probabilius judico, hìc & nunc mihi licere, v. g. hunc contractum (pono eum probabiliùs esse secundùm se & directè illicitum) ergo eum licitè facio. Ubi major est certa, & minor experimentaliter evidens ob rationes allatas; conclusio quoque certa & evidens. Unde patet, quòd sic operans sequatur judicium suum certum de operationis licentia.

Dixi in conclusione 1mò. *per se loquendo*: 103.
Nam 1mò. Non potest licitè sequi minùs probabilem, imò nec probabiliorem minùs tutam, qui judicaret id illicitum esse. 2. Qui ad sequendam probabiliorem ex officio, vel tacito contractu, aut aliunde tenetur. Hinc, ùt dixi, Medicus tenetur, per se loquendo, adhibere medicamenta certò, aut, si hæc desint, probabiliùs profutura: si hæc non haberentur, aut infirmus non posset, aut nollet ea, quia pretiosa sunt, solvere; adhibenda essent probabiliter profutura, modò non sint certò plus obfutura.

Medicus tenetur sequi tutiorem, & probabiliorem.

Similiter Judex in causis merè civilibus tenetur judicare secundùm sibi probabiliorem: si autem argumenta utriusque partis sint æqualia, tunc debet regulariter rem dividere, aut, si

Judex quoque probabiliorem

in civilibus. si indivisibilis est, jubere, ut sortem mittant, aut conveniant, quis rem habeat, & alteri præstet proportionatam compensationem. *Ratio est*, quia Judex suscipiendo officium se obligavit (sic exigente bono communi, ne acceptio personarum locum habeat, ipseque pro suo affectu uni præ altera faveat, cum magna confusione reipublicæ) ad ferendam sententiam secundùm merita causæ, eoque fine litigantes, de jure suo dubii, se illi subjiciunt. Proinde ubi pro una parte est jus potius, & major probabilitas, huic (jure sic statuente, & æquitate naturali, cùm res tantùm ad unum pertineat, sic postulante, ut omnes in hoc consentiant) debet adjudicare rem totam; si verò jura sint paria, res dividenda aut uni compensanda est.

Nisi causa sit favorabilis. Excipe, nisi causa controversa sit favorabilis, ùt Matrimonium, dos, libertas, possessio, res pupilli, peregrini, causæ piæ, viduæ: his enim leges in pari probabilitate favent præ altero. Imò sunt, qui pro his casibus tenent, obligari Judicem ad ferendam sententiam juxta verè, etsi minùs probabilem. Vide La Croix n. 460.

In criminalibus tenetur sequi faventem Reo etsi minùs probabilem. Signanter addidi: *In causis merè civilibus.* Quia ubi agitur de pœna mortis, vel gravi corporali, tenetur sequi etiam minùs probabilem in favorem Rei: Ratio enim naturalis dictat, neminem vitâ privandum, aut gravi pœnâ corporis plectendum esse, ubi ratio prudens suadet innocentem esse. Unde leges in ejusmodi requirunt probationes luce meridianâ clariores. Cod. *de probationibus* L. *Sciant.* Et juxta regulam juris 49. in 6. *In pœnis semper benignior interpretatio facienda.* Ex his deduco sequentia:

imò.

1mò. Si nulla pars litigantium possideat rem, debet Judex judicare secundùm intrinsecè probabiliorem, etsi pro altera parte esset extrinsecè probabilior : quia fundamenta intrinseca prævalent authoritati. 104. *Quomodo se habere debeat Judex in sententia ferenda?*

2dò. Si una possideat, & possessionem legitimam plenè probaverit, pro ea judicandum est, etsi stet pro altera parte major probabilitas de proprietate : quia possessio legitima, plenè probata, certum jus tribuit : Nec juvat, quòd tunc Judex possit judicare rem esse non possidentis ; quia, licet hoc possit judicare judicio speculativo, non tamen practico, dictante, licere illi rem adjudicare. Unde non valet hic discursus : Quòd prudenter judico, esse v. g. Titii, hoc licitè illi adjudico : atqui, ergo. Sicut nec hic : Quando prudenter judico Sacramentum esse validum, licitè id confero : atqui, ergo. Major enim utraque falsa est.

3tiò. Si judici certum sit ex principiis intrinsecis, rem esse non possidentis, huic adjudicanda est : quia contra certitudinem nulla valet possessio, nisi res esset præscripta.

4tò. Si possessor non probet plenè legitimam possessionem, judicandum est secundùm probabiliorem de proprietate : quia possessio non probata, si articulus possessionis simul & proprietatis versetur in judicio, non attenditur. Vide La Croix l. 4. n. 1480. Aliud est de Advocato : hic enim, licet teneatur viam probabiliorem, ùt supra monui, inire pro victoria, potest tamen sui Clientis partem sibi minùs probabilem tueri, de qua tamen debet Clientem monere : quia sicut potest Cliens suas rationes proponere Judici per se, & rem illi judicandam relinquere, sic potest & per Advocatum. Qui

tamen fidelis esse debet, & rem agere uti suam. Excipe nisi abesset spes victoriæ.

105. Dixi in Conclusione 2dò: *Simpliciter, & certò probabilem.* Nam 1mò. Non licet sequi tenuiter tantùm, vel dubiè probabilem: quia non adest fundamentum prudens judicandi, operationem esse licitam, adeoque procederetur cum dubio practico. Nisi tamen necessitas præberet fundamentum prudens: uti si infanti periclitanti non posset conferri Baptismus, nisi in materia dubia.

Non licet sequi tenuiter vel dubiè probabilem, nec tantùm probabiliter probabilem.

2. Nec licet sequi tantùm probabiliter probabilem, nisi fortè in casu salutis periclitantis. *Ratio est*, quia licet quis ex fundamento prudenti judicaret, esse probabilem; adhuc tamen adesset prudens formido, ne prudens fundamentum desit pro licentia actionis, adeoque se exponeret periculo non rectè formandi dictamen certum: adest enim ratio, de eo dubitandi. Sicut, si rudis consuleret Theologum, de cujus sinceritate, vel peritia meritò dubitaret. Secus ac, si ratio prudentis dubii non esset.

3. Non licet sequi sententiam aliis probabilem, quam quis actu absolutè judicat esse falsam: quia absolutè actu judicans, illicitum esse, v. g. die Dominico pingere: vel falsum esse, quòd liceat; habet conscientiam peccati circa præsens exercitium pingendi, firmiorem, quàm qui cum dubio practico operatur, adeoque operando agit contra conscientiam. Ex eo enim judicio oritur hoc dictamen: operor contra conscientiam; ergo pecco. Unde ut quis licitè sequatur sententiam alienam, debet eam priùs facere objectivè suam, id est, judicare esse probabiliter veram; vel objectum

ejus

ejus esse probabiliter licitum. Hoc si faciat, poterit formare judicium reflexum de licentia operationis certum, etsi judicet esse probabiliter illicitum : quia hoc judicium est merè speculativum, & circa legem incertam, quæ non obligat ; Proinde non obest conscientiæ certæ, ùt fateri debent omnes in eo, qui sequitur probabiliorem minùs tutam, & oppositam judicat probabilem. Rectè notat Esparsa, raro adesse judicium absolutum de falsitate opinionis, ubi opiniones contrariæ sunt nobis verè probabiles.

4. Non licet sequi opinionem extrinsecè tantùm probabilem : quia implicat aliquid esse extrinsecè verè probabile, nisi pro eo sit ratio gravis, etiam comparativè : quia authoritas humana non potest movere ad judicium prudens, nisi nitatur motivo prudenti ; saltem præsumpto : quod quia adesse prudenter præsumitur, quando multi graves AA. tenent opinionem aliquam esse probabilem, nec occurrit ratio elidens probabilitatem ; vel de ea dubitandi ; hinc & tum præsumitur prudenter probabilitas intrinseca. De his vide in Analysi à n. 39. Ex dictis. *Nec probabilem tantùm extrinsecè.*

Colliges : Licet, per se loquendo, sequi omnem sententiam verè, & simpliciter, & practicè probabilem : qualis, per se loquendo, non est in concursu probabilis tutioris sententia minùs tuta, etsi probabilior, aut probabilissima, ubi agitur de valore Sacramenti, vel obstat conventio, aut lex superioris, aut ordinata charitas erga se, vel erga proximum. 106. *Corollarium.*

**
*

QUÆSTIO VI.

Quæ sint, & quomodo solvantur argumenta adversæ partis?

Patroni sententiæ oppositæ de usu probabilium, in varias vias abeunt, diversisque nituntur fundamentis, sed parum firmis, ùt constabit.

Dicunt 1mò aliqui cum Elizalda, Comargo, & Gonzalez. Quando duæ sententiæ contradictoriæ concurrunt, non posse ambas simul esse probabiles respectu ejusdem intellectûs: eò quòd, si una sit probabilior, hujus motivum elidat motivum alterius probabilis, ut vim movendi non retineat: adeoque minùs probabilis, minùsque tutæ usum licitum esse non posse. Si autem utraque sit æquè probabilis, pro neutra motivum esse grave, sed intellectum suspensum hærere, per consequens tunc eligendam esse tutiorem: quia putant, ut quis licitè sequatur probabilem, quòd debeat illi assentiri absolutè tanquam veræ, hoc autem in concursu æquè probabilium non possit. Explicant hoc in simili, petito à libra, in cujus una lance si ponatur pondus gravius, hoc facit, ut minùs grave vim non habeat movendi in alteram partem; si autem in utraque lance ponatur pondus æquale, libra suspensa manet.

107. 1. Fundamentum partis adversæ

Sed hoc fundamentum repugnat 1mò communi sensui: nam AA. passim, quando suas sententias probârunt: fatentur oppositas probabiles, & sæpe æquè esse probabiles.

Possunt duæ sententiæ oppositæ esse simul probabiles.

2. Re-

2. Repugnat experientiæ : nam , quando utriusque sententiæ motiva expendimus , experimur nos utrimque invitari ad assensum , ità ut frequenter nesciamus , cui parti adhæreamus : sicut docet experientia, quando tentamur in fide , nos trahi ad dissensum , etsi agnoscamus , motivum fidei præferendum esse : quando occurrunt motiva , ad bene & malè sentiendum de proximo , sentimus , nos trahi ad malè sentiendum , etsi voluntas pia inclinet intellectum in alteram partem. *Ratio* autem à priori est , quia motiva pro utraque sententia plerumque sunt heterogenia , seu petita ex diversis principiis , ùt patebit consideranti diversas sententias probabiles in Theologia , & Philosophia : hinc vim retinent movendi. Simile de bilance ad rem non est , quia pondera sunt ejusdem rationis , & voluntas movere intellectum potest in unam partem probabilem : si tamen motiva sint planè ejusdem rationis & æqualia , invicem se elidunt : unum autem ejusdem rationis majus elidit minus : ùt, si Petrus dicat : Horâ primâ vidi Paulum in foro ; & Joannes dicat : Eâdem horâ mihi in domo mea præsens locutus est ; si sint paris authoritatis , neutri possum credere : secus, si ex diversis fundamentis aliquid affirmaret unus , & alius negaret.

3, Repugnat S. Augustino , qui Epistolâ 18. c. 3. probat , probabile esse , quòd laudabiliter faciat, qui quotidie communicat : & probabile esse , quòd non faciat laudabiliter : & S. Thomæ, qui 2. 2. q. 60. a. 4. apertè docet, quòd de proximo debeamus omnia interpretari in meliorem partem, etsi pro opposito sint rationes probabiliores.

4. Re-

4. Repugnat communi doctrinæ etiam Adversariorum; nam potest Advocatus tueri partem sui Clientis, sibi minùs probabilem: potest quis à Pontifice petere dispensationem super re, in qua ipsi probabiliùs non potest dispensare: qui contractum inivit juxta sibi probabiliorem, non tenetur eum deinde rescindere; etsi probabiliùs ipsi postea videatur illicitus. Hæc autem, & similia falsa essent, si in concursu probabilioris, minùs probabilis vim movendi ad prudentem assensum amitteret; quia hanc sequendo imprudenter ageret. Imò probabilior fieret moraliter certa, ideoque posset quis in administratione Sacramenti sequi probabiliorem minùs tutam.

108. *2. Fundamentum.* *Dicunt* 2. Ut quis sequatur opinionem, debet de ejus objecti veritate judicare directè, seu assensum absolutum præbere: minùs autem probabili objecto assentiri directè non potest.

Non est necesse, judicare directè de veritate objecti absolutè. Sed & hoc fundamentum exigui est momenti: nam imprimis falsa est Maj. Ut enim sequar sententiam probabilem, aut etiam probabiliorem de Justitia contractûs, v. g. censùs societatis, aut retrovenditionis, in concursu probabilis oppositæ, necesse non est, ut vi motivi directi judicem absolutè: contractus ille est justus: sed satis est, quòd sciam pro ejus justitia esse rationem verè gravem, multosque viros doctos docere, licitum esse, & probabiliter justum: esse quoque pro licentia ejus graves rationes reflexas; quia ex his possum mihi formare conscientiam certam de ejus licentia, v. g. Licet mihi contractus, quem, spectatis omnibus, probabiliùs judico mihi hîc & nunc licere: atqui; ergo. Vel: Lex incerta

certò

certò non obligat, quando agitur de ſola licentia actionis: atqui hîc & nunc lex eſt incerta; ergo. *Ratio* à priori eſt, quia, ſive ego dicam: hic contractus abſolutè eſt juſtus, ſive hoc judicium ſuſpendam, & dicam: eſt probabiliter juſtus; motiva directa & reflexa in ordine ad formandum dictamen ultimum conſcientiæ manent eadem, vimque movendi ſuam retinent; nec ordinariè vim movendi magis cognoſcimus, dum in actu ſecundo opinamur, quàm dum eramus in actu primo opinandi, ſicque diſcrimen inter opinabundum, & opinantem refunditur in imperium voluntatis.

Confirmatur variis exemplis. 1. Ubi indicia probabilia ſunt pro innocentia proximi, teneor ſtare pro ejus innocentia, etſi probabilius eſſet oppoſitum. 2. Tenetur ſubditus obedire Superiori imperanti probabiliter licitum, quod ſubdito probabiliùs eſt illicitum. 3. Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem, qui vult ſequi ſibi probabiliorem, Confeſſario minùs probabilem, & tamen juxta Adverſarios hic non poteſt aſſentiri ob motivum minùs probabile. Deinde multi tum Religioſi, tum Eccleſiaſtici ſuſcipiunt curam animarum, approbantur pro excipiendis Fidelium Confeſſionibus, qui non poſſunt examinare, quid ſit probabilius; ſed ſatis habere debent, ſi ſciant, quæ ſententiæ ſint verè probabiles. Hi quomodo ex motivis directis aſſenſum abſolutum præbebunt? Aut ergo falſum eſt hoc principium; aut Superiores, Epiſcopi, Examinatores graviter errant, admittendo tales ad curam animarum, & Confeſſiones audiendas. Poſtremum nemo dicit, cùm id obtineat praxis

totius Ecclesiæ; satis ergo est, quòd id, quod directè probabiliter licitum est, judicent directè probabiliter esse, & reflexè probabiliùs licitum. *Minor* quoque principii illius negatur à S. Thoma 1. 2. q. 17. a. 6. O & 2. 2. q. 60. a. 4. Suarez & aliis: quia in obscuris, & in opinabilibus intellectus subest voluntati, quæ intellectum inclinare ad assensum potest, etiam prudentem, si ratio alia accedat, utì, si de innocentia proximi dubium incidat: pro eo enim est possessio innocentiæ. Verùm hoc defendere pro præsenti quæstione necesse non est, sed satis est, quòd assentiatur operans objecto, tanquam probabiliter vero, habeatque judicium reflexum certum.

109. *3. Fundamentum.* *Dicunt* 3. Alii pauci, inter quos est Pater Gabr. Antoine & P. Simonnet: Ut liceat sequi minùs tutam, faventem libertati, debet esse evidenter notabiliter probabilior, ità, ut pariat moralem certitudinem, saltem respectivam.

Verùm hæc sententia non videtur probabilis; cùm enim rarissimè inter probabiles detur talis excessus, & admodum pauci sint capaces, ut discernant, quæ sit certò probabilior; sequitur, quòd sit obligatio sequendi passim tutiorem, quod falsum esse, constat ex dictis. Hi AA. utì & plures alii non probant quidquam contra fundamenta nostra; sed loquuntur tantùm de usu probabilium vi judicii directi: unde sententiam nostram non oppugnant.

Atqui ex his infertur, sententiam oppositam non esse simpliciter & strictè probabilem, sed communem esse moraliter certam, utì rectè Cardenas: quia opposita nullo solido fundamen-

damento nititur, & quæ præter jam dicta coacervant, debent ipſi ſolvere, contendentes, licitum eſſe uſum probabilioris, minùs tutæ.

Nam ſi dicas 1. Ex præmiſſa probabili non poteſt inferri concluſio, ſeu conſcientia certa. Reſp. 1. Nec poteſt ex probabiliori. R. 2. Dictamen ultimum conſcientiæ non infertur ex præmiſſa probabili formali, v. g. quod non eſt opus ſervile, hoc die feſto hîc & nunc licitè facio; atqui pingere non eſt opus ſervile; ergo: ſed ex judicio certo prudenti, vel ex probabilitate certâ cognitâ, velut præmiſsâ objectivâ, v. g. quod ſpectatis omnibus, prudenter judico, hîc & nunc mihi licere, hoc licitè facio: atqui; ergo. 110. *Reliqua expediuntur.*

Si dicas 2. Lex, vetans homicidium certum, etiam vetat dubium; ergo lex vetans certò illicitum, vetat quoque illicitum probabiliùs. R. 1. *Retorquendo*: Lex vetans homicidium certum, etiam vetat probabilius; ergo ſequens probabiliorem faventem libertati relictâ probabili favente legi facit, quod probabiliter materialiter illicitum eſt. Reſp. 2. Conc. Ant. Diſtinguo Conſequens: Lex vetans certò illicitum vetat probabiliter illicitum, ſi probabilitas oppoſita non removeat periculum non obtinendi finem, ad quem eſt obligatio, Conc. Secus, Neg. Conſeq. Si probabile ſit, quod jaculo ſim occiſurus hominem, & probabile ſit, quòd non ſim occiſurus hominem, ſed feram; probabilitas non facit, ut non occidam hominem (quod teneor vitare tamen) ſi verè adſit. Unde deeſt practica probabilitas. At, ubi de ſola honeſtate actionis agitur, probabilis opinio facit, ut non inhoneſtè operer, removetque periculum formalis peccati.

Si dicas 3. Quod eſt probabiliùs illicitum, non poteſt fieri certò licitum : ergò. Reſp. 1. Valet idem contra Adverſarios, quando operantur ſecundùm probabiliorem minùs tutam, contra probabilem tutiorem ut, ſi dicam : Quod probabiliter eſt illicitum, non poteſt certò fieri licitum. Reſp. 2. Non poteſt fieri licitum vi judicii directi, Conc. Vi judicii reflexi, Nego Antec. Vi hujus enim ſum certus, quòd Deus permittat mihi iſtam actionem, cùm certitudinem de exiſtentia legis non habeam, ſitque ratio prudens, illam non dari. Pertinebat enim ad ſuavem, ſapientemque Dei providentiam, ut, ne nimiis anxietatibus & peccatorum periculis exponeremur, non exigeret à nobis, quàm ut ſecundùm practicè prudentem rationem operaremur : quod dum facimus, conformamus nos legi Dei, ſaltem permittenti reflexæ, quæ non ex noſtro errore, ſed ex Dei ſapientia eſt.

Si dicas 4. Qui ſequitur minùs probabilem, non facit, quod poteſt pro aſſequenda veritate : non eſt certus de honeſtate objectiva : non facit, quod eſt propinquius vero, vel honeſto ; ergo non operatur prudenter. R. 1. Qui relinquit minùs probabilem faventem legi, & ſequitur probabiliorem faventem libertati, non facit, quod poteſt : quia poſſet ſequi tutiorem : non eſt certus de honeſtate objectiva : non facit, quod eſt propinquius honeſto ; quia tutior eſt magis propinqua. R. 2. Non tenemur ad omnia, quæ abſolutè poſſumus : ſufficit nos facere, ad quod tenemur. Dein ſequens minùs probabilem, eſt certus de honeſtate objectiva, quia certus eſt de conformitate objecti cum lege Dei permittente :

facit

facit quoque, quod eſt æquè propinquum honeſto ſecundùm judicium reflexum.

Si dicas 5. Judex in foro externo, quando dubium eſt inter homines, debet judicare ſecundùm probabiliorem; ergo in foro interno, quando dubium eſt inter Deum & hominem, debemus operari ſecundùm probabiliorem. Reſp. 1. Ergo non licet ſequi minùs probabilem, faventem legi Dei, quod nemo dicet. Reſp. 2. Judex debet judicare ſecundùm probabiliorem, ſi neutra pars poſſideat, Conc. Si una poſſideat legitimè, Neg Antec. Quando pro una parte eſt poſſeſſio, certò legitima, etſi pro altera ſit probabilior de proprietate, debet judicare, uti dixi, pro poſſidente, ſi res probabiliter ad ipſum pertineat. Si uterque articulus & de poſſeſſione, & proprietate verſetur in judicio, & poſſeſſio non probetur legitima; debet judicare ſecundùm probabiliorem: quia ad hoc Judex ſe obligavit. Similiter diſt. Conſeq. Ergo in foro interno debemus operari ſecundùm probabiliorem, ſi pro libertate ſit poſſeſſio, Neg. Secus, Conc Conſeq.

Si dicas 6. Famulus operans, quod probabiliùs eſt contra voluntatem ſui domini, imprudenter operatur: ergo homo operans, quod probabiliùs eſt contra voluntatem Dei, imprudenter operatur. Reſp. 1. Famulus operans, quod minùs tutum eſt pro ſuo domino, imprudenter operatur; ergo homo operans ſecundùm probabiliorem minùs tutam, imprudenter operatur. Reſp. 2. Tranſeat Ant. Neg. Conſeq. Famuli conducuntur, ut utilitatem & commoda dominorum quærant; hinc tenentur, quoad poſſunt, morali diligentiâ ſequi tutiora: quia ſequendo judicium probabile mi-

minùs tutum, si hoc fallat, non assequuntur, ad quod tenentur : Deus autem nullum habet detrimentum gloriæ suæ, si nos prudenter, etsi indirectè minùs probabile operemur, sed ad gloriam ejus est, nos non obligari in omnibus ad tutiora, vel probabiliora : cùm hoc pertineat ad suavem ejus providentiam, quæ ipsi est gloriæ, nosque aliàs expositi essemus innumeris anxietatibus & periculis peccandi. Dixi: *Transeat Antec.* Quia, si dominus non exponatur periculo damni, non potest plus exigere à famulo, quam ut prudenter operetur, impendatque diligentiam respondentem conductioni, & mercedi : sique famulus per judicium reflexum novisset, à domino id permitti, posset sequi minùs probabilem ; utì, si ità aggravaretur, obligatione sequendi ubique tutiora, vel probabiliora, ut oneri succumberet, vitâque periclitaretur : hoc enim casu prudenter judicaret, non esse voluntatem domini, ut ità se torqueret. Sic autem in præsenti prudenter judicare possumus, nolle nos obligare Deum ad sequenda tutiora in omnibus, aut probabiliora ; ùt dictum suprà. Unde Neg. Suppositum, quòd sequens minùs probabilem operetur id, quod probabilius est contra Dei voluntatem.

Si dicas 7. Si licet sequi minùs probabilem, potero jam hanc, jam illam sequi. Resp. 1. Idem valet contra Adversarios: nam secutus sibi probabiliorem tutiorem poterit oppositum sequi, si dein fiat ei probabilior. Resp. 2. Concedo te posse, per se loquendo, jam hanc, jam illam sequi : ùt, si jam si sis secutus faventem libertati, poteris postea sequi faventem legi, & contrà. Imò poteris justa de causa, sincerè procedendo inquirere, donec invenias verè practicèque

cèque probabilem, tibi faventem. Dixi: *Per ſe loquendo* : Quia id non licet, quando mutatio cedit in præjudicium tertii, aut trahit poſt ſe violationem legis certæ : uti, ſi ex non ſolenni teſtamento accepiſſes hæreditatem, eò quòd probabiliter id valeat pro foro interno: & nolles ſolvere legata, eò quòd probabiliter etiam non valeat tale teſtamentum. Hoc caſu injuſtè ageres negando legata, quia, admiſſo teſtamenti valore, legatarius jus certum habet : tuque admittendo teſtamentum, tanquam validum, tacitè te obligâſti ad ſolvenda legata. Aliàs tacitè dixiſſes, teſtamentum valere, & non valere. Similiter, ſi duo ſint in urbe horologia, regulariter bene dirigi ſolita, & horologium A. indicet horam duodecimam noctis die Sabbati, hocque ſequens carnes comedas; & dein horologium B. quod 12mam necdum indicavit, ſequi velles, & die Dominicâ inſequente communicares ; ageres illicitè : quia adſunt duo præcepta certa (nempe non comedendi carnes die Sabbati, & non communicandi, violato jam jejunio) certaque unius violatio Cùm ergo libertati faveris contra primum, non potes favere contra ſecundum. Lugo de Euchariſtia D. 14. à n. 46. dat hanc regulam univerſalem : Nunquam licet mutare ſententiam ſemel aſſumptam, ſi hoc foret certò in præjudicium alicujus legis, quæ violaretur per talem mutationem : quia ſingulæ leges jus habent certum, ne fraudentur ſuo fine : hinc eligens unam partem, obligat ſe implicitè ad illam non mutandam in præjudicium alterius.

Si dicas 8. Multi docent ſententiam oppoſitam ; ergo cenſeri debet ſimpliciter probabilis. Reſp. Quam viam inis, & cum quibus 111. *An oppoſita*

sententia sit simpliciter probabilis?

tenes? Fundamenta jam audivimus, & vias eorum diversas perlustravimus. Multi contendunt, non licere sequi, spectatis omnibus, minùs probabilem; sed & hoc nos dicimus. Alii dicunt, directè minùs probabilem fieri indirectè probabiliorem, id est, magis eligibilem, ubi grave incommodum sequeretur ex non usu minùs probabilis, minusque tutæ, aut accedit mandatum Superioris: hoc nos quoque dicimus, quotiescunque ratio prudens est pro non existentia legis. Multi ex statuto Ordinis debent docere oppositam nobis sententiam, & hinc eorum authoritas est minor: Imò nostram sequuntur in praxi, Alii, ne invidiam incurrant Rigoristarum, inter quos habitant, oppositam docent, & practicant benignam. Unde, licèt dici possit probabilis, quatenus contendit, non licere sequi minùs probabilem, spectatis omnibus, quod nos dicimus; attamen, ùt nostræ opponitur, respectivè simpliciter probabilis non est, cùm pro nostra sint gravia argumenta, pro opposita autem nullum, quod non clarè solvatur, aut ab Adversariis ipsis solvi non debeat. Imò, si probabilior esset simpliciter; ad se illi conformandum non possent obligari, nisi doctissimi: cùm alii plerumque capaces non sint, ut discernant inter magis, & minùs probabiles.

Quæ propositiones in materia de opinionibus probabilibus sint à Sede Apostolica damnatæ, videre licet suprà in Analysi à num. 33. ad num. 41.

Ex dictis colligitur, quamvis secundùm se majoris sit prudentiæ, sequi sententiam probabilem faventem legi, attamen ad id non esse astruendam obligationem.

CAPUT

CAPUT IV.

De Conſcientia perplexa, & ſcrupuloſa.

QUÆSTIO I.

Quid agendum laboranti Conſcientiâ perplexâ.

REſp. Laborans Conſcientiâ perplexâ, quæ 112.
dictat peccari, quidquid ex oppoſitis agatur, (ſi tamen caſus poſſibilis eſt) v. g. putans die Dominico ſe peccare, ſi Sacrum omittat, & peccare, ſi infirmum deſerat, & exeat ad Sacrum audiendum, 1. Tenetur ſe reſolvere, ſi ignorantia ſit vincibilis, ùt ordinariè eſt, v. g. examinando, vel interrogando alios. 2. Si non poſſit ſe reſolvere, tenetur eligere, quod videtur minus malum, non quidem ùt minus malum, ſed ùt minus eſt, & ità non peccabit. *Ratio* eſt, quia eſt liber ad vitandum iſtum exceſſum, non autem eſt liber ad vitandum malum apprehenſum utrumque; ſi tamen exceſſus tantùm videretur levis, non peccaret niſi leviter eligendo, quod videtur majus malum. 3. Si nec Conſcientia deponi poſſet, nec appareret in aliqua parte exceſſus malitiæ, non peccaret, quamcunque partem eligeret, quia non eſſet liber ad vitandum inæquale ex duobus malis, & alterutrum deberet eligere; ſive autem eligeret malum A. ſive malum B. æquale eligeret. Neque talis operaretur contra Conſcientiam, quia neceſſariò oritur ju-

Depone conſcientiam illam, aut elige, quod videtur malum minus.

dicium, perinde esse, quidquid eligat, & non posse vitari utrumque.

Dixi: *Si tamen casus est possibilis*: Etsi enim speculativè sub terminis universalibus concipi possit status perplexitatis; practicè tamen videtur contingere vix posse: nam deberet judicare, præceptam esse v. g. auditionem, & omissionem Sacri, adeoque præcipi duo contradictoria simul ponenda. Id quod ratione utens judicare non potest. Unde videtur vix possibilis casus perplexitatis, in quo homo se resolvere non possit, & practicè judicare, hîc & nunc esse obligationem ad unum, & non ad alterum.

QUÆSTIO II.

Quid sit Conscientia scrupulosa?

Quamvis de scrupulosis dirigendis fusè egerim in Neo-Confess. quia tamen is ad manus plurium fortè non veniet; existimavi, hìc non omittendum esse, quædam referre, quæ ibi tractata sunt. Quare ad Quæstionem

113. *Definitio.* Resp. Conscientia scrupulosa, seu scrupulus, est inanis, id est, ex levi, aut nullo fundamento orta apprehensio malitiæ in opere, vel omissione, conjunctum habens metum de eadem, anxietatemque in voluntate: vel est anxia formido de malitia omissionis, vel actionis positæ, vel ponendæ, propter inanes rationes. Dicitur *Scrupulosa*, desumptâ metaphorâ à parvis lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes, molestiam pedibus creant. Est quandoque de præteritis, ùt, an quis sit peccata ritè confessus: quandoque de præ-

præſentibus, ùt, cùm quis ſine fundamento anxiè volvitur, an hoc vel illud, hîc & nunc ſibi liceat, ob vehementiam apprehenſionis, vel phantaſiæ, peccatum modo aſſertivo proponentis. Nonnunquam prudens intellectûs dictamen occultat, etſi hoc reipſa adſit.

QUÆSTIO III.

An Scrupuloſus licitè poſſit, & teneatur quandoque agere contra Conſcientiam ſcrupuloſam, ſeu ſcrupulos?

Reſp. Scrupuloſus non tantùm licitè poteſt; 114.
ſed ſæpe expedit, & tenetur agere contra Con- *Agen-*
ſcientiam ſcrupuloſam, propriè dictam, etiam *dum*
vigentem, & urgentem ad ſuî ſequelam, dum- *contrà.*
modo judicetur eſſe talis, & contemnatur.

Ratio 1mæ partis eſt: Quia, ut quis licitè, & honeſtè operetur; ſufficit, quòd prudens ſequatur dictamen, hoc autem cum inani apprehenſione ſtare poteſt.

Ratio 2dæ partis eſt: Quia tempus iis perditur, devotio vera impeditur, & alia multa ſequuntur ex ſcrupulis incommoda. Et vix aliud eſt medium, malo illo noxio ſe liberandi.

Ratio 3tiæ partis eſt: Quia mala corpori & animæ ſcrupuli, præſertim diuturni, inferunt, quæ prævertendi eſt obligatio, ùt infra patebit.

Dixi 1. *Conſcientiam ſcrupuloſam propriè dictam.* Latiùs enim dicta eſt judicium erroneum ex levi fundamento, quod deponendum eſt, priuſquam quis operetur: hoc enim ſtare

non potest cum judicio prudenti de licentia operationis.

Dixi 2. *Modò judicetur esse talis, & contemnatur* : Sufficit autem contemni exercitè, & judicio virtuali, fundato in experientia, vel responso viri docti, & probi.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint causæ, & incommoda scrupulorum?

115. Resp. Causa scrupulorum est 1mò quandoque Deus : non quòd falsas apprehensiones immittat ; sed subtrahat luminis vigorem, ut homo in anxietates lapsus retrahatur à dissoluto vivendi genere ad frugem ; sæpe detestetur peccata commissa, ab iis longius recedat ; discat ad Deum recurrere, ejus auxilium implorare : ut pro peccatis præteritis, patienter sustinendo angorem, satisfaciat. Et hi scrupuli, nisi vitio hominis nimis diu durent, sunt admodum utiles : quia purgant animam, horrorem peccati ingerunt, ad virtutis studium impellunt.

1. Sunt quandoque à Deo, subtrahente lumen.

Dixi : *Nisi vitio hominis nimis diu durent.* Si enim is ad Deum non recurrat : si suo Directori non obediat, &c. fieri potest, ut habitum contrahat, fiatque difficulter curabilis, & damna animæ & corporis patiatur.

Signa, quòd sint à Deo.

Cæterùm scrupuli à Deo, velut causâ permissivâ provenientes, diu durare non solent : ubi enim finem, quem intendit, per eos Deus obtinuit ; solatur animam, scrupulos discutit, ne homo succumbat. Signum autem, quòd

quòd sint à Deo, est, si inducant sincerum peccati horrorem, & morum mutationem.

2. Causa scrupulorum non rarò est complexio hominis melancholica, & phlegmatica: Melancholici enim, ùt passim sunt acuti ingenii, & suspicaces, rerumque, quas apprehendunt, tenaces; ità proni sunt ad omnem mali suspicionem, minimaque perscrutari cupientes, aliis ægrè acquiescunt, à suis ratiocinationibus non facilè recedunt, nec tamen iis fidunt: & hinc scrupuli illorum cæteris deteriores sunt, qui & crescunt, & decrescunt pro diversis anni temporibus, prout corpus variè alteratur, suntque plerumque circa unam alteramve materiam, cui phantasia affixa est ex viscositate humoris melancholici. Phlegmatici autem, utpote frigidæ complexionis, sunt timori & pusillanimitati plerumque magis obnoxii, terrenturque ad primam mali speciem. Et hinc eorum scrupuli varii sunt, & minùs pertinaces, crescunt tempore morbi, Autumni, & Veris ex motu humoris acris. His maximè obnoxiæ sunt fœminæ. *2. Naturalis complexio est eorum causa.*

3. Causa scrupulorum sæpe est dæmon, qui dextrè eos novit fabricare, movendo sanguinem, alterando humores, & varia, quæ in ventriculo cerebri latent, simulacra phantasiæ objiciendo, species diversas combinando, & quasi consuendo, ut tetricam imaginem peccati falsam efformet, & ad cerebri valvas detineat, quæ sola menti obversetur, & ità terreat inanibus phantasmatis. Falsam illam imaginem quandoque effingit in figuram deteriorem, vel adjectis vaporibus, quibus illa fœdiùs efformetur; vel aliis additis scelerum simulacris, quibus percellatur animus, involvatur, & in præceps agatur. Est enim versipellis ille in perniciem hominis semper *3. Dæmon.*

intentus, obſervatque conſcientias, ut laxas magis laxet, & anguſtas conſtringat arctiùs, amplius involvat, ſicque perfectionem faciat apparere impoſſibilem. Scrupulis tamen magnos peccatores non vexat, ſed nititur hos tenere in ſua iniquitate, & omni excuſſo timore, magis in profundum mergere. Sanctos quoque magnos his vix aggreditur: quia in iis timor inordinatus jam à charitate devictus eſt; ſed maximè incipientes perfectioni ſe dare infeſtat; præſertim converſos à magnis peccatis. Hos ut perturbet, involvat, à profectu impediat, circumſpicit omnia. Verſutiâ autem ſuâ maximè utitur, quando animus caſu aliquo ſiniſtro aliunde percuſſus eſt, vel corpus pejus habet, aut mœrore tenetur animus. Atque ità in turbido piſcatur.

4. Læſio cerebri. 4. Cauſa ſcrupulorum quandoque eſt læſio aliqua cerebri, contracta per applicationem nimiam, vel ſtudium, aut abſtinentiam. Item debilitas judicii, occulta ſuperbia, nimius peccandi timor, puſillanimitas neſcientis timores contemnere.

Incommoda. 5. Scrupuli, qui à naturali complexione oriuntur, ſunt admodum pernicioſi: qui verò à dæmone, ſunt peſſimi, maximè, ſi ſinantur invaleſcere: nam utrique ſpem, conſequenter fortitudinem debilitant, orationem impediunt, ſuperbiam alunt, obedientiam labefactant, ineptum reddunt ad agendum cum proximo, cor conſtringunt angoribus, ſanguinem corrumpunt, ſpiritus vitales conſumunt, valetudinem tandem penitùs deſtruunt. Imò, ubi ſcrupuloſus videt, ſecundùm ſuas apprehenſiones, quas ille judicia reputat, ſe non poſſe ſatisfacere mandatis; tandem Conſcientiam laxat in ſcelera, & in ruinam impellitur.

6. Ver-

6. Vertit tamen pro ſua benignitate Deus homini bonæ voluntatis ſcrupulos, undecunque ortos, in utilitatem: nam ſæpe ſolatur eum, confortat, ut æquo animo angores ſuos ferat, reddit cautum, ſollicitum, & humilem: facit, ut, videns ſuam infirmitatem, aliorum judicio ſe ſubmittat: aptat ad alios aliquando dirigendos: quia vix ſcrupuloſum rectè dirigit, qui ſcrupulos non eſt expertus. Imò Deus hac afflictione aliquos Martyres ſibi facit, ſoletque in vita ſcrupulis cruciatos, in mortis tempore conſolationibus perfundere, ex eo etiam, quòd ſemper conati ſint Conſcientiam ſervare mundam, Deumque non offendere. Atque ex his patet, quòd ſcrupuloſus quandoque teneatur agere contra ſcrupulos, & ſequi conſtanter Confeſſarium, &c.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint ſigna, quòd ſcrupuli non ſint à Deo, ſed ex naturali complexione, vel à dæmone?

Reſp. Scrupulos non eſſe à Deo, ſigna ſunt ſequentia:

1*mum.* Si nimis diu durent, & nuſquam finem habeant de repetendis Confeſſionibus: ſi quis ſuſpiret ad Dei obſequium perfectum, peccata caveat omnia; & tamen frivolis angatur: ſi inter ſe pugnent, & collidantur, ad contradictoria impellentes: neque enim Deus ſuggerit contradictoria, & ubi animum ad ſuum obſequium paratum, & à peccatis jam purgatum obtinet, finem, cur ſcrupulos permiſerit, modò habet. An autem ſcrupuli ſint à dæmone, vel com- 116. *Signa*

complexione naturæ, perinde habet; cùm constat, à Deo non esse, suntque noxii, ex quacunque causa profluant.

2dum. Si nullâ præcedente causâ, cor angatur, cerebrum vaporibus obducatur, horrore subito membra corripiantur, atque inde mens agitetur scrupulis; non ex vano dices, scrupulos ex naturali complexione ortum ducere. Et hoc quidem longè certiùs, si undique & in omni actione augatur. Item, si agat quidem constanter; sed cum perturbatione, & timore: si sit genii tetrici, cavillatorii, & heteroclitici.

3tium. Si quis sentiat, se induci ad teporem, & sensim de mentis constantia dejici; avocari nimiâ fatigatione à virtutis studio, & præcipuè, si sentiat, se inclinari ad desperationem de salute; scrupulos à dæmone esse, prudens judicium est. Deus enim ad bonum; dæmon autem ad mala deducit.

4tum. Si quis sit scrupulosus circa unam tantùm, alteramve speciem peccati; alia autem perinde non horreat, vel ad cætera sit projectus, parvi pendens, quòd Deus suis dissolutis moribus offendatur, & interim in minoribus mirum angatur. Item, si quis in actionibus sanctissimis angatur, & aliàs non soleat multùm perturbari; scrupulorum auctorem esse dæmonem, rectè judicabis: Deus enim omnia prorsus scelera aversatur, & sacra non turbat; dæmon verò ubique profectui nostro adversatur.



QUÆS-

QUÆSTIO VI.

Quæ media generalia sint à scrupuloso adhibenda contra scrupulos?

Resp. Sequentia. 1mum. Si scrupuli ex naturali complexione proveniant, cùm sint difficillimæ curationis, præsertim, ubi invaluerint, nec spes curandi sit, nisi radix illorum corrigatur; adhibendæ sunt medicinæ naturales, quibus tenaciores humores dissolvantur, sanguis reficiatur, purgetur cerebrum. Deinde scrupulosus moderatè vivat, nec subtrahat vires corpori per crebra jejunia, aliasque afflictiones: nimiâ enim fatigatione evacuatur vivacior sanguis; vacuus nimiùm stomachus exhaurit cerebrum, sensus reddit tepidos, mentemque turbidam, & phantasiam sibi malè cohærentem. Cumque, ùt suprà memini experientiâ constet, scrupulis eos pro varia anni tempestate, Lunæ, mensiumque varietate, sanguinis affluxu, aut detentione, validiùs impeti; tunc vel maximè curandum corpus, quo non antè curato, frustra laborabitur. 117. *Remedia varia.*

2dum *medium* est, magnâ cum humilitate, fiduciâ, & resignatione petere à Deo lumen, prudenter, contemptis vanis anxietatibus, vivendi ex ejus lege. Hoc si fiat constanter, pacato tamen, & resignato animo; aderit Deus in tempore opportuno, qui non amat habitare in animo perturbato. *Non enim in commotione Dominus.* 3. Reg. 19.

3tium. Eodem docto, & probo Confessario constanter uti, ei in omnibus, abnegato proprio judicio, instar infantis, qui nescit, quid sibi

ſibi expediat, obedire. Hoc quia ſcrupuloſus difficulter à ſe impetrat; teneat tanquam certum, voluntatem Dei, in qua implenda noſtra conſiſtit perfectio, eſſe, ut in omnibus obediat, dicente Chriſto Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Proinde omne errandi ceſſare periculum, ſi ſequatur ductum ſui directoris: & hunc ſequendo, ſe in recta eſſe ad cœlum via, mereri plurimùm, abnegando ſuum proprium judicium. Hoc niſi faciat, certò ſibi perſuadeat, ſe ſcrupulis nunquam liberandum, & non ſine multiplici peccato exponi periculo, ſe planè perdendi. Caveat autem, ne de uno Confeſſario currat ad alium: ſic enim fovebit proprium judicium, variiſque aliorum, qui eum non noverunt, reſponſis, magis implicabitur, & ſuâ inobedientiâ ponet obſtaculum divinæ gratiæ, quæ aderit, ſi uni prudenti obſequatur, quem Deus diriget, ut non erret: ſique contingeret errare, quod nunquam præſumat, pœnitenti non imputabitur. Hoc eſt medium optimum, & cum oratione ferè unicum, ſecundùm quod ſecurè formabit ſcrupuloſus ſibi conſcientiam certam hoc modo: Etſi ego judicem, hoc eſſe peccatum; quia tamen Deus vult, ut obediam meo Confeſſario, & hic mihi dicit, licitè me procedere; hoc licitè facio, &c.

4*tum.* Cogitet nonnunquam, quæ damna ex ſcrupulis oriantur: An vera virtus innitatur inanibus phantaſmatis? An non meritò rideretur, ſi alii ſcirent, quibus nugis tempus conſumat? An Deo ſit honori, habere famulum phanaticum; an verò hilarem, prudentem, & morigerum?

5*tum.* Ad ſuas reflectens nugas, diſcat, ſe eſſe nugivendulum, ſique hoc ipſi non ſuffi-

ciat,

ciat, credat dictis Confessarii : etsi rationes, quæ ipsi se offerunt, videantur solidissimæ. Scrupulosus, qui sibi persuadet, se scrupulosum non esse, incurabilis est.

6tum. Non agat cum scrupulosis, nec eorum consilia audiat, nisi fortè media, quæ probata esse sciunt, contra scrupulos afferant.


7mum. Dum scrupulus vellicat, statim cum fiducia recurrat ad Deum, lumen petat, scrupulum contemnat, & contra eum operetur, vel, eum negligendo, alia agat. Non multùm de scrupulis secum tractet, non disputet, non deliberet, non examinet rationes ; sed abrumpat penitus cogitationes, hostemque suum reputet non mereri, ut contra eum conatus adhibeatur. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Jacobi 4. Hic contemptu faciliùs vincitur. Proinde nullo signo exteriori prodat, sibi molestiam creari ; sed solâ mente agat omnia, animosè nugas illas contemnendo. Caveat quoque otium, & nimiam solitudinem, quam diabolus talibus solet suadere.

8vum. Si videatur sibi non posse formare conscientiam, & scrupulum contemnere, cogitet : Voluntati Dei obsequendo non pecco : Vult Deus, ut obsequar Confessario, & contemnam : Si sequar, mihi imputari non potest, quòd fortè errem. Sic docent Sancti & docti. Meæ evidentiæ sunt judicio prudentûm nugæ. Alii prudentes operantur talia ; cur non ego ? Si scirem, esse legem Dei, obedirem : lege dubiâ non teneor. Sæpe audivi, & expertus sum, esse inania, quæ mihi videbantur plena sapientiæ : Prudenter præsumo, & hæc esse talia. Ex his deesse non potest conscientia certa, quòd non peccet : Proinde contemnat timorem omnem. Idem faciat,

faciat, si occurrat dubium, an sit ratio prudens?
Cùm enim ejusmodi dubia plerumque sint phan-
tasmata; ex communiter contingentibus pruden-
ter præsumit, rationes illas apparentes esse ina-
nes, & tutò contemnit; ne se exponat infinitis
anxietatibus.

9num. Assuescat sibi repræsentare Deum, non
ùt austerum Dominum; sed ùt Patrem benignis-
simum, scientem infirmitatem nostram. Magna
cum fiducia recurrat ad Salvatorem amantissimum
nostrî, qui non volet, pretium Sanguinis sui
frustra nobis esse impensum. Hujus ineffabilem
charitatem frequenter consideret, de ea legat, &
loquatur. 10*mum.* Discat, scrupulos suis viri-
bus expugnare: aliâs nunquam liberabitur. Pro-
inde, ùt dixi, nec cum Confessario multùm
agat de illis; quia aliàs figuntur tenaciùs & fo-
ventur. Si quid exponendum videatur, petat ejus
determinationem, & acquiescat, nec rationem
petat; dein nec alios, vel libros consulat, ne fiat
arrogantiæ & diffidentiæ reus, & in ejus pœnam
gratiâ emergendi careat. Quòd si scrupulus dein
pergat vellicare, patienter ferat, certòque sibi
persuadeat, si huic nunc cedat, quòd alio sit in-
quietandus, & deinceps sine fine. 11*mum.* Pru-
denti, & vigili curâ vitet venialia, præsertim ple-
nè deliberata, suæque saluti intendat, sed sine
perturbatione, & anxiâ curâ. Prudens cura lau-
danda est, immoderata in vitium abit, mentem
implicat, vires enervat, tædium ingerit, & tan-
dem nimis fatigatum à bene cœptis avocat, &
in desperationem agit. Deus nihil exigit contra-
rium prudentiæ. Nimis sollicitus sæpius impin-
git, quàm, cui prudens est cura. Vide Neo-Conf.
à num. 255.

TRAC-



TRACTATUS III.

De Legibus, principiis extrinsecis, actuum humanorum directivis.

PRincipium extrinsecum, seu regulam objectivam, primariam & universalem, actuum humanorum directivam, esse Legem Dei æternam, constat ex num. 27. Agendum hîc de Regulis eorum objectivis particularibus, quæ sunt Leges, vimque obligandi habent à lege, seu voluntate Dei, à qua informantur.

CAPUT I.

De Natura, Causis, Effectibus, Proprietatibus, Divisione, & Differentia Legis à Præcepto.

QUÆSTIO I.

Quid sit Lex in genere?

NOTA 1. Lex, Præceptum, Mandatum 118.
concreta sunt, quæ in recto, & pro suo significato materiali dicunt actum Superioris, dirigentem, & obligantem; in obliquo autem, & pro significato suo formali obligationem, quæ est morale quoddam vinculum, astringens ad aliquid agendum, vel omitten-

Præcepta formaliter, & materialiter tantùm diversa.

dum ſub culpa, & pœna. Unde Leges & Præcepta materialiter tantùm diſtincta ſunt, quando ſunt plures quidem actus Superiorum obligantes; ſed diſtinctam obligationem non important: formaliter autem diſtincta ſunt, ſi obligationem, quæ eſt forma, & quaſi anima legis, diſtinctam importent. Hanc autem important, ſuntque leges formaliter diſtinctæ, ſi ferantur ex diverſarum virtutum motivis, aut ſint circa diſtinctam ſpecie, vel numero materiam in genere moris; ſecus, ſunt tantùm materialiter diſtincta. Id quod diligenter notandum eſt pro intelligenda numerica & ſpecifica peccatorum diſtinctione.

Nota. 2. Poteſtas obligandi duplex eſt: nempe poteſtas Juriſdictionis, & poteſtas Dominativa, ſeu Oeconomica. Juriſdictio reſidet in Superiore perfectæ communitatis, & ejus delegato, eſtque poteſtas moralis, authoritativè obtinendi à ſubditis actiones & omiſſiones, principaliter & directè tendens in bonum communitatis. Talem habet ſupremus Princeps, v. g. Summus Pontifex in totam Eccleſiam: Imperator in totum Imperium: Rex in ſuum Regnum: Epiſcopus in ſuam Diœceſin, & Capitulum Sede vacante: Superiores ſupremi Religionum, ſaltem cum univerſali Congregatione. Actus autem Juriſdictionis ſunt Leges, Præcepta, Diſpenſationes, Privilegia, &c. Poteſtas dominativa eſt moralis facultas privata, obtinendi actiones & omiſſiones à privatis perſonis, ſubjectis quidem; quæ tamen perfectam communitatem non conſtituunt. Talem habet vir, in uxorem: dominus in ſervum: pater in filium-familias, &c. Hæc magis ordinatur in bonum habentis illam, quàm

119. *Poteſtas præcipiendi duplex.*

quàm in bonum subditi, nec illi tanta vis inest ad cogendum & coercendum, quanta inest, & inesse debet potestati jurisdictionis, utpote ordinatæ ad tuendam communitatem perfectam, omnesque ejus partes in officio continendas, ut proinde major debeat esse non tantùm extensivè, sed etiam intensivè fortior. Hinc ubi correctior severior servo adhibenda, jura volunt, ut illa non fiat, nisi authoritate publicâ.

Sed neque omnis jurisdictio sufficit ad ferendas leges: ùt potestas in Judicibus ordinariis, qui jurisdictionem habent, quâ leges ferre non possunt; sed requiritur principalis quædam, & primaria potestas gubernativa: cùm enim leges sint primarii quidam actus gubernationis Reipublicæ; præcipuam, ne confusionem pariant, respiciunt in superiore potestatem.

Porrò communitas est cœtus hominum, communi quodam vinculo naturæ, vel juris, aut ordinis ad aliquem finem sociatus. Hic si sit publicæ, politicæque gubernationis capax, jurisque fruendi, & communis utilitatis gratiâ sociatus; perfecta erit communitas: ùt sunt Ecclesia Christi, Imperium, Regnum, Respublica libera, Civitas, Diœceses, Ordines Religiosi &c. secus erit communitas imperfecta, ùt familia domûs. 120. *Communitas*

Nota 3tiò. Præceptum rigorosum, genericè acceptum, est ordinatio, vel regula à superiore facta, obligans ad aliquid in conscientia; specificè autem est ordinatio superioris transitoria ad aliquid in conscientia obligans. Dixi: *Præceptum rigorosum*: quia Præceptum non rigorosum, & merè directivum est ordi- 121. *Præceptum rigorosum & merè directivum.*

natio superioris astringens ad aliquid, non sub culpæ, vel pœnæ reatu, sed sub onere, aliquo bono carendi. Tale fuit, juxta plures Theologos, præceptum mortis, Christo impositum : qui si mortem, ùt poterat, non acceptâsset; caruisset titulo Redemptoris generis humani. His prænotatis

122. *Definitio legis.* Resp. Lex est ordinatio superioris perpetua, facta authoritate publicâ in bonum commune, obligans in conscientia communitatem ad aliquid agendum, vel omittendum, sufficienter promulgata.

Dicitur 1mò. *Ordinatio Superioris* ; sive jam lex consistat essentialiter in solo actu voluntatis, ùt volunt Scotistæ, obligante, & mediâ sui cognitione dirigente subditos; sive simul, vel tantùm in actu intellectûs practico, ùt volunt alii: perinde enim est ad praxin.

Dicitur 2dò. *Ordinatio perpetua.* Puta negativè, hoc est, non restricta ad tempus certum, vel unum actum, sed de se stabilis, transiensque ad posteros, nisi ejus materia fiat inutilis, aut impossibilis : aut Superioris authoritate expressè vel tacitè, vel per consuetudinem abrogetur. Ratio illius est, quia cùm communitas sit permanens, oportet eam dirigi per regulas stabiles, ne varia earum mutatio confusionem in Republica, legumque contemptum in pòpulo pariat.

Dicitur 3tiò. *Facta authoritate publicâ* ; Quia cùm leges tendant ad rectum ordinem in Republica servandum, debitamque gubernationem ejus, velut præcipui jurisdictionis actus, non possunt, nisi ab authoritate publica procedere : aliàs enim obligare Rempublicam vel com-


communitatem non possent, sicque essent parum efficaces parumque utiles.

Dicitur 4tò. *Facta in bonum commune*; Quia legislator humanus non habet potestatem, sibi concessam, nisi in bonum commune. Proinde leges, nisi in illud tendant, actus jurisdictionis non sunt, adeoque nec leges. Imò leges divinæ nostram quoque utilitatem, & beatitudinem, intimè cum gloria Dei conjunctam spectant.

Dicitur 5tò. *Obligans in conscientia.* Quia sine obligatione leges essent parum efficaces, parumque per eas esset consultum felicitati communi, si sine reatu liceret eas transgredi. Atque per hoc lex & mandatum differt à consilio, quòd regula sana ad operandum esse potest, sed non obligat in conscientia, nec obstringit sub onere boni alicujus carendi, potestque esse ab alio, quàm à Superiore.

Dicitur 6tò. *Sufficienter promulgata.* Sine enim promulgatione vel intimatione lex in actu 2do dirigere, & obligare non potest.

Suarez breviùs definit legem hoc modo: Lex est præceptum commune, stabile, ac justum sufficienter promulgatum. Dicitur 1mò. *Præceptum*; Quia lex debet esse à Superiore, & obligare in conscientia. Dicitur 2. *Stabile*; Quia per se extenditur ad posteros sine præfixo termino. Dicitur 3. *Justum*; quia lex debet esse rationabilis, conformis justitiæ. Dicitur 4. *Sufficienter promulgatum*; Quia aliàs dirigere & obligare non potest.



QUÆSTIO II.

Quæ sint proprietates, & conditiones legis?

Resp. Sunt hæ, quæ ex legis definitione consequuntur. 1ma. Lex debet esse de materia possibili, honesta, aut saltem utili & conducente ad bonum commune, ità ut plus boni afferat, quàm ejus negatio: si enim lex esset de materia impossibili; esset irrationalis, & crudelis: si esset inhonesta; esset impia, & repugnaret bono communi; si esset inutilis: esset injusta, quia imponeret subditis onus sine ratione.

123. *Proprietates legis.*

2da. Debet esse conformis justitiæ distributivæ, ut servetur proportio in imponendis oneribus, consideratis subditorum facultatibus inæqualibus, personarum qualitatibus, circumstantiis patriæ, loci, temporis &c. aliàs, ùt inquit S. Thomas 1. 2. q. 46. a. 2. Leges essent potiùs violentiæ, quàm leges.

3. Debet esse conformis justitiæ commutativæ, ut legislator non excedat limites potestatis suæ, imponendo leges supra vires humanas, vel non suis subditis.

Atque hæc diligenter consideranda sunt, quando dubitatur, an lex in conscientia hîc & nunc obliget, vel sit rationabilis. Item quando lex aliqua astruitur, de cujus existentia dubitatur. Utì an detur lex obligans ad sequendum in omnibus, quod tutius est, vel probabilius in concursu opinionum utrimque practicè probabilium.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ ſint cauſæ legis, & effectus?

Reſp. 1. Cauſæ ſunt hæ : 1mò. Cauſa effi- 124.
ciens eſt is, in quo reſidet poteſtas legislativa, *Cauſæ*
quatenus eâ præeminet. Talis in regimine Mo- *legis.*
narchico eſt ſupremus Princeps, ùt Papa, Imperator, Rex, quorum leges dicuntur jura, conſtitutiones, ſanctiones ; In Ariſtocratico ſunt Optimates, quorum leges appellantur ſenatûs conſulta, edicta prætoria ; In regimine Democratico, ſeu populari eſt Communitas, cujus leges vocantur plebis ſcita.

2dò. Cauſa finalis remota, & univerſalis eſt bonum commune · proxima & particularis, actio vel omiſſio.

3tiò. Cauſa materialis circa quam, ſunt actiones, & omiſſiones humanæ, modo præceptivo à ſuperiore intentæ, ùt à ſubditis ponendæ.

4. Cauſa formalis dicuntur verba, quibus lex eſt concepta, & ſubditis manifeſtatur : ùt præcipio, prohibeo, &c.

Reſp. 2. Effectus autem ſunt tum ſtatus bonus 125.
Reip. à lege inductus, tum obligatio paſſiva, quæ *Effectus*
ex lege ratione noſtrâ conſequitur : Obligatio *duplex.*
enim activa eſt ipſa lex, quatenus in ſuperiore exiſtens, ſita in actu voluntatis ejus præceptivo, vel ſolo, vel ſimul in actu intellectûs ; obligatio autem paſſiva eſt lex, ùt afficiens ſubditos, eoſque aſtringens in conſcientia ad actionem vel omiſſionem aliquam. Utraque reſpicit in Superiore poteſtatem legislativam, in ſubditis naturam rationalem liberam, & ſubjectam.

QUÆSTIO IV.

Quomodo lex differat à præcepto simplici?

126. *Discrimen legis & mandati.* Resp. In his tribus: 1mò. Lex necessariò debet ferri communitati in bonum commune; præceptum verò potest imponi personæ privatæ in illius, vel mandantis, vel alterius bonum privatum. 2dò. Præceptum potest imponi à quocunque Superiore; Lex verò non nisi ab habente potestatem gubernativam publicam. 3tiò. Lex debet esse de se perpetua; præceptum autem de se perpetuum non est, sed exspirat morte non tantùm subditi, & quandoque actu posito, sed ordinariè etiam morte mandantis.

127. *Quando mandatum non exspiret morte mandantis?* Dico: *Ordinariè*: Nam non exspirat morte ejus. 1mò. Si sit ad pias causas, vel favorabile doti matrimoniali, vel alicui Scholastico: ùt si pater præcipiat filio, ut certam eleëmosynam det pauperibus, vel Ecclesiæ, aut Studioso ad studia prosequenda certam pecuniæ summam. 2dò. Si res non sit amplius integra, id est, si executio rei præceptæ ex vi mandati jam sit incepta. 3tiò. Si res adhuc quidem sit integra, attamen executio gratiæ alicujus v. g. collatio beneficii, aut absolutio à censura non sit relicta arbitrio mandatarii, seu Executoris; sed ipsi imperata in favorem alterius 4tò. Si mandato adjuncta sit dispositio, ut duret, donec revocetur à Superiore. Sic præcepta Bullæ Cœnæ non exspirant morte Papæ, sed durant tempore intermedio à morte ejus ad promulgationem novæ Bullæ;

&

& præcepta Generalium Societatis JESU per Canonem decimum Congregationis VII. stabilitatem habent, donec à Successore revocentur. La Croix l. 1. n. 566. & 876. 5tò. Si Superior mandans jubeat, ut mandatarius aliquid exequatur vel ante, vel post mortem suam. Extra hos casus mandatum exspirat per mortem Superioris mandantis, v. g. si propter periculum seductionis pater mandaverit filio, ne certam domum ingrediatur, aut ne conversetur familiariter cum certa persona, per mortem patris exspirat mandatum illud, adeoque vi illius non tenetur amplius filius domum illam vitare, aut abstinere à conversatione cum persona illa, quanquam, si periculum perseveret seductionis; potest esse obligatio ex lege naturali (vi cujus tenemur nos non exponere periculo proximo peccandi) domum illam vitandi, & abstinendi à conversatione cum persona illa. Et idem est de aliis ejusmodi mandatìs. Unde mandatum seu præceptum, specificè acceptum, est ordinatio Superioris non perpetua, obligans privatum aut communitatem ad aliquid faciendum vel omittendum; præceptum autem genericè sumptum est ordinatio Superioris obligans ad aliquid.

QUÆSTIO V.

Quomodo lex generatim accepta dividatur?

Resp. Dividitur 1mò. Per ordinem ad materiam, in naturalem, quæ est circa materiam necessariam, id est, talem, quam præcipi, vel prohiberi exigit rectus in republica rationali ordo 128. *Varia legis divisio.*

ordo hominis erga Deum, erga se, & erga proximum; & in positivam, quæ est circa materiam liberam pro priori ad legem, seu quam præcipi, vel vetari ordo ille non exigit, aut saltem, etiam suppositâ creatione naturæ rationalis, est liberè lata.

2dò. Lex per ordinem ad causam suam efficientem immediatè dividitur in Divinam & humanam. Divina est, quæ immediatè à Deo procedit, estque vel naturalis, & suppositâ voluntate creandi naturam intellectualem, necessaria; sic exigente perfectione divinâ, & recto ordine in republica naturæ rationalis; vel positiva, quæ legi naturæ liberè apposita est, saltem quoad modum promulgandi. Humana est, quæ immediatè ab homine procedit, estque positiva, seu liberè lata, etsi possit esse, & quandoque sit circa materiam legis naturæ, huicque superaddita.

3tiò. Lex Divina subdividitur in æternam, & temporalem. Æterna dicitur quatenus ab æterno in Deo existit; temporalis quatenus in tempore promulgata creaturæ rationali inexistit. Nomine legis æternæ venit quidem plerumque lex naturalis, utpote ab æterno in Deo existens necessariò; potest tamen omnis lex divina dici æterna, quia ab æterno concepta à Deo. Et hoc sensu legem æternam accepit S. Aug. l. 22. contra Faustum. Ubi definit peccatum: *Dictum, Factum, vel Concupitum contra legem æternam Dei.* Et S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4. dum ait: omne peccatum ideo esse malum, quia est à lege Dei æterna prohibitum. Puta à lege Dei, vel secundùm se tantùm, vel ùt informante leges humanas.

4. Lex divina positiva subdividitur in veterem

terem, quam Deus populo Iſraëlitico dedit, & per Moyſen promulgavit; & in novam, quam tulit Christus, Auctor novi teſtamenti.

5. Lex humana, quæ poteſt etiam eſſe circa materiam legis naturæ, dividitur 1mò, in Eccleſiaſticam, quæ fertur ab habente jurisdictionem ſpiritualem, reſpicitque felicitatem ſupernaturalem; & in civilem, quæ fertur ab habente jurisdictionem ſæcularem ſeu Laicam, reſpicitque regimen politicum, & felicitatem temporalem. 2dò. Dividitur utraque in purè moralem, purè pœnalem, & mixtam. Purè moralis eſt, quæ aliquid præcipit vel prohibet, attamen non imponit transgreſſoribus pœnam. Purè pœnalis eſt, quæ quidem non præcipit, aut prohibet actum determinatè; transgreſſoribus tamen imponit pœnam. Mixta eſt, quæ & actum præcipit, vel prohibet, & transgreſſoribus imponit pœnam. 3. Dividitur in favorabilem, quæ ſpeciale beneficium continet; & odioſam, quæ pœnam vel aliud gravamen imponit. 4. Dividitur in purè prohibentem, irritantem, & permittentem, quæ tamen poſtrema, quà talis, lex ſtrictè non eſt; ſed quatenus prohibet, ne Judex actum permiſſum puniat, aut alius impediat. 5. Dividitur in explicitè latam, & in introductam per conſuetudinem, aut conſenſum omnium, aut penè omnium nationum. Et hæc dicitur jus gentium. 6. Denique lex ex ſuo tendendi modo dividitur in affirmativam, ſeu præceptivam; & negativam ſeu prohibitivam. Affirmativa eſt, quâ aliqua actio immediatè, & primariò præcipitur, etſi ſecundariò, & indirectè ſimul aliquid prohibeatur, ùt lex audiendi Sacrum die feſto, quæ primariò

Sacrum

Sacrum præcipit ; ſecundariò autem ejus impedimenta prohibet. Negativa eſt, quæ immediatè, & primariò aliquid prohibet, etſi ſecundariò aliquid præcipiat, uti lex jejunii, quæ prohibet eſum carnium, & ſecundam refectionem, & præcipit, ut ordinaria media procurentur, quibus jejunium ſervari poſſit. Diſcrimen harum legum ex fine maximè deſumendum eſt.

CAPUT II.

De Lege naturali, & poſitiva divina.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Lex naturalis, & quæ ad eam pertineant?

129. *Definitio.* Reſp. 1mò. Lex naturalis, ſeu jus naturale eſt ordinatio Dei, ordinem naturalem ſervari jubens, & perturbari vetans, per lumen naturale intimata ; vel : eſt lex divina neceſſaria, creaturæ rationali impreſſa, præcipiens & vetans quidquid ex natura rei neceſſarium eſt ad honeſtè, decenterque vivendum. Quis autem ſit ille ordo naturalis, & quæ ex natura rei naturam rationalem dedeceant, dixi n. 29.

130. *Quæ ad legem naturalem pertineant?* Reſp. 2dò. Ad legem naturalem pertinent 1mò univerſaliſſima morum principia ; bonum eſt faciendum, malum vitandum. 2dò. Principia minùs univerſalia : Deus eſt colendus : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. 3tiò. Omnia, quæ præceptis Decalogi continentur, exceptâ determinatione temporis in

tertio ; quia omnia , quæ in iis continentur, habent necessariam vel connexionem, vel repugnantiam cum recto ordine in Republica rationali, seu necesse est , alia facere , alia vitare ad honestè decenterque vivendum. 4tò denique alia , quæ ex primis morum principiis necessariò , licèt mediatè , inferuntur : & universim quidquid recta ratio pro priori ad legem positivam dictat , decens vel indecens esse ; seu rectus in Republica intellectuali ordo exigit , universim præcipi vel prohiberi , ne homines ex licentia in uno fortè , alterove casu occasionem arripiant fingendi plures casus, in quibus licere judicent , quæ cedant in perniciem Reipublicæ rationalis, ordinemque debitum evertant. Hinc lex naturalis vetat pro omni casu fornicationem.

QUÆSTIO III.

Quomodo Deus legem naturalem promulgârit, & modò promulget?

Resp. Legem naturalem , saltem quoad 131.
partem magis necessariam, Deus creaturæ ra- *Tribus*
tionali intimavit, & modò intimat , & pro- *modis.*
mulgat in actu primo, dando illi lumen intellectûs : hoc enim habito, potest venire in notitiam primorum principiorum , & eorum , quæ clarè ex iis consequuntur. Atque hæc intimatio sufficit ad obligationem in actu primo. Deinde illam promulgavit in actu 2do ante legem scriptam, & modò promulgat sine verbo externo , infundendo naturæ intellectuali species & dictamina practica de agendis & vitandis , juxta illud Psalmi 4ti. *Quis ostendit*

ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine : illis enim instruimur, quid deceat, & dedeceat, lexque Dei inscribitur cordibus nostris, & illis velut Scriptura permanens infigitur. Docet hoc imò Scriptura tum jam citata, tum ad Romanos 2. ubi Apostolus ait de Gentibus; *Quicunque sine lege peccârunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccârunt, per legem judicabuntur : non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur: cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis reddente conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, quo Deus judicabit occulta cordium.* Quibus verbis manifestè docet, Gentibus verbo interno à Deo denuntiari legem naturalem, & sine lege externè denuntiatâ peccantes perituros. Non loquitur autem Apostolus de legibus positivis veteris testamenti; quæ à Gentibus non servabantur, sed de naturalibus, quæ à quibusdam servabantur. Nec loquitur de habentibus fidei gratiam : nam opponit eas Judæis; & damnata est hæc propositio Bajana 22. cum Pelagio sentiunt, qui textum ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.

Docent 2dò. id SS. PP. Nam S. Aug. in Ps. 37: *Scripsit*, inquit, *Deus legem naturæ in cordibus hominum, quam non sinuntur ignorare, ut esset, unde judicarentur.* Et in Psalm. 57.

Manu

Manu formatoris nostri in cordibus nostris veritas scripsit : Quod tibi non vis fieri , alteri ne feceris. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est. L. 2. Conf. c. 4. *Lex tua scripta in cordibus hominum* L. 2. de Sermone Domini cap. 9. *Nulla est anima, in qua non loquatur Deus : Quis enim scribit in cordibus hominum legem naturalem, nisi Deus.* S. Ambrosius L. 5. Epist. 41. *Ea lex,* puta naturalis, *non scribitur, sed innascitur : nec aliqua percipitur lectione ; sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* S. Damascenus L. 4. cap. 23. De Fide : *Lex,* inquit, *Dei mentem nostram incendens , eam ad se pertrahit, conscientiamque nostram vellicat , quæ & ipsa lex mentis nostræ dicitur.* S. Maximus ; *Lex,* ait , *naturæ est ratio naturalis , quæ captivum tenet sensum ad delendum vim irrationalem.* Lactantius L. 6. De vero Cultu cap. 8. verbis Ciceronis in L. De Repub. legem naturæ describit : *Est quædam vera lex, recta ratio naturæ congruens , diffusa in omnes , constans, sempiterna, quæ vocet ad officium, jubendo, vetando, &c.*

3. *Docent* id unanimi consensu Theologi, & Interpretes cum S. Thoma : qui in 4. Dist. 33. a. 1. ait : *Quia homo inter cætera animata rationem finis cognoscit , & proportionem operis ad finem , ideo naturalis conceptio illi est indita , quà dirigitur ad convenienter operandum ; & lex naturalis , seu jus naturale dicitur.* 1. 2. q. 91. a. 2. in O. *Lumen* ait, *rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum , & quid sit malum, quod pertinet ad legem naturalem, nihil est aliud, quàm impressio divini luminis in nobis.* Et ibidem

q. 92.

q. 90. a. 4. in O. *Promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus, eam mentibus inseruit naturaliter cognoscendam.* Itaque, ùt pulchrè Cornelius à Lapide in cap. 2. Epist. ad Rom. L. D. in Basilica cordis humani Deus Tribunal constituit, legesque in ejus tabulis incidit digito suo, rationem creavit Judicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, quæ vel accusant hominem reum, vel defendunt innocentem.

Denique Deus jus naturæ, seu legem naturalem denuntiavit verbo externo per suos Ministros, Prophetas, Apostolos, suum in terris Vicarium, & modò denuntiat per Doctores, Concionatores: & quamvis hæc denuntiatio non ad omnes perveniat; lex tamen naturæ, quoad magis necessaria ad honestè vivendum, satis denuntiatur per lumen rationis, omnibus inditum, ità, ut homo sit inexcusabilis, si legem naturæ, sibi intimatam, non observet.

Dixi in Responsione; *Saltem quoad partem magis necessariam*: nam non satis constant omnia, quæ legis sunt naturalis. Et quamvis lex naturalis, ùt existens in Deo, sit reipsa unicus actus voluntatis ejus simplicissimus; ùt tamen terminatur ad diversa objecta, substatque diversis dictaminibus practicis, v. g. bonum amplectendum, malum fugiendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; non occides; non furtum facies, &c. multiplex est. Et rectè dicitur congeries ex multis legibus necessariis. Unde, secundùm se, non consistit præcisè in ipsis dictaminibus; ùt volunt multi cum Suar. Lex enim debet actus esse Superioris ex Jurisdictione procedens, & ùt cognita dirigere, & obligare subditos. Quare,

re, cùm quandoque dicitur, consistere in dictamine rationis, sermo est de lege naturali, ùt nobis applicatâ. Ex dictis infero seqq.

1mò. Non rectè definitur Jus naturæ : Lex Dei verbo externo hominibus denuntiata : nam multis verbo tantùm interno denuntiata fuit, & modò denuntiatur ; ùt constat ex dictis.

2. Si Deus verbo suo externo nihil præcepisset, vel prohibuisset, malè agendo homo adhuc peccaret : nam ageret contra legem Dei, sibi per lumen rationis denuntiatam ; ùt iterum constat ex dictis. Et confirmatur : nam, ùt mox videbimus, nemo ratione utens, secluso etiam verbo Dei externo, diu potest invincibiliter ignorare, universalissima non solùm Juris naturalis principia, sed nec ea, quæ clarè ex iis deducuntur, ut Deum & parentes non esse dehonorandos, proximum non esse occidendum, &c. Quare potest homo, ad quem Dei verbum externum non pervenit, bene secundùm legem naturæ ; & malè contra eam operari. Et meritò damnata est hæc 23. Baji propositio : *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Et verò, nisi Deus illis, ad quos verbum ejus externum non pervenit, indidisset legis naturalis principia, quibus dirigerentur ad vitandum, quæ illis repugnant ; non congruenter suæ sapientiæ providisset naturæ humanæ, sed reliquisset maximam partem in impotentia finem suum consequendi. Quod sine blasphemia dici non potest. Et hinc quoque damnata est ab Alexandro VIII. hæc ordine 5. propositio : *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino à JEsu Christo habent influxum.*

3. Falſa eſt hæc Theſis : *Sine verbo Dei externo incertis juris naturalis præco eſſet conſcientia privata, vel prætenſa recta ratio.* Conſtat ex Scripturæ & Patrum teſtimoniis relatis. Et ratio eſt, 1mo, quia recta ratio proponit principia agibilium, ſicque legem naturalem promulgat ex parte ſaltem, dictatque, quid in particulari agendum, & vitandum ſit, ut decenter & honeſtè vivatur. Unde S. Chryſoſtomus Homiliâ 17. in Geneſin ait : *Judicium conſcientiæ eſt naturale, & a Deo inſitum ... Sufficit pro lege conſcientia & rationis uſus.* S. Bernardo de interiori domo cap. 12. *Conſcientia eſt cordis ſcientia.* Baſilio in Prov. *Naturale judicatorium animæ.* Damaſceno L. 2. cap. 12. *Lex intellectûs noſtri.* Tertulliano : *Naturalis tabula.* Origeni L. 2. in Ep. ad Rom. *Naturalis corrector, & pædagogus animæ.*

2. *Deus*, teſte Apoſtolo, *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; ergo confert omnibus, etiam iis, quibus Jus naturæ verbo Dei externo non eſt denuntiatum, media eò neceſſaria : aliàs voluntas illa ſincera non eſſet ; atqui, ſi conſcientia, & recta ratio non eſſet certus præco Juris naturæ, ſaltem quoad principia prima & magis neceſſaria agibilium, eò neceſſaria illis non conferret : Quomodo enim ſe aptarent, ut vocanti reſponderent, & congruerent gratiæ excitanti ? An non eſſent pejori loco, quàm bruta, utpote carentes omni regulâ rectè vivendi juxta legem naturæ, conſequenter blaſphemiæ, furta, homicidia, adulteria, fornicationes & alia quæcunque nefanda ſcelera non poſſent illis imputari ad culpam. Quæ omnia, quàm abſurda ſint, nemo non videt.

QUÆSTIO III.

An Lex naturalis, ſaltem ex parte, poſſit invincibiliter ignorari ab homine, rationis uſum habente?

Lex naturalis in actu 1mo obligat omnes ratione utentes, & probabiliùs etiam ejus uſu deſtitutos, aut nondum præditos. Quare neminem licet ad ejus tranſgreſſionem inducere, puerum etiam & amentem. Quæritur hìc, an, ex parte ſaltem, invincibiliter poſſit ignorari, ità, ut quoad eam ignorantes non obliget in actu ſecundo?

Reſp. Nullus homo, ratione utens, poteſt in- 133.
vincibiliter ignorare legem naturæ 1mò. Quoad univerſaliſſima agibilium principia: Bonum eſt faciendum, malum vitandum. Nec 2dò. Quoad ea ſecundùm ſe, quæ clarè ex primis agibilium principiis immediatè deducuntur, ùt: Deus non eſt blaſphemandus; parentes ſunt honorandi; proximus non eſt occidendus. 3. Bene tamen quoad ea, quæ ex primis agibilium principiis, vel præceptis Decalogi remotè ſolùm, & non niſi per difficilem diſcurſum inferuntur, ùt ſunt: Fornicatio eſt, ſecluſo præcepto poſitivo, illicita; injuria illata non eſt propriâ authoritate vindicanda; ratione mutui præcisè nihil eſt accipiendum tanquam ex Juſtitia debitum, &c.

Poſſunt ignorari, quæ ex lege naturæ ſolùm remotè deducuntur.

Ratio. 1mæ partis eſt, quia, ſicut prima principia ſpeculativa: *Idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe; quodlibet eſt vel non eſt: totum eſt majus ſuâ parte*, ſunt per ſe nota, ſtatimque intellectum determinant ad aſſen-

ſum ; ità prima principia practica ſunt per ſe nota, & ſtatim determinant ad aſſenſum, ità, ut quiſque, lumine naturæ omnibus indito, judicet, bonum eſſe amplectendum, malum fugiendum ; quod quis ſibi non vult fieri, alteri non eſſe faciendum.

Ratio 2dæ partis eſt, quia imbutus primis agibilium principiis, ſi recogitet ſeriò, utì poteſt, determinatur ex lumine naturæ ad aſſentiendum iis, quæ ex primis principiis practicis clarè immediatè deducuntur, ùt: Deum eſſe colendum, parentes honorandos, non eſſe furandum, &c. Dixi tamen: *Quoad ea ſecundùm ſe*: nam aliqua poſſunt talibus circumſtantiis veſtiri, ut non ità clarè pateant alicui tanquam illicita, ſed ignorentur invincibiliter etiam ad longum tempus, v. g. Licèt ex principio: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ſecundùm ſe clarum fiat, non licere occidere innocentem, aliena furari, non tamen ità clarè apparet, illicitum eſſe furari à malis divitibus, ut ſuccuratur pauperibus, aut illicitum eſſe alterum innocentem occidere, ut evadat graviſſima tormenta. Vidi ego, inquit Vaſq. 1. 2. d. 122. cap. 2. ruſticum, qui ægrotum, quem putabat brevì moriturum, verſabat in alteram partem, ne diutiùs torqueretur doloribus, ſed citiùs animam exhalaret. Sic & ignorari poteſt, illicitum eſſe mentiri officiosè ob gravem cauſam, v. g. ad propriam vel parentis vitam conſervandam: ad impediendum, ne Eccleſia, vel Hoſtia ſacra comburantur, ne Provincia in hæreſin labatur, ne milites nomen Dei blaſphement.

Ratio 3tiæ partis eſt, quia illa obſcura ſunt, nec facilè apparent, ſed ſtudio, ad quod multi non

non sunt idonei, sunt investiganda. Imò Theologi fornicationem, quam certum est, esse intrinsecè malam, non facilè demonstrant, esse talem, & lege naturæ prohibitam, præsertim, si educationi prolis certò sit debitè providendum. Deinde mendacium officiosum esse jure naturæ prohibitum nunc certum est, & tamen ob gravem causam id licere affirmârunt S. Chrysostomus, Clemens Alexandrinus, & Cassianus. Licitam esse simulationem formalem docuit S. Hieronymus, contradicente S. Augustino, & tamen est reale mendacium, & nunc certò illicita. Denique Theologi de variis disputant, an sint juris naturæ, v. g. An teneatur homo semper operari ex fine positivè honesto; an lapsus in mortale teneatur statim per pœnitentiam se Deo reconciliare, &c. Ex quibus patet, posse dari invincibilem ignorantiam circa quædam legis naturæ, hominemque, licèt teneatur servare legem naturalem, sibi sufficienter propositam; non teneri tamen servare invincibiliter ignoratam.

Nec ideo quidquam derogatur providentiæ divinæ: licèt enim ad eam spectet illuminare hominem in iis, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem, non tamen ad eam spectet illuminare in omnibus aliis, aliàs utique id faceret. Et quamvis facienti, quod in se est, non deneget gratiam ad salutem necessariam, non tamen semper confert cognitionem veritatis eò non necessariæ. Cur autem id non faciat, quis investigabit? Reliquit in nobis, per Baptismum justificatis, rebellionem concupiscentiæ ad occasionem victoriæ, & meriti, ùt docet Trid. Cur non relinquat igno-

rantiam aliquorum, etiam, quæ sunt juris naturæ, ad majorem nostram humiliationem, frequentioremque ad eum per orationem recursum.

QUÆSTIO IV.

An Deus Legem naturæ immutare, aut in ea dispensare possit?

134. *Immutare non potest, manente materia.* Resp. 1. Legem naturæ, manente ejus materiâ, & circumstantiis, Deus immutare non potest, desinendo nempe præcipere, quæ præcipi, & vetare, quæ vetari necesse est ad honestè, decenterque vivendum seu servandum debitum in Republica rationali ordinem. Ratio est, quia perfectiones divinæ exigunt, ut Deus creaturam, à se conditam, sapienter sanctèque gubernet, & in finem, ad quem creavit illam, ordinatè dirigat; hoc autem non faceret, si legem naturæ immutaret, & desineret præcipere, quæ præcipi; & vetare, quæ vetari necesse est ad honestè decenterque vivendum, ordinemque debitum in Republica rationali servandum. Uti, si non præciperet suî cultum & amorem; si non vetaret hæresin, infidelitatem, blasphemiam, homicidia, furta, comessationes, ebrietates, & alia hujus generis: ità enim tribueretur illi inversio ordinis debiti, quem creatura rationalis servare debet erga Deum, erga proximum, erga seipsam.

135. *Nec propriè in ea dispensare directè.* Resp. 2. Neque potest Deus directè, proprièque dispensare in lege naturali. Ità Suar. & alii contra alios, quoad modum loquendi tantùm dissentientes. Ratio est, quia propriè, directeque dispensare in lege, est authoritate,

ritate, & vi potestatis legislativæ, aliquem, vel aliquos in casu quodam eximere ab obligatione legis, manente ejus materiâ, & obligatione quoad subditos, vel casus alios; hoc autem Deus facere non potest in lege naturæ, quia sic eximeret ab obligatione faciendi, vel vitandi, quod perfectiones divinæ, rectusque ordo universim exigunt præcipi, vel vetari, suntque ad honestè decenterque vivendum, necessariò facienda, aut vitanda; adeoque desineret esse sapiens, sanctusque Gubernator creaturæ rationalis. Quod implicat.

Resp. 3. Neque potest Deus etiam indirectè dispensare in lege naturæ quoad ea, quæ intrinsecè mala sunt absolutè & independenter ab omni circumstantia; secus est de iis, quæ mala quidem sunt intrinsecè: non tamen absolutè; sed ratione alicujus conditionis & adjuncti auferibilis, vel periculi variabilis secundùm dicta n. 32. 136. *Nec in quibusdam indirectè.*

Ratio 1mæ partis est, quia, quæ sunt absolutè intrinsecè mala, ùt blasphemia, perjurium, hæresis, sodomia, bestialitas, &c. pro omni casu retinent malitiam objectivam, adeoque dedecent naturam rationalem; talia autem Deus, salvâ sapienti gubernatione, permittere non potest, sed ex amore suarum perfectionum determinatur ad ea prohibenda. Et idem est de iis: quæ à creatura rationali fieri exigit recta gubernatio.

Ratio 2dæ partis est, quia in iis Deus immutando materiam, vel conditionem, aut circumstantiam, cui substant, & ratione cujus intrinsecè mala sunt, exiguntque prohiberi, facere potest, ut absit malitia objectiva. Declaratur in Exemplis: Nam jure naturæ illicitum

est, auferre rem alienam, invito rationabiliter domino, innocentem occidere, plures simul habere uxores; potest tamen Deus alicui dare jus in rem, & vitam alterius: potest alicui dare potestatem, jus sui corporis inadæquatè tantùm transferendi in singulas uxores: sicque facere, ut rem antè alterius liceat auferre, alium occidere, plures simul habere uxores. Et sic Deus in lege veteri dedit Israëlitis potestatem spoliandi Ægyptios, Patriarchis habendi plures uxores, Abrahamo potestatem immolandi filium suum Isaac. Imò fieri potest, ut lex naturalis quoad ea, quæ ex circumstantia, & non absolutè intrinsecè mala sunt, cesset ex humana potestate, aut ob necessitatem, vel ob bonum commune. Sic homo solutus, ineundo Matrimonium, facit, ut ipsi liceat copula, antè illicita. Sic, quamvis jure naturæ illicitum sit currere cum venerabili Sacramento; id tamen in necessitate licet. Similiter, quamvis jure naturæ illicitum sit Matrimonium inter fratrem, & sororem ob reverentiam, sanguine proximè conjunctis debitam, tamen id licuit primis Adæ liberis ob bonum commune generis humani: in his enim casibus ista non repugnant rectæ gubernationi: unde lex naturalis sæpe respicit certas circumstantias, iisque cessantibus cessat obligare.

Ratio 3tiæ partis est, quia, ubi lex naturæ prohibet tantùm ratione periculi, vel scandali, potest Deus periculum illud amovere, & scandalum impedire, atque ità facere, ut, quod aliàs rectæ gubernationi repugnabat, non repugnet amplius.

Dices. Non apparet, cur Deus non possit dispensare in lege prohibente mendacium & for-

fornicationem ; atqui illa esset dispensatio directa, quia faceret, ut locutio contra mentem, & copula cum soluta, seu extra Matrimonium, manens talis, esset licita. Resp. In lege prohibente mendacium Deus dispensare non potest, etsi in particulari casu damna impediret, & homo renuntiaret juri, ne decipiatur, aut Deus illud auferret. Ratio est; quia, si Deus facere posset mendacium licitum, posset illud suadere, aut permittere Prophetis suo nomine loquentibus, hosque ad illud determinare, atque ità facere, ut ipsi non deberetur summa fides: quod ejus veracitati, summam fidem exigenti, repugnat. Fornicatio objectivè & intrinsecè mala est, tum, quia illius licentia summam in Rempublicam humanam induceret confusionem, obesset educationi prolium, dum nec parentes proles, nec hæ parentes noscerent; tum, quia Deus ob bonum commune nulli dedit jus in suum vel alterius corpus in ordine ad generationem, extra statum Matrimonii. Hæc mala si Deus in casu particulari impediret, conferretque jus mutuum in corpora, jam copula non esset fornicatio, nisi, ùt ait S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 5. ad usum loquendi communem. Proinde Deus non dispensaret directè in lege naturali, sed indirectè tantùm. Exigit autem recta gubernatio, ut citra specialem Dei dispensationem fornicatio universim prohibeatur, ne, si in aliquo casu liceret, homines sibi casus fingerent, in quibus eam licitam ducerent, sicque confusio in Republica humana sequeretur.

QUÆSTIO V.

An in Christi Ecclesia sit potestas, aliquando dispensandi in lege naturali indirectè?

137. *In quibusdam indirectè.* Resp. Est in ea potestas in quibusdam, quæ spectant ad legem naturæ dispensandi indirectè, non est tamen potestas illa universalis, etiam in quibus dispensare indirectè potest Deus. Colligitur ex Scriptura: Nam Matthæi 16. Christus dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quòd autem illa potestas se extendat ad aliqua, quæ pertinent ad legem naturæ; non verò ad omnia, constat ex perpetua praxi Ecclesiæ. Et ratio est; quia conveniebat, ut in Ecclesia esset potestas dispensandi in quibusdam magis frequentibus; non verò in omnibus. Hinc potest Pontifex dispensare in votis, juramentis promissoriis, matrimonio rato, nondum consummato; non verò in impedimento consanguinitatis in primo gradu, Matrimonio consummato, quod significat perfectam perpetuamque conjunctionem Christi cum Ecclesia. Neque tamen Pontifex relaxando vota, juramenta promissoria, directè dispensat in lege naturæ, quia non facit; ut iis manentibus liceat contravenire, sed loco Dei desinit acceptare promissionem. Similiter, dum dispensari dicitur in residentia Episcopi vel Parochi, quæ juris naturæ est, dispensatio non est directa in lege naturæ, sed

ſed declaratur, hìc & nunc legem illam non obligare.

QUÆSTIO VI.

Quæ circa Legem Dei poſitivam in genere ſint obſervanda?

Reſp. Sequentia. 1mò. Etſi leges poſitivæ magìs propriè tales ſint ſolùm circa materiam liberam, quæ ex natura nec prohiberi, nec præcipi exigit; lex tamen poſitiva etiam dicitur, quâ ea, quæ legis naturæ ſunt, quoad modum promulgandi, liberè præcipiuntur, vel prohibentur; ſic præcepta Decalogi, etſi naturalia ſint, quatenus circa materiam neceſſariam, & per lumen naturæ intimantur; poſitiva tamen dicuntur, quatenus liberè à Deo verbo externo per Moyſen primùm & deinde per Chriſtum publicè ſunt promulgata. Unde lex poſitiva divina etiam dicitur, quæ aliter promulgata eſt, quàm per lumen naturæ, ſive id factum ſit voce externâ, ſive ſcripto, ſive alio ſigno externo. 138. *Lex natura quando poſitiva dicatur?*

2. Fuerunt ejuſmodi leges in omni naturæ humanæ ſtatu; nam 1. In ſtatu innocentiæ primis parentibus lex lata erat de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Quæ an tranſitura fuiſſet ad poſteros, adeoque lex, vel potius præceptum fuerit ſpecificè acceptum, incertum eſt. Deinde in ſtatu naturæ lapſæ ab Adamo uſque ad Moyſen fuit tum lex prohibens eſum carnis cum ſanguine, utì colligitur ex Geneſis 9. etſi ſecundùm communem ſententiam eſus carnis fuerit licitus; tum lex præcipiens uſum remedii

pro

pro tollendo peccato originali, tum lex præcipiens familiæ Abrahæ circumcisionem. Hinc quando dicitur, tunc duntaxat fuisse lex naturæ; Sensus est, quòd non fuerint leges illæ multæ, per Moysen promulgatæ, & literis consignatæ; sed paucæ per traditionem acceptæ, & conservatæ.

3. Lex vetus, quæ & vetus testamentum dicitur, est congeries ex multis legibus positivis, à Deo latis, per Angelos Moysi traditis, ab eoque promulgatis ad populi Israëlitici bonum, tum spirituale, tum corporale, eumque per se obligantibus ad plurima, ad quæ etiam lege naturali erat obligatio. Dividebatur autem lex vetus in præcepta moralia, quæ ad mores; & ceremonialia, quæ ad cultum Dei externum certo modo peragendum; & in judicialia, quæ ad politicum regimen spectabant. Erat quidem lex illa imperfecta negativè, id est, minùs perfecta, quàm lex nova; non erat tamen imperfecta positivè, quia ad nullum malum morale inducebat; nec imperfecta privativè, quia illi nulla perfectio, pro statu illo ipsi debita, deerat.

4. Lex vetus nunc cessat, uti constat, ex Apostolo ad Rom. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Et cap. 10. *Finis legis Christus est.* Tenemur tamen adhuc Præceptis Decalogi: utpote legibus naturalibus, & à Christo de novo promulgatis. Excipe determinationem Sabbathi ad cultum Dei specialem. Tenemur quoque adhuc aliquos ritus veteris legis observare, non quatenus fuerunt ritus illius; sed quatenus ab Ecclesia & Apostolis sunt præscripti.

5. Cessavit autem lex vetus non ante, sed per

per mortem Christi, quia Christus legem Circumcisionis, Oblationis in templo, esûs Agni Paschalis observavit; per mortem autem suam testamentum suum novum confirmavit, & consummavit; adeoque vetus, quod per sacrificia animalium, quæ erant figura mortis Christi, confirmatum fuerat, abrogavit. Non fuit tamen illicitum statim à morte Christi, uti ceremoniis legis veteris, velut ritibus ad cultum Dei pertinentibus, vel præcisè tanquam significantibus mysteria Christi, quem Apostoli prædicabant, jam advenisse; sed illicitum erat illis amplius uti, velut necessariis ad salutem, & figuris Christi, adhuc venturi: hoc enim fuisset grave mendacium in materia fidei. Priore sensu iis usus est Apostolus Paulus, dum Timotheum circumcidit Act. 16. dum se ritu Judaico purificavit. Act. 21. Dum sibi comam more Nazarenorum totondit. Item S. Petrus, dum more Judæorum abstinuit à certis cibis, ut facilius Judæos lucrarétur, ob quod tamen, uti habetur ad Galatas 2do reprehensus est à S. Paulo, tanquam exempli non satis cauti: Paulus enim docuerat, observationem veteris legis non amplius esse necessariam, & Petrus dabat occasionem, opinandi contrarium, qui ipsius error erat facti, non doctrinæ ad universam Ecclesiam directæ.

6. Lex nova est congeries præceptorum seu legum, quas Christus Dominus noster toti generi humano dedit, ut remissionem peccatorum, & vitam æternam consequeretur: nam leges merè positivæ à Christo latæ, ad fidem, Sacramenta, & Sacrificium Missæ, quæ sunt fundamenta religionis Catholicæ, pertinent. Proinde debent esse immutabiles, ne iis mutatis

tatis substantialiter mutaretur religio. Hinc Summus Pontifex, Christi Vicarius, non potest in ulla Christi lege dispensare, ut unitas, constantiaque Ecclesiæ in fide cultuque divino conservetur. Dicitur autem lex Christi novum testamentum; quia post priorem Dei ordinationem continet ultimam Christi voluntatem, morte ejus confirmatam: complectiturque triplicia præcepta, nempe moralia Decalogi, à Christo renovata: dein præcepta Fidei, Spei, & Charitatis: denique Sacramentalia, & Ceremonialia, quæ ad Sacramentorum administrationem, & susceptionem pertinent. Quòd hæc obligent in conscientia, sintque servatu possibilia, de fide est contra Hæreticos.

7mò Denique lex nova saltem ex parte cœpit obligare Jerosolymis existentes in Pentecoste, quando S. Petrus illam ipsis solenniter promulgavit; alios autem, quando postmodum illis fuit sufficienter proposita.

CAPUT III.

De causa efficiente, & materia legis humanæ.

QUÆSTIO I.

Quinam leges humanas ferre possint, & quibus?

139. *Superior, sed non omnis.* *Resp.* 1mò. Leges, per se loquendo, possunt suis ferre subditis omnes, & soli, qui præsunt perfectæ communitati, cum authoritate publica, & eminentiâ super alios ad eorum

rum regimen, & gubernationem. Ratio est; quia sicut debent ad rectum servandum in Repub. humana ordinem, communemque ejus felicitatem promovendam, & tuendam esse Superiores, qui ei præsint; sic necesse est, eos habere potestatem ferendi leges, sine quibus nec uniformitas, nec constantia servari, nec bonum commune promoveri, uti debet, potest. Cùm autem omnes naturâ simus æquales, & liberi; necesse est, ut, qui leges fert, potestatem habeat, vel à Deo immediatè, vel à communitate, aut alio Superiore. Dixi 1mò. *Per se loquendo*, quia potestas ferendi leges posset aliquando esse impedita per censuram v. g. excommunicationis, vel suspensionis ab officio, quo minùs in actum secundum, seu exercitium validè, aut licitè prodire possit. Dixi 2dò. *Suis Subditis*; quia nemo habet potestatem, nisi in subditos, & circa res suæ potestati subjectas. Hinc deduco sequentia.

1mò. Leges Ecclesiasticas universales pro tota Ecclesia ferre potest solus Papa, & Concilium generale, cum ejus consensu; quia soli Papæ à Christo data est potestas in totam Ecclesiam, omnesque Christi fideles, tanquam Divi Petri in primatu successori, ùt constat ex Joannis 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas:* & Matthæi 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et hâc potestate, utpote immediatè à Christo profectâ, Pontifex privari non potest etiam à tota Ecclesia. 140. *Corollaria. Quis Ecclesiasticas?*

2dò. Leges particulares condere potest Concilium nationale pro tota natione, & Provinciale pro sua Provincia.

3tiò. Legatus Apostolicus pro sua Provincia, & quidem valituras, etiam finitâ ejus legatione.

4tò. Episcopus pro sua Diœcesi: Archi-Episcopi autem, Primates, & Patriarchæ extra Concilium pro sua tantùm Diœcesi, non verò pro Diœcesibus suorum Suffraganeorum, & Episcoporum, sibi subjectorum: v. g. Archi-Episcopus Trevirensis pro Metensi Diœcesi: etsi possint Episcopos sibi subjectos visitare, eorum errores corrigere, appellationes ab ipsis ad se factas admittere, Synodos Provinciales cogere, iisque præsidere.

5tò. Qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ùt quidam Abbates pro locis sibi subjectis.

6tò. Ordines religiosi, qui non tantùm habent potestatem dominativam in suos, ratione voti obedientiæ, sed etiam jurisdictionem, à Papa concessam Cap. 7. de statu Monach. Non tamen, nisi in Congregatione Generali. Ordo Fœminarum, juxta aliquos, statuta conventionalia etsi possit condere, quæ obligent vi voti obedientiæ; leges tamen propriè dictas condere non potest, eò quòd sit incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ: sed contradicunt alii. An Capitulum Cathedrale, sede Episcopali vacante, ferre possit leges pro tota Diœcesi, dubium est. Affirmant probabiliter aliqui cum Castrop. quia succedit in totam jurisdictionem Episcopi; negant alii. Sic & Concilium Generale, vel Congregatio Cardinalium, mortuo Papâ, leges ferre non potest pro tota Ecclesia, quia potestas illa tantùm Petri Successoribus data est.

7mò. Abbatissa, etsi leges ferre non possit;

poteſt tamen ferre præcepta, quia habet juriſdictionem præcipiendi & coërcendi, uti habere poteſt Laicus in Ordine S. Franciſci. Exſpirant tamen illa ejus morte.

8vò. Leges civiles ſancire poſſunt, tum Imperator pro toto Imperio, vel ſolus, uti olim, vel cum conſenſu ſtatuum, uti hodie. Patet ex variis Imperii receſſibus, quibus tamen non impeditur, quò minùs leges ſolus ferre poſſit pro regnis, & provinciis pleno jure ſibi ſubjectis; tum quilibet Rex pro ſuo regno, & Duces, ac Principes ſupremi, id eſt, Superiori non ſubjecti, pro ſuis provinciis, idque vel ſoli, vel cum conſenſu procerum, ſecundùm ſtatuta regni, vel provinciæ; tum reſpub. libera Superiorem non agnoſcens, pro ſuis ditionibus. Ratio horum omnium eſt, quia prædicti præſunt perfectæ communitati, ad quam convenienter regendam neceſſaria eſt poteſtas efficaciter ſtabiliter ſtatuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt, & curandi, ut obſerventur, puniendo, & coërcendo improbos, & inobedientes, omneſque in officio continendos. *Quis Civiles?*

9nò. Principes merè Eccleſiaſtici non poſſunt ferre leges, niſi de rebus ſpiritualibus, & ad regimen Eccleſiaſticum; Sæculares verò non niſi de rebus temporalibus, & ad gubernationem politicam pertinentibus; Principes ſæculares tamen poſſunt, & debent fidem, Eccleſiamque tueri, & curare, ut ejus leges à ſubditis ſerventur; quia, ùt ait Trid. Seſſ. 25. Cap. 20. illos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit. Dixi: *Merè Eccleſiaſtici*; Nam ſi ſint ſimul in temporalibus Principes, ſicque habeant juriſdictionem etiam *De quibus rebus?*

temporalem; leges etiam civiles ferre possunt, sed non nisi pro ditionibus, in temporalibus sibi subjectis. Unde Pontifex leges civiles ferre non potest pro toto Imperio, uti nec Imperator pro regnis sibi non subjectis. Hinc hæc non tenentur iis, nisi eas adoptaverit Supremus Princeps, vel consuetudo receperit. Denique nemo potest ferre legem contra legem sui Superioris sine hujus consensu, v. g. Episcopus contra legem communem, vel Papæ, multò minùs contra legem Dei, quia eò se non extendit potestas subjecta. Dixi: *Sine hujus consensu*; nam Princeps, & status Imperii pro suis territoriis possunt cum consensu tacito Imperatoris ferre leges juri positivo communi contrarias.

QUÆSTIO II.

An Legislator humanus possit præcipere quoscunque virtutum actus?

141. Resp. Potest præcipere imò multa, vel vetare, aut etiam irritare, quæ nec lege naturali, nec positivâ divinâ præcepta, vel vetita sunt. Ratio est; quia potestas legislativa hominibus concessa est, ut statuant ea, quæ ad bonum commune necessaria, vel utilia sunt; multa autem utilia, multa etiam quodammodo necessaria sunt, quæ nec per legem naturalem, nec divinam positivam statuta sunt.

Quæ ad bonum commune, suæ potestati respondens, sunt necessaria, vel utilia.

2dò. Potest præcipere omnibus illos virtutum actus, qui ad bonum commune expediunt, & ordinariæ facultati communitatis accommodati sunt. Similiter potest prohibere actus malos bono communi noxios: nam potestas legis-

legislativa hominibus data tantam habet latitudinem, quantam postulat bonum commune, propter quod data est: finis enim est mensura eorum, quæ sunt, & requiruntur ad finem. Unde Legislator sæcularis humanus solùm potest præcipere, quæ sunt ad finem suæ potestatis, seu regimen politicum. Ecclesiasticus verò solùm, quæ sunt ad bonum spirituale. Hoc autem possunt in omni casu, quo prudenter judicant, sibi non deesse ad id potestatem; quia hoc eum posse postulat recta gubernatio: aliàs enim daretur subditis licentia Superiorum jussa detrectandi, quæ multum officeret rectæ gubernationi, & bono communi.

Non tamen moraliter impossibilia.

3*tiò.* Non potest Legislator humanus per se loquendo, & ordinariè præcipere actus valde difficiles, seu moraliter impossibiles. Ratio est; quia lex humana debet esse utilis bono communi, ad quod ordinatur; talis autem non esset, si præciperet actus moraliter impossibiles, id est, valde difficiles toti communitati, vel saltem majori ejus parti: nam lex talis à paucis observaretur, ac proinde esset potiùs in ruinam, quàm ædificationem, & non accommodata hominum conditioni, utì si esset observatio ejus conjuncta cum periculo mortis, mutilationis, amissione famæ, aut magnæ partis bonorum temporalium.

Dixi 1mò. *Per se loquendo*: Nam factâ hypothesi voluntariâ subditis, res difficiles lege humanâ præcipi possunt: sic Ecclesia præcipit castitatem perpetuam iis, qui sacros ordines volunt suscipere; & graviter delinquenti gravis pœna subeunda imponi potest; & Religiosi ex regulis, sponte susceptis, tenentur ad ardua.

Nisi bonum commune aliud exigat.

Dixi 2dò. *Ordinariè*; Quia in casu, quo id exigit bonum commune, aut legis violatio cederet in contemptum Dei, religionis, &c. Lex humana obligat cum periculo etiam vitæ; tum quia bonum commune fidei, religionis prævalet privato; Ad bonum autem commune plus confert servari totum, religionem non contemni, scandalum commune omitti, quàm servari vitam privati; tum quia in quavis communitate perfecta est potestas ad ejus conservationem, bonumque commune necessaria: Deus enim, ùt auctor naturæ, cujuslibet communitatis civilis gubernationi, & communi bono, & Christus bono, rectoque regimini Ecclesiæ sufficientissimè providit; ergo in quavis communitate perfecta est potestas præcipiendi actus ad ejus conservationem, & bonum commune necessarios, quamvis aliunde periculum sit annexum vitæ, cùm æquum sit pro salute totius partem periculo objicere. Sic potest Episcopus tempore pestis obligare Confessarios, & Magistratus Medicos, ut maneant in civitate, hos, ut animabus, illos, ut corporibus consulant: Dux milites ad servandam stationem, ad irruendum in hostem, conscendendos muros cum certo periculo mortis propter bonum exercitûs, & patriæ. Cæterùm lex humana tum maximè per se obligat cum periculo vitæ, quando hoc per se actui præcepto conjunctum est; quo tamen casu, ut lex justa sit, requiritur, ut res præcepta sit gravis, & necessaria ad conservationem, vel bonum statum reipub. quia respub. non habet dominium, sed solùm convenientem usum vitæ subditorum.

Dixi

Dixi 3tiò. *Legislator humanus* : Nam lex naturalis, quando tales actus jubet, vel vetat, obligat cum periculo etiam vitæ; quia est de necessariis ad honestè se habendum, ordinemque debitum servandum. Sic nullo casu licet mentiri, aut omittere, quod absolutè necessarium est ad salutem, quia salus æterna omnibus est temporalibus anteponenda. *Aut lex sit simul naturalis.*

QUÆSTIO III.

An Legislator humanus possit præcipere actus internos?

Resp. 1mò. Potest præcipere actus mixtos ex internis, & externis: nam de facto præcipit veram orationem, devotam auditionem Sacri, fructiferam Communionem Paschalem, Votum, Juramentum, Contractum validum, &c. Hæc autem non habentur sine actibus internis, proin & hos directè præcipit: qui enim præcipit totum, directè præcipit omnia ejus essentialia constitutiva, à subdito ponenda. Actus merè internos posse præcipi negat communior; attamen 142. *Ejus potestati subsunt actus mixti.*

Resp. 2dò. Potest quoque Legislator humanus Ecclesiasticus lege tantùm directivâ, seu obligante tantùm sub culpa, & non sub pœnâ, ab homine infligendâ, directè præcipere vel prohibere actus merè internos. Ratio est; quia Ecclesia à Deo potestatem accepit præcipiendi, & prohibendi in bonum spirituale animarum: ergo etiam præcipiendi, & prohibendi lege, merè directivâ, actus merè internos; tum quia hæc potestas confert ad directionem animarum, & cùm favorabilis sit, 143. *Imò & merè interni, quatenus lex est directiva.*

ampliandа est; tum quia ad talem legem ferendam non requiritur potestas cognoscendi, judicandi, puniendi transgressores in foro externo.

144. *Vel merè internè coactiva.* Resp. 3tiò. Potest etiam Legislator Ecclesiasticus lege tantùm internè coactivâ, id est, obligante sub pœna ipso facto incurrenda, directè præcipere, & prohibere actus merè internos. Ratio est tum jam data, tum quia, ut pœnæ ipso factò incurrantur, non requiritur sententia Judicis declaratoria criminis, vel pœnæ: sic enim de facto incurruntur censuræ; tum quia Ecclesia de facto prohibuit sub pœna excommunicationis praxin hujus propositionis: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali*: ubi prohibet omissionem merè internam. Tum denique sic prohibet actum mixtum ex in- & externo etiam occulto, v. g. homicidium voluntarium sub excommunicatione, ipso facto incurrendâ, cur sic non possit prohibere hæresin merè internam? Dixi: *Legislator Ecclesiasticus*; quia potestas civilis spectat tantùm politicam, & externam gubernationem.

145. *Non tamen quatenus coactiva externè.* Resp. 4tò. Non potest tamen præcipere, vel prohibere actus merè internos per legem externè coactivam, id est, obligantem sub pœna per Judicis sententiam infligenda, licet possit sic prohibere, vel præcipere actus mixtos. Ratio primæ partis est, quia, ut pœna infligatur à Judice, debet præcedere processus judicialis, qui institui non potest de actibus merè internis. Ratio secundæ partis est; quia de actibus mixtis judicium institui potest; ex actibus enim externis positis prudenter præsumitur actus internus; & ex actûs externi omis-

omissione, omissio actûs interni, quia communiter adesse solet, exigitque bonum commune potestatem præsumendi, ne passim mali se excusent, prætendendo defectum advertentiæ, vel intentionis. Atque ex his facilè solvuntur argumenta sententiæ oppositæ.

QUÆSTIO IV.

An Legislator, vel Superior per legem, vel præceptum ponat actionem præceptam, vel prohibitam in ea virtute, ex cujus motivo, seu fine etiam extrinseco præcipit illâm, vel prohibet?

Nota: Finis legis, vel præcepti est, cujus obtinendi, vel vitandi causâ lex imponitur. Est autem alius universalis, & remotus, qui respectu legis est bonum commune, vel civile, si lex civilis est; vel spirituale animarum, si lex est Ecclesiastica: alius est specialis, & proximus, qui specialiter, & proximè intenditur. Hic dividitur in intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecus est, ad quem lex per se, & ex natura sua ordinatur, estque actio, vel omissio honesta specialiter, vel inhonesta. Finis extrinsecus est, quem ab actione illa, vel omissione distinctum, sibi Legislator præfigit. In exemplis: Finis intrinsecus legis Fidei, Spei, Charitatis est honestas actuum illarum virtutum: Finis intrinsecus legis jejunii est honestas abstinentiæ, seu moderatus usus cibi sub forma præscripta: Finis intrinsecus legis: *Non occides, non mœchaberis, non furtum*

146. *Finis legis.*

facies; est inhonestas homicidii, adulterii, furti fugienda, & honestas omissionis, hæcque primarius. Finis intrinsecus legis particularis, vel præcepti, quod quis sibi imponit, v. g. vovendo Sacrum, vel peregrinationem, est specialis honestas reperta in cultu Dei. Quòd si Superior, v. g. Episcopus præciperet in sua Diœcesi certis diebus jejunium ad avertendam contagionem; finis extrinsecus præcepti foret aversio contagionis. Si voveris jejunium, ut salva stet castitas; finis extrinsecus foret conservatio, vel honestas castitatis. Porrò actio, vel omissio præcepta debet conducere ad finem extrinsecum legis, vel præcepti, aliàs imprudenter præciperetur. Sique in se honestatem, vel inhonestatem non habeat, lex non habebit nisi finem extrinsecum: uti si lex ferretur, ne quis de nocte arma ferat, vel domo exeat ad vitandas rixas. Ex quo patet, quòd finis legis intrinsecus sit idem cum materia legis; finis verò extrinsecus sit ab ea distinctus. Hoc notato, ad quæstionem.

147. *Fit materia necessaria.* Resp. Si Legislator, vel Superior ità intendat, facit per legem vel præceptum, actionem, vel omissionem legi, vel præcepto substantem, materiam necessariam illius virtutis, ex cujus motivo etiam extrinseco præcipit, & transgrediens legem contrahit speciem malitiæ contra virtutem, ex cujus motivo Superior præcipit. Ità communissimè Theologi contra Arn. & paucos alios apud La Croix l. 1. n. 625. Ratio est 1mò. Quia lex & præceptum, utpote actus voluntatis specificantur à motivo, seu fine suo, etiam extrinseco; ergo si motivum sit honestas alterius virtutis, actio præcepta, vel prohibita

bita ad illam pertinet , non secus , ac pertinet ad illam virtutem , ex cujus motivo vel fine intrinseco præcipitur , adeoque peccans contra præceptum, aliam specie malitiam contrahit ; quia ubi sunt leges specie diversæ , transgressio aliam specie malitiam habet. 2*dò*. Lex præcipiens pro fine habet non tam obedientiam , quàm bonum subditorum ; bonum autem subditorum est prosecutio honesti , & fuga inhonesti : unde lex intendit honestatem illius virtutis applicare , ex cujus amore fertur ; quam proinde sub obligatione prosequendam suscipiunt subditi. 3*tiò*. Carnes comedere die Veneris , laborare serviliter die festo , permutare beneficia Ecclesiastica propriâ authoritate per se nulli virtuti repugnant , & tamen suppositis jam præceptis primum est contra abstinentiam , reliqua duo contra religionem , non alio ex capite , quàm quia primum prohibetur ex motivo abstinentiæ , duo alia ex motivo religionis : Ergo clarum est, quòd lex materiam præceptam ponat in ea virtute , ex cujus motivo procedit , & peccans contra illam , alterius speciei contrahat malitiam.

Dixi in responsione : *si id intendat* : nam si pro lege , vel præcepto sit materia indifferens, adeoque desit motivum , vel finis intrinsecus, etsi tunc soleat intendere finem extrinsecum (quanquam posset præcipere ex solo motivo obedientiæ) si tamen adsit simul finis intrinsecus ; tunc , si extrinsecum non intendat, non ponit rem præceptam in materia illius virtutis, quia actus non extendit se ultra intentionem agentis. Imò etsi intendat , non ideo obligabit ex illa virtute , sed insuper re-

quiritur 1*mò*, ut declaret se præcipere ex illo motivo, nisi sit aliunde notum ; alioquin actus præsumitur præcipi tantùm ex motivo intrinseco, si hoc adsit ; quia hoc frequentius, & connaturalius est. Sic jejunium non præsumitur præcipi, nisi ex motivo temperantiæ, seu abstinentiæ. 2*dò*. Ut velit obligare ad illam virtutem, & rem præceptam facere materiam necessariam illius virtutis (nisi fortè constet non posse ad aliam virtutem pertinere) alioquin enim non est obligatio illius virtutis apud subditum. Sic quamvis Ecclesia præcipiat jejunium in vigilia Nativitatis Christi ex motivo etiam extrinseco religionis : nempe in honorem Christi, quia tamen obligationem illam aut non imponit, aut non manifestat, hinc qui illo die non jejunat, peccat solùm contra abstinentiam. Ex dictis resolves.

148. *Duplex malitia.* 1*mò*. Si præcipiens, duplicis virtutis motivo ductus, ponat actionem, vel omissionem in duplicis virtutis materia necessaria, transgrediens præceptum, vel legem, duplicem malitiam contrahit : utì si jejunium præciperet ex motivo abstinentiæ, & castitatis, & intenderet, id facere utriusque virtutis materiam sub obligatione servandam. Dixi : *Si præcipiens ponat &c.* Nam multi apud La Croix l. 1. n. 628. putant, quòd imponens præceptum particulare, pro fine principali habeat solam honestatem obedientiæ. Econtra Castrop. de peccatis D. 3. p. 3. n. 12. Dicast. de Pœnit. D. 9. n. 487. aliique dicunt, potiùs habere pro fine honestatem alterius virtutis, ad quam actio præcepta pertinet, vel ex cujus motivo ponitur præceptum : prima sententia videtur ordinariè vera.

2*dò*.

2dò. Qui vovet hodie jejunare, cras audire Sacrum, vultque materias illas ponere, primam intra materiam temperantiæ, & alteram intra materiam necessariam religionis, non jejunando, peccat contra abstinentiam, non audiendo Sacrum, contra religionem, adeoque non satisfacit confitendo: bis violavi votum in materia gravi; si autem, ùt ordinariè fit, pro fine tantùm habeat fidelitatem erga Deum, seu intendat tantùm se obligare ex fidelitate; ejusdem speciei peccata admittit, & satisfacit dicendo: violavi votum bis in materia gravi: quamvis enim posito voto, Deus illud præcipiat servari; tamen non præcipit, nisi, ut promissioni respondeat, & sit fidelis. Ut pluribus explicat Dicast. supra, putatque Suar. de voto l. 5. cap. 3. n. 13. Castrop. Tr. 15. D. 1. Puncto 2. n. 8. Illsung Tr. 5. n. 105. quòd vovens non possit facere, ut illud, quod vovet, sit materia necessaria illius virtutis, ex cujus motivo vovet; quia vovens propriè non imponit sibi legem; sed solùm ponit actum, quo posito lex naturalis, & divina obligat tantùm, ut promissum impleat, & sit fidelis; non verò præcipit illam honestatem, quam intendit vovens. Sed contradicit Sanch. in Decalogum l. 4. Cap. 11. n. 13. & alii, quia si ex amore melioris boni velit se obligare ad talem materiam propter honestatem talis virtutis, Deus voluntatem acceptat, & informat lege suâ, sicque facit, ut obliget in conscientia.

An de voto idem sit, quod de præcepto.

3tiò. Si Superior religioso suo subdito, ad castitatem tutiùs conservandam, prohibeat aspectum per fenestram in plateas; religiosus prospiciens peccat contra castitatem, quia negligit medium, conducens ad castitatem meliùs tuen-

tuendam imperatum. Absente tamen periculo peccaret tantùm leviter, quia tunc aspectus non esset materia nisi absolutè levis, quæ irrationabiliter prohiberetur sub gravi. Et in materia castitatis, per accidens tali, potest dari parvitas materiæ, ùt & in materia periculi contra illam peccandi, cui quis se exponit: talis tamen religiosus prospiciendo non esset luxuriosus, quia non poneret actum ex natura sua, oppositum castitati; esset tamen incastus actu per accidens tali, sicut non prospiciendo esset castus, actu per accidens, & ex lege tali: utì qui die jejunii moderatè comederet carnes, esset intemperans, etsi moderata comestio temperantiæ per se non repugnet.

QUÆSTIO V.

Quæ materia legis, vel præcepti dicatur gravis, & quæ levis?

149. *Gravitas materiæ exponitur in se, & exemplis.* Resp. Materia gravis est, quando finis legis proprius est magni momenti, & illa ad ipsum multùm conducit, aut valde obest, etsi de se sit quid leve; levis verò, si finis legis proprius non sit magni momenti, vel materia illa ad illum parum conducat, aut parum illi obsit. In exemplis 1*mò*. Comestio pomi in paradiso, licet de se levis; attamen gravis erat ratione finis à Deo intenti per legem: nempe ut homo suam subjectionem, & dependentiam à Deo profiteretur. 2*dò*. Ingressus viri in claustrum monialium, & egressus monialis ex illo, est materia gravis, quia illius omissio multùm confert ad avertenda mala. Si tamen vir illud ingrederetur, vel monialis egre-

egrederetur ad duos tantùm pedes ; & ſtatim rediret, materia eſſet levis, peccareturque tantùm venialiter, quia finis legis eſt cavere pericula, & occultare Moniales, velut mundo mortuas, contra quem hìc non ageretur notabiliter. 3. Si Religioſus per diem dimitteret temerè habitum, eſſet materia gravis legis prohibentis ; ſi autem ad horam, eſſet tantùm materia levis, quia finis legis eſt, ne ſic ſe occultando vagetur ; quia per diem autem, non tamen per horam longè vagari poteſt ; in primo caſu graviter, in ſecundo ſolùm venialiter, ratione præcisè habitûs dimiſſi, peccaret. 4. Si lex ob frequentatas rixas prohibeat noctu geſtare arma, hæc obambulando per horam geſtare eſt materia gravis, quia intra illud tempus facilè occurreret occaſio rixæ ; geſtare autem ad breviſſimum tempus, ubi non eſt occaſio rixarum, eſt materia tantùm levis. 5tò. Si Legislator prohibeat ſub peccato efferre fruges, vel arma ex patria, ſemel tantùm efferre juxta Gran. eſt materia levis ; quia finis legis eſt cavere damna ; grave autem damnum Communitatis non eſt efferre ſemel : ſed contra dicit Sanch. in Decalogum l. 1. c. 4. n. 8. quia, licet damnum non ſit grave, eſt tamen res gravis, ſique leviter tantùm prohiberetur, facilè fieret, ut multi ſemel efferrent, ſicque grave damnum cauſaretur, atque ob hoc meritò id graviter prohibetur. Utraque ſententia eſt probabilis, poſtrema probabilior. 6tò. Si Superior præcipiat religioſo ſuo ſubdito, ne vinum bibat in urbe ; media amphora, quæ viro ſufficit in prandio, eſt materia gravis, quia repugnat graviter fini legis. Sicut ſi ſub præcepto

jeju-

jejunii contineretur abstinentia à vino, vel quia vovisset non bibere vinum; media amphora esset materia gravis ex eadem ratione; quarta tamen pars amphoræ, & paulò plus non videtur materia gravis. 7mò. Die jejunii excedere in collatione vespertina ultra alterum ejus dimidium, est materia gravis, infra illud est materia levis, quia id multum, hoc parum detrahit fini legis, qui est maceratio carnis. 8vò. Non miscere aliquot guttas aquæ vino in Sacrificio Missæ, est materia de se levis, sed gravis ratione finis: intendit enim Ecclesia per istam mixtionem significare conjunctionem verbi Divini cum humanitate, & Christi cum Ecclesia, fluxumque sanguinis, & aquæ de latere Christi in Cruce, qui finis gravis est. 9nò. Post haustum aut cibum etiam modicum communicare est materia gravis, quia Ecclesia per præceptum jejunii naturalis vel vult indicare præcedentiam, & eminentiam cibi cœlestis supra cibum corporalem, vel prohibet Communionem sumi à non jejuno. Atque his conformiter discurre de aliis ejusmodi. Vide Castrop. l. 2. D. 2. p. 7. n. 4. Dianam p. 5. tract. 5.

150. *Exponitur paulò aliter.* Aliqui cum La Croix L. v. à n. 250. rectè etiam dicunt materiam gravem esse, quæ vel absolutè, & secundùm se, vel spectatis simul circumstantiis in æstimatione morali est aliquid notabile; levis verò, quæ nec secundùm se, nec spectatis circumstantiis est quid notabile in genere moris. Circumstantiæ autem secundùm dicta n. 35. sunt qualitas personæ operantis, qualitas & quantitas objecti, qualitas loci, medii seu instrumenti, & cooperantis, finis extrinsecus, modus actionis, qualitas & quan-

quantitas temporis, quæ hoc versu comprehenduntur.

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? Vide dicta n. citato.

An autem aliquid sit notabile in genere moris, colligitur ex sequentibus. 1*mò*. Si finis proprius sit magni momenti, & res prohibita, vel præcepta ad illum multùm conducat, materia gravis est, si autem finis proprius legis non sit magni momenti, vel materia ad illum non multùm conducat, erit levis. 2dò. Si res repugnet graviter rectæ rationi, erit materia gravis legis naturalis, secus si repugnet leviter tantùm. 3tiò. Si præcepti vel legis verba intentent pœnam gravem, v. g. mortis, damnationis æternæ, carceris diuturni, exilii, excommunicationis, vel contineant has voces: Væ væ! Materia censetur gravis. Ut & 4tò. Si SS. PP. vel Theologi communiter teneant esse materiam gravem; aut is sit communis sensus fidelium. Item si repugnet graviter charitati Dei, vel proximi, aut suî ipsius: charitas enim, ùt Regina est virtutum, sic norma est legum. Vide La Croix etiam l. 1. à n. 663.

Denique aliqui dicunt, materiam esse gravem, quæ est tertia pars illius totius, quod à lege imperatur: quòd autem minùs est, esse levem. Ast hæc regula, etsi teneat in aliquibus, fallit tamen in plurimis: nam tertia pars matutini Dominicalis, non est tertius Nocturnus: labor servilis per sex horas die festo, non est tertia pars diei naturalis; & tamen est materia gravis. Duo Psalmi Nonæ sunt plus, quàm tertia pars; & tamen sunt materia levis. Multò minùs valet regula Caramuë-

ramuëlis, dicentis, 8vam partem totius esse materiam gravem, & quod minùs est, esse levem: nam si debeas centum, & subducas 10.; non subducis 8vam partem, & tamen 10. sunt materia gravis. Si legas 10. folia in libro Hæretico, habente 100. folia, non legis 8vam partem; & tamen peccas graviter ob materiam gravem. Idem est in multis aliis.

CAPUT IV.

De obligatione Legis humanæ.

QUÆSTIO I.

An Lex humana obligare possit etiam fideles in conscientia, ità, ut transgressio ejus sit offensa Dei, etiam mortalis in materia gravi?

151. *Sub gravi obligare potest lex humana, etiam civilis.* Resp. Affirmativè. Potest sic obligare Lex humana, tam civilis, quàm Ecclesiastica. Est de Fide contra Hæreticos: nam 1. Petri c. 2. dicitur: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, sive Ducibus ... quia sic est voluntas Dei.* Ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est: non enim est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo, qui resistit potestati, etiam civi-

civili, transgrediendo ejus leges, Deo resistit, & damnationem sibi acquirit, ubi materia gravis est: ergo lex humana etiam civilis obligare potest in conscientia sub mortali. Quod à potiori valet de lege Ecclesiastica, patetque ex dictis. *Ratio* autem est, quia recta ratio dictat, suppositâ lege, vel præcepto, obtemperandum esse Superiori, qui jus habet imperandi, & potestatem obligandi etiam sub mortali, exigente id bono communi, & rectâ gubernatione: alioquin enim innumeræ essent transgressiones occultæ, & finis legum non obtineretur.

Nec obstat 1mò. Quòd forum conscientiæ sit forum Dei; in foro autem Dei non videatur posse obligare homo, utpote Deo inferior: Nam homo non obligat ex se, sed ex potestate, à Deo participata, qui omnem humanam legem suâ authoritate informat. *Solvuntur opposita.*

Nec obstat 2dò. Quòd Principes Sæculares non exprimant obligationem in conscientia, sæpè de ea non cogitent, ferendo legem, adeoque eam non intendant. Nam hoc ipso, quòd utantur potestate legislativâ, saltem implicitè intendunt obligare in conscientia, dicendoque: *Mandamus, Præcipimus, &c.* exprimunt obligationem: obligatio enim activa est ipsum præceptum, ùt existens in Superiore; Passiva verò est præceptum, ùt afficiens subditos. Unde obligatio in conscientia essentialiter connexa est cum usu potestatis legislativæ: quæ cùm sit à Deo, obligat pro capacitate materiæ, transgrediensque legem humanam, violat præceptum Divinum Generale, quo jubemur obedire Superioribus, quodque cùm Evangelicum sit, præceptis

Evangelicis non satisfit, nisi obediatur legibus, & præceptis, etiam humanis.

Nec obstat 3. Quòd Jacobi 4. dicatur : *Unus est Legislator, & Judex* : Nam unus est universalis, & supremus Legislator, & Judex, sicut Magister noster unus est Christus. Matthæi 23.

Nec obstant alii Scripturæ textus, ab Hæreticis allegari soliti : Nam, dum dicitur : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, sermo est de libertate à servitute peccati. Dum dicitur : *Lex justo non est posita, sed injustis* ; puta, ad hos terrendos, & coërcendos, non verò ad illum, qui ex amore operatur.

QUÆSTIO II.

Quibus verbis efferantur Leges humanæ in Conscientia obligantes ?

152. *Spectanda verborum significatio.* Resp. 1. Ex communi sententia hæc verba : *Præcipio, mando, impero, jubeo, prohibeo, interdico*, important obligationem, eamque gravem, si materia gravis est : hæc verò *Ordinamus, Sancimus, Statuimus*, obligationem per se non important, sed sunt indifferentia ad legem, consilium, exhortationem, regulam.

2. Verba : *Debet, debent, oportet*, quandoque obligationem, quandoque decentiam, vel convenientiam significant. Idem est de verbo : *Tenetur.*

3. Imperativa : *Fac, abstine, cavete, caveant, abstineant omnes, nemo audeat*, juxta aliquos non necessariò important obligationem ; juxta alios important levem : sed standum

dum est consuetudine regionis, an nempe solita sit lex observari tanquam obligatoria. In Decretis tamen Pontificum, & Conciliorum, ubi materia est gravis, communiter important obligationem gravem. Sic Trid. Sess. 13. cap. 7. per verbum illud: *Confiteatur*, gravem imponit obligationem Sacerdoti, qui contritus celebravit, conscius peccati mortalis non confessi, statim postea confitendi.

4. Si dubium sit, an verba contineant præceptum, vel tantùm consilium, aut adhortationem; censenda sunt non continere præceptum, nisi consuetudo aliud declaret: Similiter, si dubium sit, an verba contineant obligationem gravem, vel levem, censenda sunt, tantùm levem continere: quia libertas est in possessione, & in dubio benigna facienda interpretatio. Si autem verba significent gravem obligationem, & dubitetur, an Superior voluerit graviter obligare; tenendum est, obligare graviter: quia lex est in possessione gravis obligationis, per verba illam significantia. Sed neque tamen verba præceptiva semper indicant præceptum perfectum, obligans sub mortali. Neque AA. quando dicunt, aliquid esse grave peccatum, semper intelligunt esse mortale. Less. in Auct. V. *Relig.* Cas. 4. n. 4. & verbo: *Societas JEsu* Cas. 1. n. 8.

In dubio non censentur esse præceptiva.

QUÆSTIO III.

Quandonam Lex humana obliget sub culpa mortali?

153. *Obligat lex secundùm materiam.*

Resp. Lex humana, sicut & naturalis, & Divina, obligat, per se loquendo, sub mortali

tali in materia gravi, sub levi in materia levi. *Ratio* est; quia, quando Legislator utitur potestate legislativâ, nisi expressè restringat intentionem suam; accommodat se materiæ, & Deus, convenienter ad eam, legem ejus informat. Neque necesse est, ut expressè intendat obligare graviter; sed sufficit, quòd intendat sine restrictione uti suâ potestate, & aliquid grave simpliciter exigat, licèt ignoret, quid sit obligatio sub peccato: quia, cùm potestas Superioris sit à Deo, & jubeat, ut subditi ei pareant, posito præcepto humano circa materiam gravem, hoc ipso oritur obligatio gravis, adeoque sub culpa gravi. Dixi: *Per se loquendo*; quia ad materiam gravem per accidens potest esse tantùm obligatio sub veniali, ùt jam probabitur.

QUÆSTIO IV.

An lex humana possit ad materiam gravem obligare tantùm sub veniali: & materiam levem sub mortali?

154. *Potest obligare ad materiam gravem tantùm sub levi, non verò ad levem sub gravi culpa.* Resp. Lex humana potest ad materiam gravem obligare tantùm sub culpa veniali; ad levem autem tum ex se, tum ex circumstantiis, obligare sub mortali non potest. Prima pars est contra Bellarm. Vasquez, Becan. & alios. *Ratio* nostra est; quia potestas legislativa, quam habet Legislator, est in libera ejus potestate, & materia gravis est capax, ùt supposno, nullius obligationis in actu secundo; ergo potest eâ uti, prout libuerit, obligando graviter, vel leviter: neque enim actus liberè agen-

agentium operantur ultra intentionem eorum. Imò multæ leges Religiosorum in materia gravi v. g. ad Jejunium Ordinis, ad Officium B.V. obligant tantùm sub veniali, & juxta communiorem non est per se obligatio, nisi levis suscipiendi confirmationem.

Nec obstat 1. Quòd lex naturalis in materia gravi nequeat obligare solùm sub veniali : Nam materia gravis legis naturalis ex natura sua repugnat naturæ rationalis recto ordini, & gubernationi graviter, adeoque exigit graviter prohiberi ; secus est de materia legis tantùm positivæ. *Solvuntur opposita.*

Nec obstàt 2. Quòd Deus præcipiat, & ratio naturalis dictet, ut obediatur Superiori : nam id fit proportionatè ad intentionem ejus, qui si tantùm intendat obligare leviter ; non erit nisi obligatio levis.

Pars 2. est communis. Et *ratio est* ; quia recta gubernatio creaturæ rationalis exegit, ut Deus non daret homini potestatem obligandi sub mortali in re, undequaque levi ; fuisset enim potestas illa non in bonum ; sed in perniciem Reip. naturæ rationalis, & innumeris peccatis exposuisset. Quare nec lex naturalis sub gravi obligat in re, spectatis omnibus levi. Deinde lex sic obligans esset irrationabilis, & injusta, proinde nulla in ordine ad obligationem gravem. Dico *gravem*, quia juxta Suar. de Legibus l. 3. cap. 26. n. 6. obligaret sub levi: duo enim diceret : scilicet rem præcipi, & præcipi sub gravi. Primum justum esset, nec vitiaretur per secundum.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆSTIO V.

An Lex, vel Præceptum, fundatum in præsumptione, vel præsumens, obliget in Conscientia, dum præsumptio in particulari casu non verificatur?

155. *Præsumptio quid?* *Nota.* Præsumptio est prudens in re dubia judicium ex indiciis, vel per se, vel per circumstantias cum rei veritate frequenter connexis; vel, est judicium in rebus dubiis per rerum circumstantias frequenter evenientibus; vel: cognitio ex circumstantiis resultans. Cap. *Ex studiis de præsumptione.* Dicitur, *Præsumptio*, quia ante alias probationes aliquid pro vero sumitur. Differt à conjectura; quia hæc potiùs suspicionem denotat, ideoque non probat etiam semiplenè. Est autem præsumptio 1. Alia hominis, quæ ex indiciis & circumstantiis à viro prudente, vel à Judice formatur pro, vel contra aliquem, & non reperitur in jure expressa, ùt si Titius fuit inimicus Caji, & hic reperiatur noctu, præsente Titio, occisus, præsumitur illum occidisse Titius. Alia est Juris, quæ reperitur in Canone, vel lege aliquâ expressa. Sic Jura præsumunt, quemlibet esse bonum, donec probetur malus; semel malum semper esse malum in eodem genere delicti. 2. Præsumptio alia est universalis periculi v. g. fraudum, peccatorum, incommodorum, &c Alia particularis facti, qualitatis, culpæ, negligentiæ, &c. Alias divisiones vide apud La Croix L. 4. à num. 1434. Pichler L. 2. T. 23. v. p. 3. sub n. 450. & 458. His notatis.

Resp.

Resp. Si lex, vel præceptum fundetur in præsumptione particularis facti, culpæ, fraudis, damnificationis, negligentiæ, quæ in particulari casu facta judicatur, non obligat in conscientia, veritate facti non subsistente; si autem fundetur in præsumptione periculi universalis, peccatorum, fraudum, incommodorum, &c. semper obligat in conscientia, etsi hic & nunc per accidens periculum non fuisset, vel certus esses, à te fraudem, culpam, negligentiam non esse commissam. 156. *Non obligat fundata in præsumptione facti particularis.*

Ratio 1mæ partis est; quia, si lex, vel præceptum feratur ex præsumptione facti, culpæ, &c. particularis, & talis præsumptio falsa sit; deficit fundamentum legis, vel præcepti, adeoque & obligatio: neque enim Superior sine fundamento intendit præcipere, ideoque, hoc cessante, cessat voluntas obligandi Superioris. Hinc in Jure dicitur: *Præsumptio cedit veritati.*

Ratio 2dæ partis est; quia, si lex fundetur in communi periculo, fraudis, incommodi, &c. licèt horum nihil in particulari casu fuerit, manet fundamentum legis, pergitque Legislator obligare: exigit enim bonum commune omnes stabiliter obligari; quia aliàs mala non impedirentur efficaciter, cùm sæpe evenire possent, dum non advertitur. Imò multi sibi falsò facilè persuaderent, respectu suî periculum non esse, sicque lex paucos censeretur obligare. Quando autem lex aliqua, vel præceptum fundetur in præjudicio periculi tantùm, seu in eo, quod frequentiùs accidit, vel etiam in præsumptione facti, quod ità esse in re supponitur, non potest certa regula definiri; sed colligendum est, inquit Suar. hic L. 3.

cap. 23. num. 10. ex materia, verbis legis, usu & interpretatione Doctorum. Juvat hic referre tamen aliquas.

Leges fundatæ in periculo cõmuni. 1. Leges fundatæ in periculo communi sunt 1mò. Lex requirens ad valorem Matrimonii præsentiam Parochi, & duorum vel trium testium. 2. Lex requirens ad valorem Testamenti septem testes. 3. Lex præcipiens, ut Matrimonio contrahendo præmittantur proclamationes. Prima enim vetat & irritat Matrimonium ob pericula fraudis, peccatorum & damnorum, quæ ex Matrimoniis clandestinis facilè oriri possunt: hinc illicitum, & invalidum est tale Matrimonium, etsi periculum in particulari casu cessaret. 2da similiter irritat Testamentum ob eandem rationem. 3tia pariter illicitum reddit contractum Matrimonii, etsi sponsis constaret, nullum inter se esse impedimentum, &c.

Leges fundatæ in præsumptione facti particularis. 2. Leges fundatæ in præsumptione facti tantùm particularis, cessantesque obligare, ubi præsumptio falsa est, inter cæteras sunt hæ: 1ma. Lex, vel præceptum post contractum Matrimonium obligans, ad debitum conjugale reddendum, conjugem, qui scit, Matrimonium suum esse nullum v. g. ob impedimentum affinitatis: unde huic non tenetur, imò nec potest obedire. Sic & sententiæ Judicis, te condemnantis ad solvendum, quod scis, te non debere, in conscientia obedire non teneris, nisi fortè ratione scandali; quia sententia illa nititur præsumptione falsâ debiti particularis. Ità Pichler Tit. 2. de Constit. sub num. 19. in fine. Quòd si ratione scandali solvisses, posses uti occultâ compensatione, & injuriam tibi factam repellere, ùt habet communis cum Suar.

hìc

hic L. 3. cap. 23. & L. 5. cap. 10. Neque opus est alterius consensu, adeoque nec contractu ad injuriam repellendam, nec authoritate Judicis, dum hic adiri nequit, ut patet in exemplis pluribus. 2da Lex Novella 1. cap. 2. statuens, ut, qui adiit hæreditatem, non confecto inventario, solvat creditoribus debita etiam emergentia, etsi excedant vires hæreditatis: præsumit enim, commissam esse fraudem, ùt ex cap. citato satis colligitur. Hinc, si hæres bonâ fide processit, & fraudem nullam commisit, in conscientia non tenetur plus solvere, quàm ferat hæreditas. Putant quidam aliqui, legem illam fundari potiùs in contractu tacito, eò quòd adiens hæreditatem, neglecto inventario, censeatur tacitus promittere omnibus creditoribus satisfactionem: verùm, cùm ad omnem contractum requiratur intentio se obligandi; nemo verò in dubio censeatur, se velle obligare cum tam gravi onere, id sine gravi fundamento asseri non debet, præsertim, cùm creditores non minùs accipiant, quàm accepissent, si inventarium erectum fuisset. 3. Lex, quâ Trid. Sess. 25. de Regular. statuit, ut, qui suam in Religione Professionem prætendit esse nullam ob defectum ætatis, aut ob vim sibi factam, si intra quinquennium non contradixerit coram Superioribus, non audiatur: nam, si consensus revera ideo nullus fuit, talis non tenetur votis Religiosis. 4. Lex, quæ post biennium præsumit, illum, qui dedit chirographum acceptæ pecuniæ, illam accepisse: fundatur enim in præsumptione facti particularis, quæ, si non subsistet, lex locum non habet. 5. Lex præsumens decimas spectare ad Parochum. Mitto

plures alias ejusmodi leges, quæ videri possunt Tit. de Præsumptionibus Cap. finali de rest. spoliatorum, &c. Nec reputandæ sunt in foro externo injustæ · licèt enim aliquando ob defectum præsumptæ veritatis materialiter injustæ esse possint, formaliter tamen justæ sunt: spectant enim bonum commune, cui ut consulatur, dum aliæ probationes desunt sufficientes, succurrunt leges fundatæ in præsumptione, quæ est aliqua probationis species.

Forum in- & externum discrepant.

Dices. Juxta axioma, communiter receptum, leges justæ in foro externo, sunt etiam justæ in foro interno, id est, quæ obligant vel deobligant in foro externo, etiam obligant vel deobligant seu absolvunt in foro interno; atqui leges fundatæ in præsumptione sunt justæ in foro externo, & obligatoriæ: ergo etiam in foro interno. Resp. Leges justæ seu obligatoriæ in foro externo etiam sunt tales in foro interno, frequenter aut plerumque, C. Semper, Subd. Sunt obligatoriæ ad aliquid, Conc. Ad omnia, de quibus loquuntur, N. Sub ead. Dist. C. & N. Conseq. Omnis lex importat obligationem ad aliquid. Sic lex purè pœnalis obligat ad pœnam post Judicis sententiam, lex, irritans actum, obligat saltem, ne eum defendas, ùt validum, ut Judex ei vires non tribuat. Lex fundata in præsumptione particularis facti obligat Judicem, ut ei se conformet, & subditum, cui adversatur, donec constet, præsumptionem esse falsam. Hoc ubi constat subdito, cessat eum in conscientia obligare. Similiter lex, decepto infra dimidium in emptione negans actionem, obligat Judicem, ne eam concedat, & deceptum, ut eam non exigat tanquam debitam; at non ab-

solvit

ſolvit ideo in conſcientia illum, qui decepit; ſed propter bonum commune, ne multiplicentur lites, ſi ob quamcunque defraudationem in commercio humano daretur actio; deceptum non permittit agere in judicio. Item Emptori, cui vendita eſt res vitio occulto infecta, non conceditur actio *redhibitoria*, niſi ad ſex menſes, nec actio: *quanti minoris*, niſi per annum; & tamen venditor non ideo dein liber erit in conſcientia. Ità docent Theologi omnes, & Canoniſtæ communiſſimè contra Civiliſtas aliquos. Et meritò. Dictat enim recta ratio, æquum non eſſe, ut quis ex alieno diteſcat, vel ex ſua iniquitate commodum reportet: & aliàs leges injuriis, & fraudibus oſtium innumeris aperirent, ſique vergerent in perniciem Reip. & leges eſſe deſinerent. Vide dicenda p. 3. n. 209. & n. 311.

Quæres, quodnam ſit diſcrimen inter præſumptionem, & fictionem juris?

Reſp. Præſumptio ſupponit veritatem; fictio verò juris, agnitâ etiam falſitate, aliquid ex æquitate ſtatuit. Quare lex fundata in fictione juris, ſi non ſit manifeſtè injuſta; obligat in conſcientia. Sic Canonicus ex legitima cauſa abſens, v. g. in bonum Eccleſiæ habetur pro præſente, debenturque illi fructus. Item ratihabitio actûs retro trahitur fictione juris, & habetur pro mandato, ſi Procurator tuus ſine mandato tuo vendiderit agrum, & tu poſt duos annos venditionem ratam habeas: Emptor etenim fructus à die venditionis facit ſuos etiam in foro conſcientiæ.

157\. *Præſumptio & fictio juris in quo differant?*

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

An, & qualis requiratur promulgatio, ut Lex humana obliget?

158. *Promulgatio pubica.* Resp. 1. Requiritur promulgatio ejus publica, facta communitati, pro qua lata est. Ratio est; quia cùm lex sit communis vivendi regula, data communitati, obligare illam non potest, nisi sit illi sufficienter proposita: nemo enim potest velle dari executioni incognitum, seu velle, ut obediatur legi, non propositæ. Dixi 1. *Publica Promulgatio*, id est, publica intimatio facta, vel voce præconis vel affixione legis scriptæ in loco publico, vel alio simili modo: unde promulgatio differt à divulgatione, quâ nempe legis, jam promulgatæ, notitia extenditur ad plures, vel omnes subditos.

Dixi 2dò. *Facta communitati*; quia lex est præceptum commune, quod fertur communitati; unde & huic promulgari debet, nec quemquam obligat, nisi communitati sit promulgata: particulares enim non obligat, nisi ratione obligatæ communitatis: hinc si Titius sciret legem à Principe conceptam, vel conscriptam, & post aliquot dies promulgandam lege illâ necdum teneretur.

159. *Sufficit facta in curia Principis, exceptâ lege imperatoriâ,* Resp. 2dò. Etsi, ut lex obliget, sufficiat ex natura rei promulgationem ejus fieri in curia, seu civitate, in qua Princeps residet, quia sic in notitiam subditorum venire sufficienter potest; ut tamen leges imperatoriæ ubique obligent, debent in singulis Imperii provinciis publicari. Imò nisi aliud exprimatur, non obligant

ligant in provincia, nisi post duos menses à publicatione ibi facta. Habetur Novellâ 66. estque communis. Idem est de legibus latis à Regibus, & Principibus Imperatori subjectis, quia illi ab Imperatore potestatem non habent ferendi leges, nisi secundùm jus commune Imperii: si autem Principes Imperatori non sint subjecti, spectanda est consuetudo, Jus territorii, & voluntas Principis.

qua in singulis provinciis esse debet promulgata.

Resp. 3tiò. Certum est, post factam Romæ promulgationem, ejusque sufficientem notitiam, omnes Christianos obligari legibus Pontificiis, de materia fidei, legis naturæ, vel Divinæ; nam omnes tenentur credere, quæ de Fide sunt, & servare, quæ sunt juris naturæ, vel Divini, ubi eorum notitiam sufficientem habent. Idem est de Decretis Pontificum, quibus damnantur Propositiones tanquam iniquæ, & scandalosæ, &c. aut reprobatur consuetudo tanquam corruptela, impia, irrationabilis. Item de legibus, quæ concernunt causas beneficiales: Hæ enim vim suam habent à die factæ in Curia Romana promulgationis, & delatæ aliò sufficientis ejus notitiæ, & secundùm illas lites decidi debent, uti docent omnes, habetque praxis.

160. *Secus est de legibus pontificiis.*

Leges autem, quæ in aliis materiis concernunt conscientiam, & feruntur pro tota Ecclesia, vel pluribus Provinciis, v. g. leges irritantes contractum, statuentes casus reservatos, concernentes jurisdictionem Confessariorum, ferentes censuras, revocantes privilegia, & alias similes non obligare in Provinciis ante earum in iis promulgationem, elapsosque duos deinde menses, probabiliter docent Molina, Becanus, Laym. Pichler, & alii, nisi aliud à Papa exprimatur. Præcipuum illorum fundamentum est, quia leges Im-

Imperatoris ante non obligant; Jus autem Canonicum juri civili, ubi aliud non exprimit, se accommodat, dicente Lucio Papa III. Cap. de novi operis nuntiatione: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones; ita & sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*: & Pio IV. in Bulla de observantia Tridentini: *Jure communi statutum est, ut constitutiones novæ vim non habeant, nisi post certum tempus.* Sententia opposita communior, & probabilior est ex hac ratione; quia, ut lex obliget, ex natura rei plus non requiritur, quàm ut in Curia Principis sit publicata, & hujus notitia ad subditos pervenerit, & his positis, obligant etiam leges civiles, exceptis Cæsareis, de quibus Jus Cæsareum aliter disposuit, non verò alii Principes, nec jus Canonicum. Quare si Pontifex, factâ Romæ promulgatione, delatâque ad subditos sufficiente ejus notitiâ, velit obligare, iis omnes Christiani, ubi ad eos sufficiens notitia pervenerit, obligabuntur: Quòd verò Pontifex, nisi aliud exprimat, tunc velit obligare, fert natura legis. Fateor, leges quædam Pontificiæ ab Episcopis justa de causa, & cum consensu Pontificis vel expresso, vel tacito quandoque in quibusdam locis non recipiuntur, adeoque & subditis non innotescunt, aut per consuetudinem abrogantur, atque ita non obligant, nisi Pontifex contradicat; sed hoc per accidens est, uti &, si alicubi habeatur speciale Privilegium, ut non obligent, nisi à Principe, vel Rege recipiantur, & promulgentur, quale Reges suos habere, Galli & Hispani prætendunt, de quo illi viderint.

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

An, ut leges humanæ obligent, requiratur acceptatio, seu consensus majoris saltem partis communitatis?

Resp. Ordinariè non requiritur, sed subditi tenentur acceptare legem justam, sive civilem, sive Ecclesiasticam: damnata enim est hæc ordine 28. ab Alexandro VII. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Et ratio à priori est, quia ex jure naturæ subditus tenetur obedire Superiori, legitimè mandanti; & non acceptando legem resisteret potestati, à Deo ordinatæ, sicque damnationem acquireret, ùt ait Apost. ad Rom. 13. Dein si esset penes populum non acceptare legem justam, cessaret vinculum obedientiæ, desineretque esse subditus, & frustranea in Principe esset potestas ferendi leges, sicque bono communi efficaciter non posset consulere. Dixi 1mò. *Ordinariè*: quia, si quoad quædam Superioris potestas sit imperfecta, & dependeat quoad effectum à communitate, ad obligationem requiritur acceptatio vel communitatis, vel eorum, qui vices illius gerunt; sic in quibusdam regnis & Provinciis, Reges, & Principes non possunt indicere tributa, nisi in comitiis de consensu statuum, aut primatum. Dixi 2dò. *Tenentur acceptare legem justam*: nam si communitas habeat justum gravamen contra legem, poterit appellare ad superiorem Legislatorem, si quem habeat, aut supplicare pro mitigatione, vel revocatione legis, & interim suspensa

161. Per se non requiritur acceptatio.

erit

erit obligatio, ſique Legiſlator non contradicat, cenſetur cedere ſubditis. Si verò legis obſervationem urgeat, eſt obligatio eam ſervandi, etſi major communitatis pars id recuſaret. Vide Analyſ. n. 45.

162. *Quid in dubio de lege.* Petes, quid dicendum in dubio? Reſp. Si dubium ſit de juſtitia, lex præſumitur juſta, ſaltem, ſi non ſit in ſpeciale gravamen ſubditorum, quia Superior eſt in poſſeſſione poteſtatis. Si dubium ſit, an Superior ſit validè electus, leges ejus non obligant, quia libertas ſubditorum eſt in poſſeſſione. Idem eſt in dubio, an ſit lex, aut ſit promulgata; ſi tamen fuiſſet aliquando uſu recepta, præſumeretur fuiſſe promulgata; quia non ſolet uſu recipi, niſi promulgata. In dubio, an lex ſit recepta, attendenda eſt praxis timoratorum. Si de hac non conſtet, lexque non pendeat ab acceptatione populi, præſumitur recepta, quia de jure recipi debuit; ſi autem pendebat ab acceptatione populi; non præſumitur recepta. In dubio, an ſit cauſa excuſans; obtinet obligatio legis, niſi obſervatio ejus exponat periculo gravis mali.

QUÆSTIO VIII.

An, qui non poteſt ponere totum opus præceptum; poteſt autem ponere partem, ad hanc teneatur?

163. *Eſt obligatio ad partem notabi-* Reſp. Quando materia legis eſt diviſibilis, tenetur ad partem, ſi hæc notabilis ſit, & conducat ad finem à Legislatore intentum. Ratio eſt 1mò, quia præceptum de materia diviſibili obligat ad ſingulas partes, quando ſingulæ con-

conducunt ad finem præcepti ; neque est causa excusans à parte possibili , & utili ad finem. Legislator enim pergit obligare , quamdiu manet causa obligandi ; hæc autem manet in parte notabili, conducente ad finem legis. 2dò. Qui non potest totum debitum solvere, tenetur ad partem, quam solvere potest ; ergo. 3tiò. Utile non debet vitiari per inutile, ex reg. juris 37. in 6. ergo nec utile possibile per impossibile. Hæc constant ex damnata 54. ab Innocentio XI. quæ sic habet : *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes ; potest autem reliquas horas , ad nihil tenetur , quia major pars trahit ad se minorem.* Unde

lem in materia divisibili.

164\. *Corollaria.*

1\. Qui non potest die Jejunii ob labores abstinere à secunda refectione, tenetur adhuc abstinere à carnibus , si cibos habet esuriales. 2. Dispensatus in esu carnium die Jejunii , tenetur adhuc abstinere à secunda refectione. 3. Qui Horas minores , vel Completorium scit de memoria , tenetur ad illa , etsi carens Breviario non possit persolvere Horas reliquas ; secus, si non nisi pauca sciret de memoria. 4. Qui vovit peregrinationem v. g. Luxemburgum , & non potest totum iter conficere , non tenetur ad partem, quia finis legis non salvatur in parte. Vide Analysin num. 115.

165\. *Pars non est accessoria toti.*

Dices : Accessorium sequitur principale. Resp. Imprimis pars non est propriè accessorium respectu totius. Deinde regula illa Juris non tenet in omnibus, ùt, si diversa sit ratio in utroque, vel quando sunt divisibilia , & in accessorio reperitur aliqua ratio ipsius principalis ; sic, qui vaccam promisit cum vitulo , si vacca moriatur , tenetur adhuc dare vitulum.

CAPUT V.

De Subjecto Legis humanæ, seu de iis, qui Legibus humanis subjiciuntur.

QUÆSTIO I.

Quinam obligentur Legibus humanis?

166. *Rationis capaces.* RESp. Omnes, & soli subditi, rationis capaces. Ratio est, quia in omnes, & solos subditos Superior habet Jurisdictionem, solique adepti usum rationis humano modo per leges dirigi, & obligari possunt: ubi enim usus rationis deest, nec observari, nec violari humano modo leges possunt. Ex his resolves 1. Legibus humanis non tenentur imò infantes, nec pueri ante septennium, quia leges humanæ obligando procedunt humano modo, ideoque neminem obligant ante usum rationis, attenduntque ad ea, quæ communiter contingunt; communiter autem ante septennium completum usus rationis non contingit. Unde non obligant ante septennium completum, etsi in aliquo adesset usus rationis. Hinc licitè possunt vesci carnibus. Adepti autem septennium, & usum rationis iis obligantur, quarum materia eorum ætati congruit: ideoque tenentur audire Missam, abstinere à carnibus, &c.

167. *Corollaria. An infantes, & pueri?*

An amentes? 2. Legibus humanis non tenentur perpetuò amentes, sed infantibus æquiparantur; legibus tamen naturalibus, uti & pueri ante usum rationis, obligantur in actu primo, hoc ipso, quòd adepti sint naturam rationalem. Unde

Unde non licet eos incitare ad aliquid repugnans Juri naturæ, retinensque malitiam objectivam, etiam ab ignorante factum; quia incitans esset causa moralis actûs mali; adeoque peccaret, etsi puer, & amens excusaretur ob defectum rationis.

3. Ebrii, & ad breve tempus delirantes, vel habentes lucida intervalla; tenentur legibus; quia sunt in statu habituali usûs rationis, licèt ad tempus priventur illo, lexque illos antè obligans retinet vim suam. Quare non licet iis dare carnes comedendas die præcepti, quia hæ sunt illis prohibitæ. *An delirantes?*

4. Legibus Ecclesiasticis tenentur Hæretici & Apostatæ, non tamen Catechumeni, aliique non Baptizati; quia hi necdum subsunt Jurisdictioni Ecclesiæ, illi verò per Baptismum ingressi sunt Ecclesiam, illique subjecti. Unde his diebus vetitis non licet comedere carnes, laborare serviliter, uti licet non Baptizatis. An non Baptizato liceat imponere die festo laborem servilem, dubium est. Affirmat Layman L. 1. T. 4. c. 10. num. 5. quia licitè suadeo & jubeo, quod alteri licet; etsi id mihi non liceat; sed hoc, etsi verum videatur, si suadeam aut jubeam, ut pro se laboret; attamen, si juberem, ut nomine meo & in utilitatem meam laboraret, censerer ego per famulum laborare, ut volunt alii. Sed de hoc vide p. 2. n. 297. *An Hæretici, & non baptizati legibus Ecclesiæ?*

5. Regulares exempti, ut hodie sunt plerique, per se, & regulariter loquendo, non tenentur Legibus Episcopalibus; quia Episcopis non sunt subjecti. *An legibus Episcopalibus teneantur Religiosi*

Dixi 1. *Per se*; quia ratione scandali per accidens potest esse obligatio. Imò juxta V. S-

quez & Sanch. tenentur ex æquitate naturali ſervare præcepta Epiſcopalia, quæ ſpectant ad communem obſervantiam, & populi devotionem, & non repugnant ſtatui & privilegiis Regularium, ùt Jejunia, preces pro cauſa publica; & quæ ſpectant ad rectam Sacramentorum adminiſtrationem: licet enim exempti ſint; ſunt tamen pars communitatis, & ejus commoda participant. Et hanc conformationem verbo & exemplo magnopere commendârunt S. Ignatius & S. Franciſcus Xaverius.

Dixi 2. *Regulariter loquendo*; nam quoad aliqua Epiſcopis per Trid. Seſſ. 25. De Regularibus cap. 12. ſubjecti ſunt, ùt, quæ ſpectant ad Cenſuras & Interdicta, ab Epiſcopis lata, ad ceſſationem à divinis, Proceſſioneſque publicas. Ab his tamen excipitur Ordo Carthuſianorum, & Societas JESU,

Quomodo ſuis legibus teneatur Legiſlator

6. Legiſlator non tenetur ſuis legibus directè: ſed quatenus ab ipſo procedunt. Ratio eſt, quia nec Superior, nec ſubditus ſuus eſt. Quare quà Superior ſibi non poteſt imponere obligationem. Dixi: *Directè*: nam indirectè tenetur legibus univerſalibus, à ſe latis circa materiam ſibi & ſubditis communem & convenientem, quia æquitas naturalis, officium Superioris, bonum commune, recta & utilis gubernatio, Juſtitiaque legalis poſtulat, ut omnia Communitatis membra vivant uniformiter in iis, quorum materia omnibus æquè convenit. *Turpis*, inquit S.Aug. L. 3. Conf. cap. 8. *eſt omnis pars, ſuo univerſo non congruens*, multò magìs Caput: neque Legiſlator accepit poteſtatem legiſlativam, niſi in bonum publicum, & mediante contractu virtuali, ut & ipſe in bonum commune leges ſervet, & ſuo exemplo earum obſervationem pro-

promoveat. Unde juxta Suarez & alios, quos citat, leges tales transgrediendo peccat non secus, ac subditus: etsi pœnas non incurrat, lege humanâ à se impositas transgressoribus, quia nec lex naturalis, nec Respublica id intendit. Dixi: *Tenetur legibus universalibus, & circa materiam communem*: nam legibus municipalibus Provinciarum particularium suarum, in quibus non residet, solutus est, utì & quarum materia non est ipsi cum subditis communis, ùt si prohiberet subditis ferre arma, vel certas vestes pretiosas. Dicta intellige de Legislatore absoluto & independente: nam in statu Aristocratico, ubi Optimates dominantur, & Democratico, ubi potestas est penes populum, singuli directè obligantur, utpote verè subditi, respectu totius Communitatis. Sic & Generales Ordinum obligantur legibus, in Congregatione vel Capitulo generali latis, quia sunt subjecti Communitati, leges ferenti.

QUÆSTIO II.

An Religiosi, & Clerici teneantur Legibus Civilibus?

Certum est, quòd non teneantur legibus civilibus, quæ repugnant Immunitati Ecclesiasticæ, eorum Statui, & sacris Canonibus, ùt fere omnes alicujus nominis Doctores Orthodoxi docent, & habetur C. Ecclesiarum 7. C. Ecclesiæ 10. de Constitutionibus. Dubium tantùm est, an obligentur legibus, quarum materia est iis cum Sæcularibus communis, & Privilegiis eorum non repugnat. Quales sunt, quæ taxant pretium mercibus; formam statuunt contracti- 168. *Non ligantur immunitati Ecclesiasticæ contrariis.*

 bus,

bus; prohibent merces extra patriam efferri. In qua controversia etsi omnes facilè conveniant contra Nav. his legibus eos teneri, controvertitur tamen, unde oriatur ista obligatio. 1mò Salas & Palao T. 3. d. 1. p. 24. num. 6. tenent oriri immediatè ex ipsis legibus civilibus: putant enim, Clericos non esse exemptos in talibus à Jurisdictione Laica; quia omnis exemptio debet esse conformis rectæ rationi, huic autem repugnat exemptio Clericorum à Jurisdictione civili in materia communi illis cum civibus, & legibus non repugnantibus eorum Statui & Immunitati; cùm sint cives, & pars, eaque præcipua Reipublicæ, ad quam totam directè diriguntur leges. Juxta hanc sententiam Clerici transgredientes legem civilem in materia gravi, peccant graviter, non secus, ac Laici. 3. Vasquez, Azor, Laym. & alii dicunt, obligationem oriri ex æquitate naturali, vi cujus turpe est, partem non conformare toti. Juxta hanc sententiam Clerici transgredientes ejusmodi legem, secluso scandalo, & gravi damno Reipublicæ, per se loquendo, peccant tantùm venialiter; quia ejusmodi difformitas, per se loquendo, & secluso scandalo, gravique Reipublicæ damno, non videtur gravis. 3. Suarez L. 3. de Legibus cap. 34. n. 13. & alii apud ipsum dicunt, leges ejusmodi approbari, saltem tacitè, à Pontifice, adeoque Clericos obligari legibus, non quatenus procedunt à Jurisdictione Laica, sed ùt approbatis ab Ecclesiastica potestate, adeoque Clericos eas transgredientes peccare pro gravitate materiæ. Omnes hæ sententiæ sunt probabiles, convenitque inter omnes, quòd quoad vim coactivam, seu potestatem obligandi sub pœna, ab homine infligenda,
Cle-

Clerici potestati civili non subsint. Ad quæstionem propositam.

Resp. Clerici obligantur quidem legibus civilibus, quæ bonum commune immediatè spectant, eorumque statui, & libertati Ecclesiasticæ non repugnant; non tamen iis obligantur directè, & vi Jurisdictionis civilis, sed ex æquitate naturali, & sæpe ex præcepto Superioris sui Ecclesiastici; ità, ut contra eas agendo etiam ipsi peccent graviter, vel leviter, prout bonum commune exigit earum observationem. 169. *Non obligantur vi jurisdictionis Laicalis ullis; sed aliquibus ex æquitate naturali, vel authoritate Ecclesiasticâ.*

Ratio 1mæ partis est; quia Clerici simpliciter sunt exempti à Jurisdictione Laica, idque Jure tum Ecclesiastico, ùt patet ex citatis locis, tum divino, ùt docent plures, certumque dicit La Croix L. 4. n. 1381. ex Concilio Lateranensi sub Leone I. & Trident. Sess. 25. c. 20. de Reformatione; variisque Pontificum Decretis, quæ citat; ad perfectam autem exemptionem pertinet, ut non subsit Jurisdictioni Laicæ, quoad vim, non tantùm coactivam; sed etiam directivam. Cujus ratio est; quia omnino est indecens, Sacularium potestati subesse Clericos, qui Deo specialiter dicati sunt, & constituti Sæcularium Judices ac Vicarii Christi, ut iis tradant doctrinam salutis; Sacramenta ministrent; ligent & absolvant; Sacrificia pro iis offerant, &c.

Ratio 2dæ partis est; quia æquitas, & bonum commune postulat, ut in talibus legibus se cæteris accommodent Clerici; cùm pars sint Communitatis. Et hinc Superiores Ecclesiastici leges tales, maximè communes, & sæpe alias jubent ab iis observari. Ad id, quod dicebatur, Clericos esse cives; adeoque directè posse obligari. Resp. Esse cives, sed exemptos, & ideo, si legis civilis alicujus trans-

gressoribus imposita sit pœna, v. g. ut fruges evehenti ex patria eædem à Fisco auferantur, tali pœnâ, ùt tali, non subjacet Clericus; sed conveniri poterit coram Superiore Ecclesiastico; quia res Clerici non subsunt vi coactivæ civili; sed gaudet privilegio personæ.

170. *Corollaria.* Hinc 1mò. Injusta esset lex, quæ sine consensu, saltem tacito Pontificis, Cleris imponeret vectigalia, angarias, collectas, & similes exactiones. Excipe, nisi bonis suis negotiarentur, aut bona ab aliis acquisivissent, tributis, aliisve exactionibus gravata; vel bona essent feudalia, aut hypothecata: ab oneribus enim annexis immunes non essent Clerici: nam hoc Ecclesia permittit.

2. Injusta est lex civilis, quæ exigit à personis Ecclesiasticis, aliò migrantibus, certam partem bonorum, quæ hæreditate, legatis, donationibus acquisiverunt, Fisco, vel communitati tradendam.

3. Lex, quæ volentes ingredi statum Religiosum excludit ab hæreditate, vel certa ejus parte jubet esse contentos.

4. Juxta Canonistas, Civilistas, & Theologos innumeros apud Dianam p. 1. t. 3. Resol. 57. & p. 6. t. 3. R. 6. & apud Delbene de Immunitate Ecclesiastica c. 8. d. 11. contra Caram, & quosdam Politicos, quæ prohibet vel tentat inhabilitare sine consensu Papæ, subditos, ne bona stabilia donent, vendant, legent Ecclesiis, vel Religiosis; vel statuit, ne hi possint acquirere bona immobilia sine jure retractûs, Laicis concesso. *Ratio est* 1. Quia prohibet Eleëmosynas, dispositionem ad pias causas, impedit cultum divinum, pias fundationes, sua dare Deo: nam relicta Ecclesiis fiunt

fiunt res Dei, uti habetur Can. Apost. 39. Cap. *Non liceat.* Cap. *Prædia.* 12. q. 2. In Trid. Sess. 25. c. 20. de Reform. 2. Quisque Jus habet rem suam dispositioni suæ subditam dandi pauperi. Imò Laici possunt sua dare Hæreticis, Judæis; cur non Ecclesiis, & Religiosis? Hinc queritur S. Ambr. L. 5. Epist. 31. *Scribuntur testamenta templorum, id est, idolorum ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis; soli ex omnibus Clerico communi jus clauditur.* Et S. Hieronymus Epist. ad Nepotian. *Pudet dicere: Sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solus Clericus & Monachus hoc tempore prohibetur, non à persecutoribus, sed Principibus Christianis.* 3. Sacri Canones, quos Trid. l. c. præcipit observari, item Concilia generalia statuunt, Ecclesiam habere potestatem acquirendi bona stabilia sine licentia Principis. Habetur. cap. Quanquam. de Censibus in 6. Videri potest La Croix l. 4. n. 1386. Quæ potestas si negetur, cederet id in magnum detrimentum Reipublicæ Christianæ, cujus præcipua pars est Ecclesiastica, utpote, à qua doctrina salutis, absolutio à peccatis, Sacramentorum administratio, Sacrificiorum oblatio, aliaque ministeria spiritualia dependent. Unde tale statutum repugnat æquitati & immunitati Ecclesiasticæ.

Hinc sequitur, Regulares non posse, salvâ Immunitate Ecclesiasticâ, se obligare Communitati sæculari ad non emenda plura bona immobilia, quia id cederet in præjudicium Statûs Regularis.

Nec juvat; quòd talia statuta vigeant in Italia, Gallia, Hispania, & quibusdam Ger-

maniæ partibus: nam non ideo justa sunt, nisi accedat consensus Pontificis pro certis circumstantiis locorum, & temporum. Id quod vel inde colligitur, quia sæpe sunt revocata, aut non admissa. Cæterùm, an in his, vel illis partibus illis accesserit, aut adhuc accedat consensus, vel mera dissimulatio Sedis Apostolicæ, determinare non possum; neque hoc ad privatum pertinet; sed potiùs supponendum est, quòd Principes Catholici licentiam, statuta talia faciendi, à Sede Apostolica obtinuerint.

Nec juvat iterum, quòd ità nimiùm imminui vires Reipublicæ, & Laici plus gravari videantur: nam inprimis, si periculum sit illius mali, Laici recurrant ad Pontificem, qui aut modum ponet, aut permittet, ut pars onerum feratur ab Ecclesiasticis, ùt in quibusdam locis fertur. Deinde nullum inde periculum timendum: nam Deus sibi oblata liberaliter compensat, & reddit centuplum.

Nec juvat denique, si dicas cum Caramuele, si ad manus, ùt vocant, mortuas veniant bona immobilia, id est, ad tales, ut fiant inalienabilia, injuria fit Principi sæculari, & ejus subditis; quia privatus fundi v.g. sui non habet nisi dominium proprietatis; Princeps autem habet dominium tum Jurisdictionis, in quantum præest Reipublicæ gubernandæ per leges; tum politicum, seu extraordinarium, quo potest disponere de rebus privati, quando ità expedit ad bonum commune; tum denique dominium potentiale, quo potest fundum habere jure proprietatis. Id quod aliis etiam subditis convenit; translatio autem bonorum ad manus mortuas lædit Jus politicum

& po-

& potentiale Principis & subditorum : Nam, si hæc subsistunt, injuria fiet Principi & subditis, 1. Si quis sine licentia Principis se & sua bona transferat ad aliud regnum : 2. Si bovem suum mactaret, aut venderet extero ; quia privaret concives Jure potentiali, & Princlpem Jure jurisdictionali & politico. 3. Si quis sine licentia Principis fieret Religiosus, quia subduceret se Jurisdictioni Principis, & Juri potentiali mulierum, ipsum habendi conjugem. Quæ absurda nemo non videt. Itaque dominia illa potentiale, jurisdictionale, & politicum, sunt tantùm conditionalia, ut disponi per ea de bonis possit, quamdiu manent sub potestate civili, non verò ubi sub ea non manent. Posse autem ab ea ad alium statum transire certum est. Aliàs, si domus privati consecraretur, aut daretur Ecclesiæ, Christus tantùm haberet dominium proprietatis subjectum Laico, & ab hoc invitus eo privari posset ; imò maneret subjecta gabellis, & Christus esset tributarius Principi Laico. Quæ iterum falsa sunt. Vide La Croix L. 1. n. 679. & L. 4. 1389.

QUÆSTIO III.

An Peregrini teneantur Legibus specialibus sui territorii, quando ab illo absunt ?

Nota. Domicilium in aliquo loco acquirit, qui in eum venit animo ibi perpetuò manendi ; quasi domicilium verò acquirit, qui ad eum venit animo, saltem per majorem anni partem, in eo permanendi, uti famuli, famulæ, Scholares. Et hi tenentur legibus loci, 171. *Domicilium, & quasi domicilium.*

quam-

quamprimum in illum veniunt tali animo. Peregrini sunt, qui alibi domicilium, vel quasi domicilium habent, & sine tali animo in alieno loco subsistunt. Vagi autem, qui nullibi domicilium vel quasi domicilium habent. Advena verò dicitur, qui extra patriam suam domicilium fixit. Hoc notato.

172. *Non tenentur moraliter, & physicè absentes* Resp. Peregrini non tenentur legibus sui territorii specialibus, dum ab eo absunt physicè, & moraliter. *Ratio est*: quia leges speciales & consuetudines affixæ sunt suo territorio, cujus bonum intendunt, adeoque extra illud se non extendunt, nec obligant. Hinc Cap. 2. de Constitutionibus in 6. dicitur: Statuto Episcopi, quo excommunicantur furantes, non ligari subditos, qui extra Diœcesin furantur, quia extra territorium jus dicenti impunè non paretur.

173. *Tenentur tamen communibus.* Dixi 1mò. *Non tenentur legibus specialibus*: nam communibus tenentur, etsi in eorum territorio non vigerent, aut in iis esset dispensatum; quia privilegio loci sui non gaudent extra illum. Item, si lex esset utrique loco communis, illâ utique tanquam subditi tenerentur; si tamen in uno loco satisfecerint, in alio loco non obligantur amplius.

174. *Ubi, & si moraliter non absint.* Dixi 2dò. *Dum ab illis absunt, etiam moraliter*: nam licèt absint physicè, si tamen eorum actio, vel omissio censeatur fieri in proprio territorio, aut effectum in illo habeat, sunt moraliter præsentes, & subjacent legibus; sic, si ab Episcopo feratur censura v. g. excommunicatio in Clericos absentes à sua Ecclesia, excommunicantur existentes in territorio alieno, quia absentia consummatur in proprio territorio; si homicidium sit casus reservatus

in

in hac Diœcesi, existens extra hanc ; si aliquem in hac existentem jaculando occidat, incurrit casum reservatum. Similiter, si lex esset, ne quis ministret arma hostibus, exerceat extra patriam mercaturam, doceat situm & munimen arcis, etiam existens extra patriam, teneretur his legibus ; quia damnum redundaret in patriam, censereturque in ea causari, quod prohibendi potestatem habere Superiorem exigit bonum commune.

Dixi 3tiò. *Non tenentur legibus, dum absunt* : nam præceptis non desinunt obligari ; quia, sicut leges territorio, sic præcepta adhærent personis. Quare, si Episcopus alicui Clerico prohiberet usum sui Ordinis absolutè, non posset etiam in aliena Diœcesi v. g. celebrare. Similiter, si Clericis certis prohiberet lusum v. g. alearum, peccaret etiam ludendo extra Diœcesin, quia præceptum esset inhærens personis. Ità Schmalzgruber. Ex dictis resolves.

175. *Tenentur etiam præceptis.*

1mò. Si in tuo territorio, vel Parochia sit Jejunium ex speciali lege, & eodem die etiam post sumptum prandium justa de causa exiens, venias ad locum, ubi non est Jejunium, potes vesperi sumere secundam refectionem, & vesci carnibus ; non tamen manè exiens sumere jentaculum, nisi aliunde excuseris ; quia in loco tuo existens teneris lege, nec excusat privilegium alterius loci, in quo nondum existis, sicut nec excusaret dispensatio, quæ nondum habetur. Oppositum tamen tenent aliqui, eò quòd sis certus, te eo die non teneri jejunare.

176. *Corollaria.*

2dò. Potes manè existens, ubi non est Jejunium, vesci carnibus, etsi in meridie reversurus

ſurus ſis domum, ubi eſt Jejunium; teneris tamen domi abſtinere à carnibus, quia domi prohibentur etiam non obligatis ad Jejunium. Quòd autem refectus carnibus non tenearis abſtinere à ſecunda refectione, docuerunt Tamb. Ilſung, & alii, putantes, non amplius poſſe ſervari Jejunium, eò qùòd ejus eſſentia conſiſtat in abſtinentia à carnibus, & ſecundâ refectione, ſed rectiùs affirmant alii; quia hoc præceptum eſt diviſibile, ſeu præcipit unum independenter ab altero: unde, licèt unum ſervari non poſſit; manet tamen obligatio ad alterum. Imò, ſi duplicem jam plenam refectionem ſumpſiſſes, non poſſes plenè cœnare, ùt habet communiſſima; quia eſt contra finem legis; non eſſè tamen plus, quàm veniale, docet probabiliter Leſſ. quia ordinariè non multum detrahit fini legis; ſed oppoſitum tenent probabiliter alii, quia adhuc eſt notabilis mortificatio carnis abſtinere veſperi, etſi quis manè, & in meridiè ſe plenè refeciſſet. Vide p. 2. num. 170.

3tiò. Si in tuò territoriò, vel Parochia ſit ſpeciale Feſtum, an tenearis audire Sacrum, antequam abeas ad locum, ubi Feſtum non eſt, diſtinguendum eſt: nam, ſi in loco tuò fiat Sacrum unicum, idque, antequam abeas, teneris illud audire; quia illo die, quamdiu es in illo loco, teneris audire Sacrum; cùmque ibi fiat unicum, teneberis, urgente nunc præcepto, ad illud, non ſecus, ac ſi non fuiſſes abiturus. Si autem, antequam abeas, nullum ſit Sacrum in proprio loco, habeasque cauſam rationabilem abeundi, ſisque venturus extra locum præcepti, antequam Sacrum fiat, non teneris audire, quia præceptum non obligat, ut

ut exſpectes. Similiter ſi fiant plura Sacra, potuiſſeſque audire ultimum in loco manens; potes abire ex rationabili cauſa, ſi venturus ſis prius ad locum liberum præcepto, quàm ultimum Sacrum fiat; quia ſi manſiſſes in tuo loco, potuiſſes audire ultimum Sacrum: ergo cùm ante tempus illius ſis deobligandus, non teneris; nec teneris prævenire, ſicut ſi prævideres, te ante ultimum Sacrum per diſpenſationem eximendum ab obligatione; non teneris audire Sacrum antecedens. Ità Sanch. Caſtrop. aliique multi apud La Croix l. 1. n. 684. ſi tamen ſine notabili incommodo poſſit audiri Sacrum, ſuadendum eſt, ut fiat, ſi alibi non poſſit audiri: nec deſunt, qui putant eſſe ad id obligationem, quia præceptum affirmativum implendum eſt ſtatim, ſi prævideatur impedimentum. Sed ad hoc reſpondetur, id verum eſſe manente obligatione. Dixi tamen: *ex rationabili cauſa*: ſine hac enim probabiliter non excuſatur ab omni culpa.

QUÆSTIO IV.

An ſaltem adhuc teneatur lege, qui præciſè ejus ſubterfugiendæ causâ abit ad locum, ubi non obligat?

Reſp. Probabiliter non tenetur lege, ſeu univerſalis ſit, ſeu particularis. Ità Suarez, Sanch. & alii communiùs. *Ratio eſt*; quia lex non vetat exire loco, ſed tantùm jubet, ut in loco exiſtens obediat, nec ſic exiens agit in fraudem legis; ſed utitur jure ſuo, vi cujus poteſt licitè exire; nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure ſuo, ut habet re- 177. *Negatur probabiliter.*

gula

gula juris 15. ff. *de regulis juris.* Et quamvis videatur quasi in fraudem legis agere, fraus tamen illi non patrocinatur; sed privilegium loci. Quare si in tuo territorio sit jejunium, aut in Quadragesima non dispensatum in esu carnium, potes absque violatione præcepti jejunii adire locum, in quo non est jejunium, vel est dispensatum, ut possis comedere carnes.

Probabiliter quoque affirmatur. Sed probabiliter contradicunt alii multi cum Layman. 1mò. Quia leges, ad subditorum utilitatem præsertim spiritualem ordinatæ, eam habent conditionem annexam, qualem ostendit fidelium consuetudo, & praxis Episcoporum: hæc autem ostendit, tales non liberari lege; nam solent puniri, qui festis diebus ex suo loco exeunt eam solùm ob causam, ne legem observare cogantur. Proinde censendi sunt Superiores, nolle eos tali modo posse se eximere ab obligatione, ne leges sint inefficaces, & facilè eludantur, id quod obest bono communi. Sic & communis sententia est, illos, qui die jejunii, vel festo absque justa causa iter instituunt, non excusari à præcepto jejunii, vel Missam audiendi, etsi excusentur, si justam proficiscendi causam habeant.

2dò. Qui agit in fraudem legis, non excusatur ab obligatione legis: fraus enim, & dolus alicui patrocinari non debet Cap. 15. & 16. *De Rescriptis*; atqui talis agit in fraudem legis: nam fraus fit legi, ubi fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, puta, expressè. *L. 36. de Legibus.* Declaratur in exemplis: Fraudem committunt, qui ex loco, ubi Trid. est promulgatum eunt ad locum, ubi promulgatum non est, solo animo ibi matrimonium

nium contrahendi sine mutatione domicilii, & adhuc tenentur lege Tridentini : nam Urbanus VIII. declaravit: *Non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude.* Deinde qui lapsi in peccata in sua Diœcesi reservata, abeunt in Diœcesin aliam eo animo tantùm, ut in ea, in qua ista non sunt reservata, à quovis absolvi possint, fraudem in legem committunt. Nam Clemens X. in Constitutione: *Superna magni patris familias*, apud La Croix l. 6. p. 2. n. 1508. concedit facultatem Confessario Regulari approbato, absolvendi à reservatis venientes ex alia Diœcesi, si peccata sint reservata in pœnitentium Diœcesi, non verò in Diœcesi, in qua Confessarius approbatus est, *nisi* NB. *eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesin pro obtinenda absolutione migrâsse.* *Ad primum* tamen respondeti potest, Episcopos meritò punire tales, ne præsertim in confinibus divisarum Diœcesium, plures quærant se sic legibus subducere. *Ad 2dum*, esse speciales illorum Pontificum Constitutiones, & fraudem in legem sumi latiùs in illis. Episcopos non consentire, ut sic ex sua Diœcesi abeuntes absolvantur à reservatis, si constet, eo animo exiisse.

Quando quis utatur jure suo vel agatur in fraudem legis?

Verùm quidquid fuerit de his, priusquam Pontifices mentem suam desuper declaraverint, jure suo utitur, qui agit nec lege naturali, nec positiva aliqua prohibitum; jam verò non constat, præsentem, de quo controvertitur, casum esse lege aliqua prohibitum, aut menti legislatoris, verbis non expressæ, contrarium, cùm id negent, AA. gravissimi ; in fraudem verò legis proprie agit, qui nuda verba legis observans, operatur contra notam Legislatoris

intentionem, verbis licet non expressam, quemadmodum habet regula juris 87. in 6. dicens: *Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem.* Id quod fit variis modis. 1mò per transitum de re ad rem, uti si quis, cùm lex vetet mutuò dare filio-familias pecuniam det mutuò vinum, oleum frumentum, ut ex iis pecuniam sibi comparet. 2dò. Per transitum de persona ad personam, velut si maritus, non valens, salva lege prohibente, gravem pecuniæ summam liberaliter donare uxori suæ, daret alteri; ut post aliquem ejus usum ipsi daret. 3tiò. Per transitum de contractu ad contractum, vel quasi contractum, velut si maritus venderet vili pretio uxori suæ rem pretiosam cum animo liberaliter donandi ipsi excessum; vel si uxor non valens fide jubere constitueret se principalem debitricem. 4tò. Si quis contra Legislatoris voluntatem impletioni legis poneret impedimentum v. g. si assumeret die jejunii gravem nec necessarium, nec utilem laborem, ut non teneretur jejunare. Denique, si quis alioquocunque modo operetur quidem secundùm verba legis, attamen contra voluntatem Legislatoris notam, etsi verbis non expressam. Unde patet, quod fraus in legem sit specie honesti, vel liciti palliata ejus transgressio; qualis & nunc foret, si sponsus cum sponsa sua exiret ad locum, ubi Tridentinum non est promulgatum, animo clandestine ibi contrahendi Matrimonium, & deinde redeundi ad domicilium suum ubi est promulgatum, quia nunc constat de voluntate Legislatoris.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

An Peregrini, & Vagi teneantur specialibus legibus locorum, in quibus existunt ad tempus?

Resp. 1*mò*. Peregrini, & Vagi tenentur alieni territorii, in quo morantur ad tempus, specialibus legibus sequentibus. 178. *Tenentur aliquibus.*

1*mò*. Legibus, quæ contractibus istic certam formam, & solennitatem præscribunt.

2*dò*. Quæ necessariò sunt observandæ ad bonum commune istius loci etiam à Peregrinis, & Vagis, seu latis ad cavenda specialia damna, quæ æquè à Peregrinis, ac Vagis, quàm ab incolis oriri possunt. Ratio est; quia nisi iis legibus obligare eos posset Superior, vel Magistratus istius loci, non posset satis providere bono communi, adeoque non haberet omnem potestatem necessariam ad rectam gubernationem: sic Peregrini tenentur legibus istius loci prohibentibus efferre frumenta, arma, noctu incedere sine lumine, cum armis: sique contra faciant, possunt puniri juxta leges istius loci.

3*tiò*. Tenentur legibus pro ipsis latis, v. g. ne ultra octiduum ibi subsistant, ut solvant vectigalia &c. nisi personæ sint exemptæ, aut bona habeant exempta. Ratio est; quia ex consensu Superiorum subjiciuntur his legibus, & eâ conditione ad illum locum admittuntur, ibique tolerantur.

4*tò*. Tenentur legibus etiam aliis, si ex earum non observatione oriretur scandalum, quia hoc lex naturalis prohibet.

5tò. Tenentur legibus communibus in eo loco vigentibus, etsi in suo territorio essent abrogatæ, vel per dispensationem modò non obligarent; quia subsunt Legislatori communi, & privilegio loci sui non possunt gaudere absentes. Hæc apud omnes certa sunt. Dubium est, an Peregrini teneantur legibus aliis specialibus alieni territorii, v. g. specialis jejunii, festi, &c.

179. *Imò probabilius omnibus.* Resp. 2dò. Peregrini, & Vagi, etiam secluso scandalo, probabiliùs tenentur servare omnes leges, & consuetudines speciales loci, in quo ad tempus, earum observationi proportionatum, morantur. Ità Suarez de legibus l. 3. cap. 33. & Tom. 1. de religione T. 2. l. 2. de Festis c. 14. Less. & alii. Ratio est, quia lex fertur pro toto territorio, ergo obligat omnes obligationis capaces, actu ibi existentes, pro tempore, quo ibi existunt. Consequentia probatur. Legislator eos vult, & potest obligare; ergo. Ant. probatur. Imprimis potest: nam bonum commune id exigit: si enim non posset, non haberet potestatem, magnam in moribus difformitatem, quæ sequeretur, & scandala impediendi, adeoque non haberet potestatem necessariam ad rectè gubernandam communitatem suam. Confirmatur: Juxta omnes potest Peregrinus obligari legibus, quibus præscribitur forma contractuum, vetantur arma, certæ vestes, pretium certum mercibus statuitur: quibus Peregrini prohibentur permanere in territorio ultra certum tempus: possunt delinquentes contra puniri, quia bonum commune exigit Principem habere istam potestatem, ergo potest & ob bonum commune aliis eos legibus obligare, ut vitentur scandala, & servetur uni-

for-

formitas. Deinde vult illos obligare, quia debet velle, quod bonum commune exigit. Nec dici potest; quòd Peregrini, & Vagi non sint subditi illius: nam etsi non sint permanenter, & habitu, sunt tamen transeunter, & actu: manendo enim ad tempus ibi, vel intrando territorium illius, cum animo permanendi ad tempus legi servandæ proportionatum, se illi subjiciunt, ut patet in legibus supra allatis, quibus juxta omnes tenentur. Non ergo tantum ratione domicilii, vel quasi domicilii, vel ratione delicti, originis, rei possessæ, alicujus territorii superiori quis subest; sed etiam ratione existentiæ in illo, cum animo permanendi ad tempus, legi servandæ proportionatum. Quòd Episcopus non possit dispensare potestate ordinariâ in voto Peregrini, ex eo est, quòd bonum commune non exigat illam in ipso potestatem; uti bonum commune exigit, ut Superiores consentiant, sibique invicem communicent facultatem, Peregrinos ligandi legibus sui territorii. Quando Leo IX. vult liberum cuique esse, servare morem suæ patriæ, loquitur de Sacerdote latino, existente in Græcia, quem dicit posse celebrare more latino ob nimiam difficultatem ritûs mutandi: à particulari autem concessione non rectè fit argumentum ad alias leges.

Dixi in responsione 1mò: *Probabiliùs tenentur.* Nam probabilis est sententia Sanch. Layman &c. qui tenent, non teneri per se peregrinos legibus specialibus alieni territorii, in quibus morantur, nisi valor actûs, vel bonum commune aliud exigat, aut leges sint expresse pro Peregrinis latæ, eò quòd Superiori alieni territorii non sint subjecti: nec bonum

Probabilis est sententia opposita.

commune exigat, ut in aliis se subjiciant : unde si in loco, ex quo exierunt, esset hodie festum speciale, & in alio, in quo existunt, esset aliud festum speciale, in nullo loco tenerentur audire Sacrum, non in suo; quia absunt: non in alio; quia non sunt subjecti. Fatentur tamen posse esse obligationem ratione scandali. Ob eandem rationem legibus specialibus locorum, per quæ transeunt, vel in quibus ad tempus morantur, probabiliter non tenentur Vagi, sed solùm legibus communibus, & quibus tenentur Peregrini, sed communior & probabilior tenet cum Sanch. oppositum.

Dixi 2dò. *In quo ad tempus, earum proportionatum observationi morantur*; quia aliàs non censentur esse in loco moraliter, nec tenentur ad eas implendas morari diutius, quàm statuerant; sed ad implendas leges si morâ sufficiente ibi morentur. Hinc tenentur servare omnia præcepta localia negativa, v. g. abstinere à carnibus, quia hæc non exigunt moram; sed qui transit per locum, ubi est dies festus, in alium, ubi non est, non tenetur cessare ab itinere, ut audiat Sacrum, nec illud, si absit scandalum, audire, si ibi tantùm subsistat ad se reficiendum cibo, & potu; quia mora non est proportionata implendo præcepto. Econtra tenetur interesse Sacro, si sufficienti tempore ibi moretur, aut si festum sit in loco, ubi pernoctavit, & manè habeatur Sacrum ultimum, antequam abeat, & ad locum veniat, ubi dies festus non est. Hæc sententia, uti probabilior, ità magis pia, & in praxi suadenda est: potest tamen se quis oppositæ accommodare, si absit scandalum, &

 sit

sit ratio aliqua prudens, se legi non accommodandi.

CAPUT VI.

De impletione Legum, & Præceptorum.

CErtum est, quòd non teneamur præcepta implere ex motivo charitatis, nisi actus charitatis sit materia illius præcepti, quia tantùm præcipitur substantia actûs inclusi in præcepto; & à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. hæc 16. Baji damnata est: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Vid. Analys. n. 27.

QUÆSTIO I.

An impletio legis, vel præcepti necessariò esse debeat actus humanus, seu liber.

Ratio dubitandi est; quia lex, & præcepta dantur hominibus, & formalis transgressio debet esse actio, vel omissio libera.

Resp. Impletio legis, vel præcepti affirma- 130.
tivi debet saltem ordinariè esse actus liber, non *Ordina-*
verò necessariò impletio præcepti negativi. *riè esse*
Ratio 1mæ partis est; quia præcepta affirma- *debet.*
tiva, ut plurimùm præcipiunt actus humanos, ùt præceptum audiendi Sacrum, recitandi Officium Canonicum, semel in anno confitendi. Dixi: *Saltem ordinariè*: nam qui deberet 100. & eos solveret in ebrietate, extingueret

suam obligationem, quia jam esset æqualitas jurium. Nec est obligatio implendi præceptum ex motivo, ex quo fertur, ùt habet communis, nisi Legislator id præcipiat. Proinde præcepto potest satisfieri per actum hominis, si per hunc ponatur substantia rei præceptæ; tunc tamen præceptum non impletur meritoriè. Sunt, qui putant, sic non satisfieri præcepto restituendi; quòd autem nihil amplius teneatur, dicunt ex eo esse, quia jam cessat retentio rei, quæ est conditio necessaria ad obligationem restituendi: sed hoc de modo loquendi est; si non satisfecit præcepto; an ergo actum humanum adhuc debet ponere? aut priorem ratum habere? Dein condemnatus ad carcerem in pœnam delicti satisfacit manendo invitus. *Ratio 2dæ partis est*, quia per hoc impletur præceptum negativum, quòd non ponatur actus prohibitus: sic enim habetur substantia rei præceptæ, v.g. si ebrius, vel dormiens die jejunii abstineat ab esu carnium, & 2da refectione, ponit substantiam rei præceptæ & satisfacit. Ad rationem dubitandi dico, impletio præcepti potest esse tantùm actus hominis, si per hunc ponatur substantia rei præceptæ. Dein transgressio legis est peccatum; ergo debet esse libera; at impletio legis non necessariò est actus malus, vel bonus.

QUÆSTIO II.

An Lex, vel præceptum impleri possit per actum peccaminosum?

181. *Sufficit poni* Resp. Potest impleri per actum peccaminosum, seu malum ex circumstantia extrinseca, mo-

modò sit honestus de se, & ex circumstantiis intrinsecis, illiusque speciei moralis, in qua præcipitur, sicque ponatur substantia rei præceptæ. *substantiam rei præceptam* *Ratio est*, qui præceptum tantùm imperat substantiam actûs; non autem modum, nisi hic sit necessarius ad substantiam actûs, utì est in quibusdam præceptis, v. g. attentio in oratione, dolor in Confessione Sacramentali &c. Unde satisfacit præcepto audiendi Sacrum, recitandi Horas, qui devotè adest Sacro, & attentè recitat Horas, etsi id faciat ex vana gloria; non satisfacit autem, si desit attentio, vel in Confessione dolor.

QUÆSTIO III.

An, & qualis requiratur intentio, ut satisfiat præcepto affirmativo?

Resp. Requiritur intentio ponendi actum præceptum, non verò actualis intentio satisfaciendi præcepto; neque intentio, referens actum præceptum ad finem extrinsecum Legislatoris, nisi hic illam præcipiat. *Ratio 1mæ partis est*; quia sine illa intentione actus præceptus non ponitur: sic, si præcipiatur oratio vocalis, teneris habere intentionem orandi, vel colendi, vel laudandi Deum, quia actus præceptus sine illa intentione haberi non potest: neque enim nuda pronuntiatio verborum est oratio, cùm pronuntiari possint studii; vel oblectationis causâ; illam autem intentionem habes eo ipso, quòd velis orare, aut satisfacere tuæ obligationi. *Ratio 2dæ partis est*; quia hoc ipso, quòd habeas intentionem ponendi opus præceptum, jam vis implicitè po-

182. *Non requiritur intentio satisfaciendi præcepto*

nere satisfactionem, hancque ponendo satisfacis, nec aliam intentionem lex præcipit; sed vult tantùm obedientiam materialem. Unde si ignorares, hodie esse diem Dominicam, & audires Sacrum, audiendo satisfaceres præcepto. *Ratio 3tiæ partis est*; quia ordinariè Legislator istam intentionem non præcipit. Unde axioma: *Finis præcepti non cadit sub præceptum.* Quare si indicantur preces, jejunium, præcipiatur eleëmosyna ad avertendam contagionem, ad impetrandam victoriam contra Turcas &c. qui opera illa ritè ponit, etsi non ponat ex fine extrinseco à Superiore intento, satisfacit. Si tamen præciperentur talia ex illo fine ponenda, non satisfaceret, nisi ponerentur ex illo fine. Quanquam, illa ùt substant intentioni præcipientis, adhuc apta sunt movere Deum ad largiendum finem extrinsecum intentum. Ex his

An immemor satisfactionis Sacramentalis satisfaciat ponendo opus?

Docet Lugo, quòd cui pro pœnitentia à Confessario sunt injunctæ certæ preces, & has obliviscitur persolvere pro pœnitentia; satisfaciat, si illas dein ex devotione persolvat, immemor pœnitentiæ, & obligationis: neque enim necesse est, ut, quod ex præcepto debetur, fiat ùt debitum, vel velut solutio, aut ex motivo obedientiæ. Aliter videtur loquendum de debito justitiæ; huic enim, qui non intendit satisfacere, si memor sit debiti; censeretur liberaliter donare; secus si debiti immemor traderet æquivalens Juri alterius, sic habitualiter constitutus, ut priùs obligationi satisfacere velit. Vide dicenda p. 4. n. 401.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An ſatisfaciat præcepto, qui ponit rem præceptam cum expreſſa intentione, non ſatisfaciendi?

Ratio dubitandi eſt 1mò. Quia ſatisfactio debet eſſe libera, & voluntaria; ergo ſi nolit ſatisfacere, non ſatisfacit. 2dò. Actio agentis non extendit ſe ultra ejus intentionem. 3tiò. Si Titio debeas 100. & dones centum, intentendo non ſatisfacere debito, huic non ſatisfacis. 4tò. Si voviſti audire Miſſam, non ſatisfacis, ſi audias cum intentione non ſatisfaciendi; ergo nec ſatisfacis præcepto Eccleſiæ, ſi audias Miſſam, intendendo non ſatisfacere; ſed poſtea debes audire aliam. 5tò. Juxta certam Juris regulam *committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* Ità Nav. Henriq. & alii. 6tò. Qui hodie pro craſtina die dixit Matutinum cum intentione non ſatisfaciendi, ſed iterum dicendi, non ſatisfacit, ſed debet repetere.

Reſp. Probabiliùs ſatisfacit; ità Caſtropalao, & alii. *Ratio eſt;* quia ponit opus præceptum, ùt ſuppono; hoc autem poſito, cùm lex ab ipſo non dependeat, non eſt in ejus poteſtate facere, ut præcepto non ſit ſatisfactum. Unde ejus intentio non ſatisfaciendi eſt ineſficax. Et qui audit Sacrum cum intentione non ſatisfaciendi præcepto, ſed audiendi poſtea aliud, ſatisfacit; ſique cenſura eſſet lata contra non audientes die Dominicâ Sacrum, cenſuram non incurreret; etſi aliud non audiret;

783. *Affirmativa ſententia probabilior eſt.*

ret; quia verè audivit Sacrum, & posuit rem præceptam, quâ positâ cessat obligatio.

Nec obstant rationes in contrarium. *Non 1ma*; quia illi est voluntaria & libera impletio præcepti, quæ talis est, quod sufficit, etsi non sit voluntaria, ùt satisfactio est. *Nec 2da*: nam id verum est, quando in ejus potestate est, per actum suum non satisfacere. Dein actio hìc se non extendit ultra agentis intentionem efficacem, nempè ponendi actum præceptum, licet se extendat ultra actum ejus, inefficaciter intendentem non satisfacere. *Nec 3tia*: Nam ideo non satisfacis obligationi justitiæ, quia illa pendet à tua voluntate in fieri, & conservari, secus de obligatione legis. *Nec 4ta* ob eandem rationem. Quanquam probabile est, quòd voto satisfaciat, quia ejus acceptatio in esse, & conservari pendet à Deo. *Nec 5ta*: Nam sensus illius regulæ est, peccare contra legem; qui eam implet quidem, sed contemnit, & paratus est non implere, nisi aliunde ad implendum moveretur. *Nec 6ta*; Nam imprimis nego, quò*d* non satisfecerit; quia licet ei liberum fuerit vespere recitare, lex tamen non pendet simpliciter ab ejus voluntate. Dein disparitas est, quia erat ei liberum vespere: Lex enim necdum obligabat.

QUÆSTIO V.

184. *Potest, si sint circa eandem actionē.*

An pluribus legibus, vel præceptis possit satisfieri per actum unum?

Resp. Potest pluribus præceptis satisfieri per actum unum, si sint circa eandem materiam,

sen

seu actionem ; secus si sint circa distinctas. *Ratio est* , quia si sint circa eandem materiam , seu actionem , hanc ponendo , ponis totum , quod plura præcepta , vel obligationes requirunt , non verò si sint circa actiones distinctas. Sic si ob commissum furtum debeas Petro centum , tuque voveas restituere , & Confessarius tibi injungat restitutionem ; uno actu satisfacis tribus obligationibus , nempe justitiæ , voti , & præcepti Confessarii. Similiter si aliunde obligatus ad Horas Canonicas , vel Sacrum , tuæ obligationi voveas constanter satisfacere ; satisfacis duabus obligationibus unicâ recitatione , utì & unicâ auditione Sacri ; quia obligationes cadunt in eandem materiam. Econtra si Titio debeas 100. ex mutuo , 100. ex censu , non satisfacis semel solvendo 100. quia obligationes cadunt in diversam materiam. Porro , quando cadunt obligationes in distinctas materias , colligitur ex intentione se obligantis , ex diversis obligationum titulis , ex diversis temporibus , vel locis , quibus actiones affiguntur ; ex diversis specie actibus , qui exiguntur. Sic obligatus ad Horas non satisfacit unico officio duplici præcepto pro die præsenti , & crastino. Obligatus ad restitutionem , & eleëmosynam ex voto , non satisfacit utrique obligationi præcisè dando , quod debet ex justitia , similiter obligationes ortæ ex pœnitentia Sacramentali , & aliunde , ordinariè non cadunt in eandem materiam. Quare si ex voto vel præcepto Ecclesiæ tenearis audire Sacrum , & Confessarius tibi pro pœnitentia injungat auditionem Sacri , non satisfacis audiendo unicum , nisi aliunde constet Confessarium idem imponere , quod aliunde debetur.

QUÆS

QUÆSTIO VI.

An pluribus præceptis, vel obligationibus possit eodem tempore satisfieri?

186. *Potest, si actus præcepti possint, simul poni.* Resp. Potest satisfieri, si actus simul poni possint tales, quales exiguntur, quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes die Dominicâ, audiendo Sacrum, recitare Horas, exsolvere injunctam pœnitentiam, & utrique obligationi satisfacere.

QUÆSTIO VII.

An, cui solùm probabile est, quòd legem impleverit, adhuc teneatur implere.

Certum est, quòd qui negativè dubitat, an legem impleverit, ea adhuc teneatur; quia lex per tale dubium non excluditur à possessione certa obligationis. Celebris controversia est, an teneatur adhuc positivè dubitans, seu cui probabile est motivum ex una parte, quòd legem impleverit, & ex altera parte quoque probabile motivum est, quòd non impleverit? Pro resolutione.

186. *Probabilitas juris, & facti.* *Nota.* Probabilitas seu dubium positivum duplex hìc distingui potest, nempe facti, & juris. Facti solum est, quando tibi duntaxat probabile est, quòd opus præceptum posueris; Juris verò tantùm est, quando tibi certum est, quòd illud posueris, & incertum est, an illud posueris in ea ratione, vel secundùm omnia,

quæ

quæ lex probabiliter exigit, v. g. Certus es, quòd audiveris Sacrum, recitaveris Horas; sed non, quòd eâ attentione, quam præceptum probabiliter requirit. Item certus es, quòd certum mortale sis confessus, sed circumstantias, intra eandem speciem malitiam notabiliter aggravantes, non exposuisti; dubium, & probabilitas solùm juris est, an ad aliquid adhuc tenearis: quia probabiliter utrumque controvertitur, an ad ea præceptum se extendat. Si autem dubium sit, an recitaveris certam Horam, an mortale illud sis confessus, sitque tibi prudens ratio pro utraque parte, dubium, & probabilitas facti est. Hoc notato.

Resp. 1. Quando dubium est utrimque probabile probabilitate Juris, quòd legem impleveris, non teneris denuo implere: ùt, si certus sis, quòd certum mortale sis confessus, & circumstantias intra eandem speciem, malitiam notabiliter aggravantes, non exposueris, non teneris id peccatum denuò confiteri. Est Communissima. *Ratio est*; quia tunc probabile est, quòd lex ad plus se non extendat, adeoque lex, quoad ea, est incerta, consequenter libertas est in possessione. Sic, quando incertum est, an votum se extendat ad hanc etiam materiam, circumstantiam, vel modum; ad hæc non obligat; bonum animarum enim exigit, ut plus non exigatur, quàm ut opus ponatur secundùm probabilem.

187. *Non tenetur in dubio positivo juris.*

Resp. 2dò. At verò, quando dubium est facti, solumque probabile, quòd opus præceptum posueris, probabiliùs per se adhuc teneris. *Ratio est 1mò.* Quia lex v.g. confitendi mortale, lex recitandi Horas est prior, & antè erat certa; ergo asserenti, illi esse satisfactum, in-

188. *Secus, in dubio facti.*

incumbit probatio : satisfactio enim, quæ est facti, non præsumitur, & obligationi certæ non satisfit per satisfactionem incertam incertitudine facti.

2. Qui certò debuit 100. ex Justitia, etsi probabile illi sit, quòd solverit, adhuc tenetur; aliàs enim æqualitas, quam Justitia intendit, non servatur; quia solutio dubia non adæquat debitum certum.

3. Qui distulit in noctem dicere Vesperas, & Completorium, si sint duo horologia probabilia, & in uno audita sit 12. noctis, & non in altero, tenetur is adhuc persolvere Vesperas cum Completorio, ùt fatetur La Croix num. 586. & tamen est probabile, quòd tempus, quo lex obligat, sit elapsum. Ratio autem illius non est alia, quàm quia lex est in possessione.

4. Qui bonâ fide contraxit Matrimonium, si dein illi sit, & post adhibitam inquisitionem, maneat dubium positivum de valore, alteri parti bonâ fide petenti debitum, tenetur illud reddere, quia petentis & innocentis jus est in possessione, ergo à pari idem de aliis legibus dicendum est. Nec juvat, quòd Matrimonium præsumatur tunc validum: nam præsumptio, quæ est judicium ex verisimilitudine, non facit Matrimonium certò validum, sed manet probabiliter invalidum.

Dixi: *Per se*: nam possunt esse circumstantiæ, ut prudenter præsumatur Legislator contentus impletione probabiliter factâ: utì quando ex obligatione repetendi grave sequeretur incommodum, utì p. 2. n. 273. dicetur.

Extra hunc tamen casum opposita etiam sententia, quam post Cardenam in 1. Crisi Diss. 60.

60. cap. 4. & alios, ùt probabilem defendit P. La Croix L. 1. num. 600. & Vivà, Opusc. 1. Q. 1. a. ultimo, num. 7. improbabilis non est, dantque rationem - eò quòd, dum probabile est, quòd satisfeceris, obligatio sit incerta. cùm contra certitudinem non detur probabilitas; obligatio autem incerta non liget, & præjudicare non debeat certæ possessioni libertatis. At contra est 1mò. Pro priori ad satisfactionem probabilem lex certò obligabat, & contra hanc certitudinem non datur probabilitas. Lex autem per incertitudinem, qualem tantùm facit subsequens probabilitas, à possessione certæ obligationis excludenda non est. 2dò. Lex incerta non prævalet certæ possessioni libertatis, seu immunitatis obligationis; ergo à pari. 3tiò. Sententia illa non cohæret cum communissima, quam plerique etiam Adversarii tenent: nam, quando quis rem alienam bonâ fide possedit, fructus ex ea perceptos nondum præscriptos, etiam æquivalenter tantùm existentes, tenetur restituere; & tamen fatentur probabile, quòd jus illorum in possessorem sit translatum ex dispositione juris; ergo consequenter fateri debent, quòd restituere non teneatur, quia jus alterius est incertum. Deinde, si famulus acceperit à domino pecuniam mutuam, quam impendit v. g. in vestes; tenetur eam restituere hæredibus mortuo domino, etsi illi probabiliùs esset, quòd salarium justo minus acceperit; nec juvat eum possessio rerum suarum; quia jus domini antecedens fuit certum, uti docet La Croix L. 3. p. 1. n. 972. V. p. 4. à n. 304.

CAPUT VII.

De Causis excusantibus ab impletione, vel transgressione Legis, aut Præcepti.

QUÆSTIO I.

An, & quæ impotentia, & metus excuset ab observatione Legis, vel præcepti?

CErtum est, quòd ab observatione cujuscunque legis excuset impotentia physica: cùm nempe quis legem absolutè implere non potest; quia ad impossibile obligatio esse non potest. Quæritur an, & quando excuset impotentia moralis, & metus gravis mali subeundi per legis impletionem? Est autem impotentia moralis, quando in impletione legis tanta est difficultas; ut, prudentûm judicio, superet humanam fragilitatem, itá ut observatio legis à plerisque exspectari non possit. Ad hanc quæstionem.

189. Resp. Impotentia moralis observandi legem, & metus prudens mali gravis proportionati excusat.

1. Excusat, si lex sit humana purè positiva.

1mò. Ab observatione legis humanæ, quando hæc non concurrit cum lege naturali, nec concernit bonum publicum. *Ratio est*; quia suavitas regiminis, & conformitas ejus cum suavi jugo Christi postulat, ut tunc non obliget, ne Legislator potestate suâ, ipsi in ædificationem concessâ, abutatur in destructionem.

Et

Et hinc leges humanæ merè positivæ singularium potiùs utilitatem, quàm bonum commune spectantes, ordinariè non obligant cum gravi incommodo. Secus est, si legum materia sit jure naturæ simul prohibita, & secundùm se mala absolutè, vel earum non observatio sit conjuncta cum scandalo, vel contemptu formali, aut cedant in præjudicium religionis, vel leges spectent bonum commune aliud primariò, & directè: recta enim ratio dictat, hoc esse præferendum bono privato, secundùm dicta n. 20.

2dò. Excusat ab observatione legis divinæ purè positivæ, si actio præcepta, vel prohibita non respiciat de se bonum commune, sed potiùs singularium utilitatem; secus, si transgressio legis præjudicet bono communi. *Ratio est*, quia lex talis, cùm non sit de objecto intrinsecè malo, obligat ex libero Dei arbitrio, qui, utpote benignissimus, sciensque figmentum nostrum, & imbecillitatem, non censetur cum tanto onere obligare. Hinc communis est doctrina, quòd præceptum de integritate materiali Confessionis, & de præmittenda à contrito etiam Confessione mortalium sacræ Communioni, non obliget cum periculo gravis damni. *Confirmatur* ex Sacra Scriptura: nam, ùt habetur 1. Reg. 21. David fame compulsus comedit panes propositionis, quos comedere Laicis non licebat; nec peccavit tamen, ùt constat ex Matthæi 12. Ubi Christus ob eandem rationem excusavit Discipulos suos, Sabbato colligentes spicas. Mathathias diebus Sabbatorum, quando quies præcipiebatur, necessitate compulsus pugnavit. 1mo Machabæorum c. 2. Filii Israël 40. annis non fuerunt circumcisi, quia legem divinam commodè servare non poterant,

2. Et quandoque cùm est purè positiva divina.

& curare vulnera. Josue cap. 5. Contrarium dicendum, si actio spectet bonum commune principaliter. Et hinc Parochus tempore pestis cum periculo vitæ tenetur suis adesse.

3. *Imo & quando est naturalis affirmativa.* 3tiò. Excusat regulariter ab observatione legis naturalis affirmativæ, ùt est præceptum de fraterna correctione, de danda Eleëmosyna, votis servandis, & juramentis promissoriis. *Ratio est*; quia, cùm tales leges non obligent semper pro semper, sed secundùm dictamen prudentiæ, &, salvo ordine, charitatis erga Deum, erga se, & proximum, ad suavem Dei gubernationem pertinet, ut in tali circumstantia non obligent v. g. ad Eleëmosynam, correctionem proximi, restitutionem. Dixi: *Regulariter*; quia, si actio respiciat bonum commune immediatè, vel salutem proximi, non excusat. Sic teneris cum periculo vitæ conferre Baptismum infanti moribundo.

4. *Etiā quandoque, dū est negativa.* 4tò. Excusat ab observatione legis vel præcepti naturalis negativi, quo prohibetur actio intrinsecè mala non absolutè, sed ex circumstantia, quâ variatâ actio mala in se non est. Sic licet sibi amputare manum, quando est necessarium ad servandam vitam: se exponere periculo peccati ex gravi causa, si possit ex proximo remotum fieri; violare secretum naturale ad vitandum patriæ excidium, vel mortem innocentis, &c. quæ tamen extra illas circumstantias lege naturali prohibentur. Dixi: *Metûs mali proportionati*; quia in quibusdam gravior causa requiritur, quàm in aliis, ùt explicabitur per decursum.

5. *Quādoque non.* 5tò. Ab observatione præcepti naturalis negativi, quo prohibentur actiones absolutè, & ex natura sua malæ secundùm se, ùt est præ-

præceptum non blaſphemandi , non pejerandi, non odiendi Deum , non mentiendi, &c. nec impotentia moralis , nec mortis metus excuſat : quia perfectiones divinæ exigunt , iſta in omnibus circumſtantiis prohiberi. Eſtque malum culpæ, etiam levis, gravius quovis malo pœnæ.

Hinc 1. In nullo caſu licet facere, quod præcipitur in odium Religionis , aut virtutis , quia obediendo conſentiret intentioni præcipientis. 190. Corollaria.

2, Nec violare ſigillum Confeſſionis , abſolvere indiſpoſitum, vel ſine juriſdictione, extremam Unctionem dare ſano , conſecrare in una tantùm ſpecie ; quia bonum Religionis , quod intenditur, prævalet bono privato, & Sacramenta ſcienter invalidè conferre eſt intrinſecè malum abſolutè.

3. Nec licet metu mortis volenti occidere, commodare gladium , deferre litteras ad duellum provocantes ; quia actiones illæ proximè ordinantur ad peccatum, ſicque ſunt intrinſecè abſolutè malæ.

4. Probabiliùs in extrema neceſſitate, vel metu mortis licet veſci carnibus humanis ; quia in his circumſtantiis id non refugit natura humana, nec rationi repugnat : ſicut nec comedere ſordes animalium , aut oſſibus hominis uti in medicina. Nemo tamen medio tam extraordinario carnis humanæ tueri vitam privatam tenetur, niſi vita eſſet neceſſaria ad tuendum bonum commune, v. g. patriam defendendam ab hoſte, illi excidium parante.

5. Secluſo contemptu , & ſcandalo , licet Sacerdoti juxta Suar. Vaſq. ad vitandam mortem, celebrare ſine veſtibus ſacris, quia id intrinſecè malum non eſt.

6. Juxta communiorem omissio Baptismi suscipiendi non est intrinsecè mala; quia salus obtineri potest per perfectam contritionem; adeoque in gravissima necessitate non esset omissio illicita.

7. Non tenetur quis cum periculo vitæ servare depositum, implere votum de re non mala intrinsecè vitanda, v. g. restituere ablata, extremè indigenti succurrere, nisi salus proximi periclitaretur, vel: ex Justitia, ùt Parochus teneretur succurrere. Quia lege ad hæc obligantes spectant ad bonum privatum. Vide suprà num. 20.

QUÆSTIO II.

An, & quando ignorantia excuset ab observatione Legis, vel Præcepti, & consequenter à peccato?

191. *Ignorantia & inadvertentia inculpabilis excusat.* Resp. Ignorantia invincibilis excusat ab observatione legis, tum humanæ, ut tenent omnes, tum etiam naturalis, ùt certum est contra aliquos Jansenistas: nam Alexander VIII. damnavit hanc 31. *Etsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ; hæc in statu naturæ lapsæ non excusat operantem ex ipsa à peccato formali.* Et *Ratio est*; quia malitia non contrahitur, nisi fuerit cognita; sine cognitione enim illius homo non est liber ad illam fugiendam. Dixi: *Ignorantia invincibilis*; nam vincibilis non excusat, cùm constituat libertatem ad inquirendum, ad quod in dubio de legis obligatione tenemur. Unde dixit S. Augustinus de lib. arb. 13. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis inquirere, quod ignoras.*

Quod

Quod dixi de ignorantia, idem dic de inadvertentia invincibili. Sed restat explicandum, quandonam ignorantia sit vincibilis, quandonam invincibilis, & quæ diligentia adhibita sufficiat, ut ignorantia censeatur invincibilis. Pro quo sequentes regulæ serviunt. 192. *Regulæ ex quibus colligendum, quòd ignorantia sit invincibilis.*

1*ma*. Ignorantia invincibilis est, si nulla notitia, nequidem confusa, nec ulla ratio prudens dubitandi, vel suspicandi, vel universim, aut in particulari occurrerit de lege, vel obligatione, quâ homo excitari possit ad inquirendum. Ità Suarez de Censuris D. 4. Sect. 8. Sanch. Côn. & alii communissimè. *Ratio est*; quia, quando non occurrit menti notitia, dubitatio, vel suspicio de re aliqua; non est in potestate nostra de ea consultare, aliquid amplecti, vel fugere: potestas enim libera circa aliquid constituitur per cognitionem de eo, quæ si desit, deest potentia libera; cognitio autem prima non est in nostra potestate; sed vel naturaliter, vel ab extrinseco excitari debet; quia ad omnem actum primum liberum requiritur cognitio; ergo, cùm illa deficit; ignorantia est invincibilis, cùm humanâ diligentiâ expelli non possit.

Hinc medicus v. g. licèt peccet negligendo ea, quæ addiscere tenetur; si tamen hìc & nunc non advertat ullo modo ad id, quod hìc & nunc scire teneretur, actu formaliter non peccat, idque ratione ignorantiæ, vel inadvertentiæ inculpabilis, & invincibilis, quamvis ea fuerit in causa culpabilis, & vincibilis: quia, ut quis hîc & nunc peccet formaliter, debet adesse hîc & nunc libertas ad faciendum, quod præcipitur, & consequenter ad-

vertentia ad præceptum. Nec sufficit ad formale actuale peccatum libertas in causa: unde damnata est ab Alexandro VIII. hæc ordine 1ma. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* An autem actus tunc talis sit denominativè peccatum, an tantùm effectus peccati, dicetur in Tract. de peccatis. Vide Analysin n. 34.

Nec obest, quòd Jura sæpe dicant, ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire; paria esse scire, & debere scire: nam intelligenda sunt vel de foro externo, in quo non præsumitur ignorantia eorum, quæ quis scire debet; aut de casu, quo adest aliqua advertentia, dubitatio, vel suspicio.

2*da*. Si alicui inciderit cogitatio prudens, ne fortè objectum sit malum, vel operatio inhonesta, vel obligatio ad aliquid, & negligat inquirere; ignorantia est vincibilis, & mala, erroresque sequentes imputantur ad culpam; si autem adhibeat sufficientem diligentiam in inquirenda veritate, nec reperiatur ratio prudens pro inhonestate actionis, aut obligatione; aut, si reperiatur quidem, adsit tamen etiam ratio simpliciter prudens pro judicio practico probabili in favorem libertatis; ignorantia erit invincibilis, & inculpabilis, utpote, quæ humanâ diligentiâ vinci non potuit. Sic & in materia inter AA. classicos controversa, de qua utrimque probabiliter disputatur, ignorantia, & consequenter error invincibilis, & inculpabilis est, quia humanâ diligentiâ veritas inveniri non potuit. Dixi autem:

Si

Si alicui incidat cogitatio prudens ; quia non cogitatio quævis inducit obligationem inquirendi, & ignorantiam tollendi : uti si quis ex scrupulositate, & sine fundamento timeret, obligatio non esset inquirendi ; ut tamen peccet, & mala inde sequentia imputentur ad culpam, non est necesse, cognosci in specie, vel in individuo ea fortè futura, sed sufficit cognitio confusa. Sic, ut Parochus, Judex, Confessarius peccet, & mala, erroresque secuturi illi imputentur ad culpam, satis est, quòd cognoscat sibi deesse sufficientem scientiam, & diversa mala facilè inde secutura, atque ità suscipiat, & exerceat officium, priusquam sufficientem scientiam acquisiverit.

Quæ diligentia in inquirendo sit adhibenda?

3*tia*. Diligentia impendenda ad deponendam ignorantiam, non est eadem in omnibus ; sed pensanda sunt, quæ spectant ad personam, præceptum, & operationem : nam homo doctus tenetur majorem per se adhibere diligentiam, quàm indoctus : hic enim adhibet sufficientem, si consulat viros doctos, in tali re bene versatos, carentes omni suspicione, quòd ex negligentia, vel malitia decipiant ; ille verò, si sufficiens per se non est ad cognitionem veritatis obtinendam, Doctores inspiciat, vel leges ipsas eâ diligentiâ, quæ in non levis momenti negotiis communiter adhiberi solet, consideret, expendatque motiva in utramque partem, sique inveniat motivum practicè prudens, & erret ; inculpabilis est. Dein si agatur de præcepto naturali, majore opus est diligentiâ, quàm si agatur de positivo, quia ad hoc faciliùs Superior, quàm quoad illud acquiescit. Denique, si operatio possit graviter nocere, majore opus est diligentiâ, quàm si nocere non possit : uni-

versaliter illa diligentia sufficit, quæ est proportionata personæ, præcepto, & operationi: illa autem his est proportionata, quæ seria est, & mediocris prudentûm judicio. In operabilibus, si quis perveniat ad prudens judicium practicum pro licentia actionis, sufficientem adhibuit diligentiam. Deus enim non exigit diligentiam, nisi humanam, humano modo præstabilem, ne innumeris exponamur peccatis, nec pater à filio prudenter exigit majorem. Major in negotio salutis laudabilis, sed non præcepta est. Mundani majorem quandoque adhibent rebus temporalibus, sed sæpe imprudenter. Vide La Croix L. 1. à n. 748. Hæc doctrina bene notanda est.

QUÆSTIO III.

An ab observatione Legis, vel Præcepti, & peccato excuset Epiikia ?

193. *Quid sit Epiikia?* *Nota.* Epiikia, Latinè summa quædam æquitas, aut benignitas, est actus prudentiæ, quo ex æquo & bono judicatur, quòd, licèt verba legis clara, & universalia sint, attamen Legislator noluerit ad hunc casum obligare, etsi videatur verbis legis comprehendi, sicque spectatur magis mens Legislatoris, quàm verba legis. Differt ab interpretatione legis, quæ verba ejus obscura exponit, & à præsumptione licentiæ, quæ supponit mentem Legislatoris se extendere ad hunc casum; judicat tamen, hîc & nunc non ligare; eò quòd tacitè det licentiam, aut daturus esset, si rogaretur. Hoc notato.

194. *Quando excuset?* Resp. Epiikia excusat ab observatione legis,

gis, vel præcepti, & peccato. 1. Si in particulari casu id, quod verbis legis comprehendi videtur, sit injustum, uti furioso reddere gladium apud te depositum: nam in tali casu Legislator, præcipiens reddi depositum, non potuit velle gladium reddi, adeoque mens illius ad casum illum se non extendit.

2. Si, quod lex præcipit, in aliquo casu fiat certò nimis arduum, superetque vires humanas. Sic lex jejunii non obligat in gravi necessitate, lex manendi in clausura non obligat Moniales orto incendio; quia leges illæ aliàs essent imprudentes, & nimis duræ.

3. Si certum, vel probabile sit, casum verbis legis non comprehendi. Et in his casibus opus non est adire Superiorem, etsi adiri possit; quia non potest prudenter urgere observationem legis.

4. Si casus verbis legis comprehendatur, & Superior adiri non possit; credatur tamen probabiliter, quòd non potuerit, aut noluerit in eo casu obligare; quia ad regimen suave pertinet, ut satis sit sequi judicium probabile: cùm enim Superior non potuerit omnes casus prævidere, nec semper possit adiri; durum foret, non posse sequi judicium prudens, ubi bonum commune aliud non exigit. Sic, quando est opinio probabilis probabilitate juris, quòd præcepto Missam audiendi satisfeceris, non teneris ad aliam. *Nec obest*, quòd lex videatur esse in possessione, quia prudenter creditur, quòd intentio Legislatoris ad illum casum se non extenderit, licèt verbis legis videatur comprehendi. Dixi: *Si Superior adiri non possit*; si enim possit, consulendus est; quia inordinatum est, uti conjecturis, & ex iis relinque-

linquere clara verba legis, ubi certitudo haberi facilè potest. In dubio negativo, si Superior adiri non possit, lex servanda est; quia est in certa possessione, nec est ratio prudens judicandi, quòd Superior in casu nolit obligare; secus, si prudenter existimetur, quòd Superior hîc & nunc cum magno incommodo nolit obligare.

5. Epiikia quandoque excusat ab observatione legis divinæ positivæ. Sic non tenemur integrè confiteri, si immineat mortis periculum, quod vitari non integrè confitendo possit, vel, si confusio apud alios magna subeunda foret. Sed, an hæc sit Epiikia propriè dicta, quæstio est de modo loquendi. Si enim Epiikiam definias: Actus prudentiæ: quo judicatur Legislator, casum particularem non fuisse comprehensurus suâ lege, si eum prævidisset, Epiikia propriè non erit, quia Deus omnes casus prævidit, & quosdam ab initio excepit. Unde, quia verba sunt universalia, Epiikia non quoad legem, sed quoad nos dici potest, prudenter judicantes, in talibus casibus Deum noluisse obligare. Similiter in lege naturali adhuc minùs propriè Epiikia esse potest, quia, licèt v. g. verba legis hujus: Non occides, sint universalia, nosque prudenter judicemus, licere occidere iniquum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non est tamen Epiikia propriè dicta: quia lex, ùt naturalis, verbis humanis non constat, & nunquam comprehendit illos casus, sed tendit in singulos, eosque tantùm, in quibus semper est obligatio, lex autem humana tendit universaliter.

6. Epii-

6. Epiikia non excusat ab observatione legis etiam humanæ irritantis : quia hæc non attendit ad casus particulares , sed præcisè ad communem uniformitatem actuum : hinc matrimonium, etsi tempore pestis non possit haberi præsentia Parochi & testium, sine his tamen contrahitur invalidè. Excipe tamen, nisi ordinariè lex in aliquo loco observari non possit, secundùm dicenda de matrimonio.

QUÆSTIO IV.

An ab observatione legis , vel præcepti excuset præsumptio licentiæ ?

Quid sit præsumptio licentiæ?

Præsumptio licentiæ est actus prudentiæ, quo judicatur Superior consentire , aut si rogaretur, esse consensurus licentiam dando, ut lex non observetur, quæ ad casum se extendit. Hoc notato.

Excusat quandoque, dum valor actûs non dependet ab actuali consensu Superioris.

Resp. Præsumptio licentiæ excusat , seu li- 195.
cet ejus usus 1mò. Si sit consuetudo, vel Superior sciat aliquid fieri , & non contradicat, cùm commodè posset : nam in tali dissimulatione continetur tacita approbatio Superioris, valetque illud : *Qui tacet , consentire videtur.* Secus est, si Superior ideo non improbet, quia difficulter potest ; quia timet se non audiendum , turbandam domum querelis : tunc enim valet : *Qui tacet, non consentire videtur.*

2dò. Quando valor actûs non pendet ab actuali consensu Superioris , scisque Superiorem solere dare consensum , tibique daturum esse prudenter credis, si rogaretur ; tum si actus omitti non possit , nec Superior commodè adiri,

adiri, licitè procedis, quia consensus Superioris satis innotescit ex factis ejus, exigitque suavitas, & prudentia regiminis, ut tunc consentiat; si autem adiri commodè possit, adeundus est. Si tamen tunc ex verecundia vel humano respectu, aut simili causa non adires, juxta Sanch. Suar. Castrop. Nava. peccares tantùm venialiter, quia Superior quoad substantiam censeretur esse contentus, etsi invitus sit quoad modum, ideoque sæpè puniat sic operantem. Verùm etsi hoc ità sæpè sit, non tamen tenet universaliter, quia Superiores præsertim Religiosi sæpè debent esse, suntque etiam inviti quoad substantiam, ne laxetur disciplina, si ubi commodè potest, non petatur licentia. Si factum aliquod soleat tantùm improbari quoad modum, signum est Superiorem quoad eum tantùm esse invitum.

Secus, si ab eo dependeat. 3tiò. Quando ad valorem actûs requiritur consensus actualis, vel saltem habitualis moraliter perseverans, quo conferatur facultas validè operandi; non sufficit præsumptio licentiæ, sic, ut validè absolvat Confessarius, non sufficit, quòd judicet Episcopum daturum approbationem, & facultatem absolvendi, si rogaretur: quia facultas absolvendi per hoc non adest actu, uti requiritur.

4tò. Quando non requiritur actualis consensus, juxta Palao sufficit judicium probabile, quod Superior, si rogaretur, consensurus esset, conformiter tamen dictis; quia sic proceditur prudenter. Sicut, si hìc & nunc sit judicium prudens, quod damnificatus non exigat restitutionem, v. g. à paupere, ab hac potest excusari: Molina autem requirit judicium certum, ne homines nimis facilè forment sine

suffi-

sufficienti fundamento judicia ; & leges, disciplinaque laxentur : sed hoc non tenet, si operaturus stares alterius viri prudentis judicio.

5tò. Qui ex præsumpta licentia aliquid accepit, ut id retineat, debet petere expressam licentiam, quia hæc mens est Superiorum, sub quorum dispositione res manet, & quidquid acquirit religiosus, acquirit ordini. Aliud foret, si res jam esset consumpta.

6tò. Hæc omnia etiam valent pro valore actûs, v.g. donationis rei parvæ ; non tamen magnæ : quia in parvæ rei, non in magnæ donationem Superiores tacitè consentiunt.

QUÆSTIO V.

An, & quando excusetur, vel peccet contra legem vel præceptum, qui illi impedimentum ponit, vel jam præsens non removet ?

Nota : Pro quæstionis hujus intricatæ so- 196.
lutione, spectanda est 1mò mens Legislato- *Tria*
rum : hi enim in una materia faciliùs quàm *spectan-*
in alia permittunt poni impedimentum : sic in *da sunt,*
die jejunii permittunt assumi laborem hone- *mens*
stum, vel utilem cum jejunio incompossibi- *Legisla-*
lem ; non verò die Dominicâ laborem talem *toris.*
incompossibilem cum auditione Sacri. 2dò. *mate-*
Materia præcepti vel legis : nam quæ sunt ju- *ria, &*
ris naturæ, exigunt majorem rigorem. 3tiò. *impedi-*
Ratio impedimenti, causaque, & intentio il- *men-*
lud ponendi, vel non removendi : impedi- *tum.*
menta enim per accidens minorem causam requirunt, quàm impedimenta per se, suntque Legislatores indulgentiores in illos, qui sin-

cero, quàm qui fraudulento, vel pravo procedunt animo: cùm enim impedimenta per accidens frequentiùs occurrant, Legislatores eſſent nimis rigidi, legeſque nimis difficiles, ſi pro utriſque parem exigerent cauſam; ſi verò æquè benigni eſſent in procedentes parvo, ac in procedentes ſincero animo; januam aperirent transgreſſionibus. 4tò. Perſuaſio, praxiſque fidelium. His notatis.

197. *An peccet, qui ponit impedimentum antequam lex urget?*

Reſp. 1mò. Peccat contra legem, qui eâ manens in actu 1mo ligatus, diebus etiam aliquot antequam urgeat, ponit impedimentum eo animo, ut eam implere non poſſit. *Ratio eſt*, quia is agit in fraudem legis; agentes autem in fraudem legis, Legislator non ſolvit obligatione, quia æquum non eſt, ut ei fraus patrocinetur, ne leges nimis liberè violentur. Idem dic de eo, qui eo fine impedimentum non removet, cùm facilè poſſet.

198. *An qui ipſo die, dum lex urget, impedimentum ponit, vel non removet*

Reſp. 2dò. Peccat contra legem, qui manens lege ligatus in actu 1mo, ſine rationabili cauſa, etiam abſque tali animo, ipſo die, quo lex obligat, aut paulò antè ponit impletioni ejus impedimentum, aut impedimentum, per ſe tale, non removet. *Ratio eſt*, quia lex, præſcribens aliquid, ſimul virtualiter vetat omne id, quod cum actione præſcripta eſt incompoſſibile; adeoque impedimenti poſitionem: alioquin lex non eſſet per ſe efficax, fruſtraque tentaret Legislator obligare. Dein præcipiens finem ſimul præcipit media neceſſaria ad illum, ſaltem ſi non ſint nimis difficilia; at non ponere, & removere impedimenta, eſt medium neceſſarium ad implendam legem. Sic quia acceſſus ad templum eſt neceſſarius ad audiendum Sacrum die feſto, ad illum

illum teneris : quia ad recitandas Horas Canonicas necessarium est Breviarium, ad illas obligatus, teneris hoc procurare ; & quia cum auditione Sacri non stat somnus, lusus, compotatio ; teneris tempore Sacri die festo ista omittere, vi præcepti audiendi Sacrum.

Dixi 1mò. *Qui manens lege ligatus in actu 1mo* : Qui est enim in loco vel statu, in quo lex eum in actu 1mo non obligat, non tenetur ad eum se transferre vi illius legis, v. g. Judæus non tenetur vi legis Ecclesiasticæ fieri Christianus, ut possit communicare, audire Sacrum. Qui est in alieno territorio, non tenetur, se referre domum, ut ibi audiat Sacrum, dum in suo loco est speciale festum.

Dixi 2dò. *Sine rationabili causa*; Quia hæc excusat, v. g. à præcepto jejunii labor. valdè fatigans, assumptus ob magnam utilitatem, vel necessitatem spiritualem, aut corporalem proximi, vel propriam.

Dixi 3tiò. *Ipso die, quo lex obligat, vel paulò ante* : Nam non peccat, qui valde remotè facit se impotentem ad implendam legem humanam : sic non peccat, qui die Lunæ iter ingreditur prævidens, se die Dominicâ sequenti non posse audire Sacrum. Imò juxta communem sensum, & interpretationem multæ leges humanæ non obligant, ne quis ponat iis impedimenta aliquot diebus antequam obligent, & urgeant. Sic in specie non peccat contra præceptum de audiendo Sacro, dicendis Horis, qui per potum causat in se morbum prævidens, se post aliquot dies fore impotentem ad audiendum Sacrum, dicendas Horas. Juxta Suarez & alios non peccat, qui sine fraude, per actionem de se licitam ponit

pridie impedimentum legi alicui humanæ. Sic non peccat, qui die Sabbati manè suscipit iter, prævidens se die Dominicâ non posse audire Sacrum, secus, si horâ tantùm unâ, vel altera ante medium noctis; quia festum tum censetur moraliter præsens; tunc autem sine gravi causa non licet ponere impedimentum. Aliud quoque est, si actio foret illicita, quia ad hanc jus non habet, nec potest præsumi Legislator in hoc cedere. Contrarium tamen tenet Bonac.

Dixi 4tò. *Qui impedimentum per se tale non removet?* Nam non semper tenetur removere impedimentum per accidens, & aliunde positum. Sic juxta Suarez cum communi non teneris procurare valetudinem, liberationem ex carcere præcisè, ut satisfacias præcepto Ecclesiæ de audienda Missâ, vel præcepto de Communione, & Confessione annua. Contra si sis excommunicatus, teneris, si possis commodè, procurare absolutionem ab ea, ut præcepto Communionis, & Confessionis satisfacias, quia excommunicatio per se, & directè illa impedit; non verò carcer, & infirmitas: & etiam juxta Gobat, ut præcepto audiendi Sacri satisfacias, quia excommunicatus censeris contumax; in hunc autem non censetur Ecclesia indulgentior, ut ei obligationem remittat. Sed hoc probabiliter negant alii communiùs, quia Excommunicatos Ecclesia hoc præcepto excludit, solumque vult obligare dispositos. Ex dictis resolves.

199. *Corollaria.* 1mò. Peccat, qui die jejunii actione ludicrâ & inutili itâ se fatigat, ut jejunare non possit; quia per talem actionem sine causa rationabili se reddit impotentem, etsi suppo-

positâ fatigatione, quæ aliàs excusaret, cœnare posse doceant multi. Econtra non peccat, si labore honesto, utili, vel necessario ità se fatiget; quia lex jejunii non est lata, inquit Palao, pro iis, qui tali labore sunt graviter fatigati.

2dò. Peccat probabiliùs contra præceptum Jejunii, qui die Jejunii graviter se fatigat labore partim ob recreationem, partim ut non teneatur lege; quia actio illa est in fraudem legis. Gobat tamen non audet peccati damnare eum; qui die Jejunii laborem honestum obiret, v. g. peregrinationem, etiam eo fine, ut haberet Jus cœnandi.

3tiò. Juxta Suarez peccant Sartores, Sutores, Pistores, qui pridie festi possunt, & non parant vestes, calceos, panes necessarios, & dein parant die festo. Idem dicit de Sacristanis, qui pridie non curant munditiem, & ornatum templi, sed in ipso festo.

4tò. Qui die festo se inebriat ità, ut Sacrum audire non possit, peccat contra præceptum audiendi Sacrum, & sobrietatem.

Resp. 3tiò. Peccat contra præcepta naturalia 200.
non solùm, qui iis ponit impedimenta proxi- *Lex na-*
ma, sed etiam aliquot diebus ante; & quandoque *turalis*
qui diutius ante, imò, & quandoque qui non *obligat*
tollit impedimenta remota, adhibetque media *arctiùs.*
etiam difficilia; quia bonum commune salusque animæ quandoque id exigit. Sic

1mò. Peccat pater contra pietatem, si prævideat se ex intemperantia contracturum morbum, ex quo post octo v. g. dies non est habiturus, quo alat proles.

2dò. Peccat contra Justitiam, qui hodie alteri pecuniam donat, prævidens, quòd post

menſem tunc ſolvendis debitis non poſſit ſatisfacere.

3*tiò*. Peccat Paſtor, Sacellanus, Officialis, Famulus &c. qui ex intemperantia, vel alia culpa cauſat ſibi infirmitatem, prævidens etiam poſt octo dies ſe fore imparem muneri ſuo, ad quod ex Juſtitia obligatur: quia Juſtitia obligat ſtrictiùs, quàm v. g. obedientia, religio, &c. A fortiori peccat Sacellanus contra Juſtitiam, teneturque ad reſtitutionem, ſi hodie obligatus celebrare, ſe inebriet, aut veſtes ſacras negligat accipere è loco vicino, vel impedimenta Canonica removere, etſi non teneatur ideo præcisè procurare ſanitatem, liberationem è carcere ſecundùm dicta.

4*tò*. Si prævideas te poſt octiduum non poſſe ſatisfacere præcepto divino, v. g. ſuſcipiendi Baptiſmum, confitendi, communicandi pro articulo mortis, peccas contra illa præcepta, ſi non prævenias. Item ſi Communionem Paſchalem differas uſque ad Dominicam in Albis, & tunc abſque neceſſitate, & urgente cauſa, eò abeas, ubi communicare non poteris: uti & ex communi ſenſu, ſi pridie ultimæ diei abſque urgente cauſa ponas obſtaculum Communioni Paſchali, vel Confeſſioni annuæ; *quia præcepta Divina ſtrictiùs obligant, & minùs patiuntur humanam interpretationem.*

QUÆSTIO VI.

An excuſetur is, reſpectu cujus finis legis in particulari ceſſat?

201. Certum eſt, quòd ſit excuſatio à legis obſer-

servatione, quando lex cessat respectu omnium, quod fieri potest variis modis.

Quando lex cesset respectu omnium.

1mò. Per abrogationem, seu totalem legis abolitionem, quæ fieri potest per simplicem Superioris revocationem; vel per consuetudinem contrariam à Principe, saltem tacitè approbatam; vel per legem contrariam. Quòd autem Superior possit suam legem revocare, extra dubium est, quia pendet etiam in conservari ab ejus voluntate, essetque revocatio valida, etsi sine causa fieret: nec peccarent subditi non servando, quia obligatio respectu omnium esset sublata; ipse tamen peccaret ob inconstantiam regiminis, & vilipensionem legum, quam pareret subditis. Similiter potest validè revocare legem sui Antecessoris, quia eandem habet potestatem; inferior tamen non potest revocare legem Superioris, quia non est paris potestatis.

2dò. Cessat lex totaliter, si ejus materia fiat injusta, aut inutilis; quia omnis lex debet esse honesta, utpote regula honesti, & in bonum cedens commune.

3tiò. Cessat, si respectu communitatis cesset tota & adæquata ratio, ob quam lata est; quia hâc cessante, non potest Legislator rationabiliter pergere obligare.

Controversia est, si causa finalis legis cesset tantùm respectu unius, vel alterius; an respectu illius lex cesset obligare, v. g. si aliqui piscibus magis nutriantur, quàm carnibus; an lex de abstinendo ab esu carnium respectu illorum cesset obligare? Item si prohiberetur præcisè ad vitandas rixas gestare arma; an, si respectu alicujus nullum esset periculum; is lege illâ adhuc teneretur non gestare arma?

Quibusdam videtur cessare obligatio legis in tali casu, & consequenter excusari ab observatione legis is, respectu cujus finis legis cessat. *Ratio est.*

1mò. Quia, cessante fine legis respectu communitatis, respectu hujus cessat obligatio legis; ergo & in casu præsente, quia Superioris voluntas cessat, cessante ejus motivo.

2dò. Cessaret lex in hac urbe, si respectu ejus cessaret finis legis, etsi non cessaret respectu totius Diœcesis, si pro aliis locis maneret finis legis; ergo à pari.

3tiò. Lex naturalis cessat, cessante fine ejus in persona, vel casu particulari: sic cessat lex naturalis prohibens legere librum hæreticum vel turpem, si accedat causa legitima, & cesset periculum perversionis, vel peccati.

4tò. Cessat lex præcipiens fraternam correctionem, ubi non est spes fructûs; ergo à pari. Ità Navar. Arria. Cajet. Henriquez & alii.

202. *Sententia negativa probabilior.* Resp. Probabiliùs non excusatur ab observatione legis is, respectu cujus finis legis humanæ in particulari cessat. Ità Suarez Vasq. Sanch. Molina, Palao, & alii communiùs. *Ratio est 1mò.* Quia Legislator humanus vult, ut omnes teneantur legibus uniformiter, quàm diu observatio ejus est utilis bono communi, lexque honestè servari potest: in nostro autem casu ejus observatio est utilis bono communi: nam confert, imò & necessaria est ad servandam subditorum uniformitatem, ut vitentur fraudes, legesque sint efficaces; aliàs enim multi sibi facilè fingent finem legis respectu sui cessare; sicque eludentur leges, nascentur scandala, tolletur uniformitas in subditis, qui sæpè nesciunt, quos fines præfixos sibi habuerit

rit Superior. Quare bonum commune exigit, ut in casu pergat lex obligare. Et hinc non licet Matrimonium contrahere non præmissis proclamationibus, etsi sponsi scirent non subesse impedimentum. Non licet viro sancto ingredi clausuram Monialium, eas instruendi causâ, etsi sciret nullum subesse periculum scandali, & tamen finis legis inadæquatus cessat, qui fuit, ut vitentur scandala, & non impediantur Moniales à spiritualibus. Similiter non licet tibi, vetante Ecclesiâ, libros hæreticos legere sine speciali licentia, etsi tibi cesset periculum perversionis, quod fuit præcipuus finis legis.

Ratio est 2dò. Quia finis legis humanæ non potest adæquatus cessare in particulari; ergo lex, si communitatem obliget, omnes & singulos obligat. Antecedens probatur: nam imprimis lex humana non respicit particulares casus, sed ea, quæ communiter contingunt, v. g. non prohibet gestare arma ad has, illasve rixas vitandas, sed ad vitandas, quæ communiter contingere possunt; atqui licet non sit periculum respectu particularis personæ; tamen communiter possunt contingere. Proinde manet ratio legis, adeoque lex. Deinde finis legis humanæ etiam est, ut ordinatè, & uniformiter vivant subditi, quia leges humanæ sunt regulæ communes; ergo finis legis humanæ nunquam adæquatè cessat. Vide Suar. hîc l. 6. cap. 7. n. 5. art. 9. n. 16. ubi hoc eruditè probat.

Atque ex his patet responsio *ad rationem 1mam* adversæ sententiæ: Nam finis adæquatus legis cessare potest respectu communitatis, respectu personæ individuæ cessare non potest.

Ad secundam. Hæc urbs est perfecta communitas ; hinc lex respectu ejus cessare potest, vigore ejus permanente in aliis Diœcesis partibus. Nec tum periculum foret eludendi legem , vel scandali ; sed finis & legis cessatio promulgari posset. *Ad 3tiam* do disparitatem : Lex enim naturalis non fertur ex præsumptione periculi communis , sed tendit in particulares casus ; sique periculum sit, ne homines fingant sibi casus, in quibus non liget ; lex naturalis non cessat in particulari casu , quamvis immediata ejus ratio cesset. Sic lex naturalis prohibens fornicationem, ut non sint incerti parentes , negligatur educatio prolis &c. in particularibus casibus , licet in his abessent illa , pergit prohibere, ne homines frequentes casus fingant , in quibus judicent hic & nunc non esse periculum , sicque sequatur confusio in repub. humana. *Nec obstat ratio 4ta* : Nam quanquam lex illa naturalis sit , respectu omnium in multis circumstantiis ; finis illius obtineri non potest ; & hinc lex aliter lata non est , quàm ut corrigatur frater , cùm spes est fructûs ; leges autem humanæ , cùm ex iis fructus ordinariè sperari possit , feruntur omnibus , uniformemque observationem à subditis exigunt , utpote fundatæ in communiter contingentibus. Opposita sententia equidem probabilis est , at in praxi vix locum habere potest ; quia vix constabit , an finis in particulari cesset ; in dubio autem est lex in possessione. Dein vix aberunt scandala. Aliud est, si in certo casu cesset respectu omnium , ùt si Superior præciperet religiosis suis , ne quis prospiceret ex fenestra in plateas , ut sic castitati meliùs consuleretur ;

retur; de nocte, ubi nullum est periculum, prospiciens non peccaret; quia respectu omnium de nocte cessat periculum. Idem est, si ad vitandam ebrietatem præciperet, ne quis biberet vinum extra domum, & quis modicum biberet: quia sic respectu omnium cessaret finis legis; secus foret, si unus multum bibendo non exponeretur periculo, quia maneret finis legis respectu communitatis. Aliud est de lege privata secundùm dicenda p. 2. n. 346. Coroll. 12. Quando dispensatio excuset ab observatione legis, constabit ex dicendis à n. 238.

CAPUT VIII.

De Lege favorabili, odiosâ, Privilegiis, & Gratiis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Lex favorabilis, & odiosa?

Resp. Lex favorabilis est, quæ favorem specialem concedit. *Dico specialem*, quia omnis lex est in favorem & bonum communitatis; nec tamen omnis lex favorabilis est; sed ad hoc opus est, ut ejus materia sit velut beneficium speciale vel communitatis, vel ejus parti sine præjudicio alterius, ùt sunt quædam privilegia, leges, apponentes solennitatem contractibus, ut vitentur fraudes, statuentes certam taxam mercibus, ne ultra certum pretium justum vendantur. 203. *Lex favorabilis, & odiosa.*

Econtra lex odiosa est, quæ pœnam vel simile

mile gravamen infert, puta diſtinctum à gravamine, quòd lex omnis ex ſua vi obligante imponit. Tales ſunt 1mò. Leges pœnales. 2dò. Quæ tributum, vectigalia, vel ſimile onus imponunt. 3. Quæ ex odio delicti actum irritant. 4. Quæ exorbitant à jure communi, illud vel limitando, vel corrigendo, vel ei derogando, obligatione apud alios manente. 5. Quæ adverſantur Reo, vel Poſſeſſori.

Quòd ſi lex ex una parte favorem, ex altera parte gravamen ſpeciale importet, ut lex
204. *Quid in dubio?* tributorum, quæ gravat eos, quibus imponuntur, & favet rei, vel perſonæ pro qua imponitur; aliqui ſimpliciter favorabilem putant dicendam; quia favor per ſe intenditur, & ampliandus eſt: alii volunt dicendam eſſe odioſam; quia bonum ex integra cauſa, & odium non importat negationem omnis favoris. Sed diſtinguendum eſt: nam ſi favor, & gravamen ſint ſeparabilia, id eſt, ſi unum poſſit augeri, quin augeatur alterum, ùt fieri poteſt in Privilegiis præter Jus, & favoribus, qui conſiſtunt in tempore, modo vel honore &c. lex cenſenda eſt odioſa, quatenus gravamen imponit; favorabilis autem quatenus favorem continet; quia tunc unum alterius ampliationem vel reſtrictionem non impedit. Si autem favor, & gravamen ſint inſeparabilia, id eſt, ſic connexa, ut non poſſit augeri unum ex una parte, quin augeatur alterum; conſideranda ſunt verba legis, intentio Legislatoris, bonum commune, materia legis; an ſit valdè decens, aut indecens, utilis, perniciosa, valde neceſſaria vel non, & circumſtantiæ, illudque eſt præferendum, quod videtur graviùs, honeſtati, juſtitiæque legis magis

magis consentaneum : cùmque favor per se intendi possit, non verò odium ; favor per se loquendo cæteris paribus præferendus est, odiumque non augendum.

Quanquam potest esse tanta necessitas imponendi gravamen, ut illud imponi vel augeri exigat bonum commune : sic multi censent legem de non percutiendo Clerico esse favorabilem, & extendendam, etsi pœna extendenda consequenter videatur. V. g. Dum dubitatur, an hæc vel illa percussio Clerici sit enormis, adeoque casus reservatus Pontifici, censendum volunt esse reservatum ; quia lex illa est favorabilis Religioni, exigitque illum rigorem, ut stabilis perseveret. Verùm licèt favorabilis sit respectu statûs Clericalis, & extendenda etiam ad Novitios &c. tamen quoad pœnas odiosa est, & benigniùs interpretanda secundùm dicenda sub N. 286. Similiter legis imponentis tributum potest esse causa tam pia, & necessaria, ut non habeatur ratio gravaminis, quò minùs lex sit simpliciter favorabilis, & extendenda : Econtra lex excludens fœminas, v. g. Nobiles ab hæreditate, licèt faveat maribus, est tamen juxta communem simpliciter odiosa ; quia favor ille nec necessarius est, nec ad pacem, morumque honestatem valde requiritur.

Quòd si omnibus diligenter expensis, dubium maneat, quid prævaleat, favor an gravamen ; lex simpliciter censenda est favorabilis ; quia lex favorem per se inducit, odium autem quasi ex accidenti, & consequente propter necessitatem : id autem, quod est per se, cæteris paribus, & in dubio præferendum est illi, quod est ex accidenti. Si lex favorem &

odium

odium videatur æqualiter importare, ab aliquibus dicitur mixta; quæ autem nec ſpecialem favorem, nec ſpeciale gravamen affert, dicitur neutra, ut præcepta morum generaliter lata ob bonum commune. Suarez omnem legem, vel favorabilem vel odioſam eſſe cenſet; quia, quæ videtur mixta, ex parte prævalente denominationem accipit. Si neutra prævaleat, vel ſit dubium, cenſetur favorabilis. Si denique ſpeciale onus nulli imponat, nec ſit nimis oneroſa, ſed conſentanea communi hominum vivendi modo, eſt favorabilis; quia magnum eſt beneficium ità ſuaviter duci ad honeſtè vivendum, nec legem facit odioſam obligatio omnibus legibus communis, nec moderata difficultas virtuti intrinſeca, nec periculum reatûs, quia hic per accidens habet ſe ad legem, & ex noſtra inconſtantia, & fragilitate provenit.

Hæc doctrina de lege odioſa, & favorabili benè eſt obſervanda ad intelligendas leges, quia lex odioſa eſt reſtringenda, quantùm patitur proprietas verborum ejus; favorabilis extendenda, quoad ſalvâ verborum ſignificatione propriâ extendi poteſt. Sic in favorabilibus nomine civium veniunt etiam Clerici, nomine Religioſorum etiam Moniales, & Novitii, non verò in odioſis.

QUÆSTIO II.

Quid & quotuplex ſit Privilegium?

205. *Definitio.* Reſp. 1mò. Privilegium eſt conſtitutio Legislatoris, tribuens ſpecialem favorem, vel perpetuum, vel ad plures actus: vel eſt facul-

tas

tas permanens à Superiore concessa, agendi aliquid, vel non agendi contra, vel præter Jus commune, seu legem, ùt exemptio à solvendis decimis, facultas venandi in alieno territorio. Dicitur facultas permanens, non quòd omne privilegium sit perpetuum, sed quòd sit saltem ad plures actus: nam privilegium potest esse ad certum tempus tantùm, vel solùm ad dies vitæ. Differt tamen à dispensatione, quia hæc semper est relaxatio legis, potestque esse ad unicum casum particularem: differt quoque à gratia, quia & hæc ad unicum actum esse potest, quamvis privilegium sit quoque gratia.

Resp. 2dò. Privilegium dividitur 1mò in reale, quod conceditur ratione rei, muneris, status, vel conditionis, aut dignitatis: & in personale, quod directè & immediatè conceditur personæ. Hoc affixum est personæ, & cum ea extinguitur; illud affixum est rei, statui, cumque eo perseverat, & transit ad hæredes, ac Successores; re autem pereunte, perit. 2dò. Dividitur in privilegium contra legem, quo quis eximitur à lege, v. g. solvendi onera communia: & in privilegium præter legem, quò quis à lege non eximitur; sed conceditur facultas, ei de Jùre non competens, ùt v. g. dispensandi in votis. 3tiò. Dividitur in favorabile, quod non est contra legem, nec gravat alium, ùt facultas absolvendi à reservatis &c. & odiosum, quod est contra legem, vel gravat alios. Illud est latæ interpretationis; hoc verò strictæ, nisi datum sit in favorem causæ piæ, aut publicæ, vel communitatis religiosæ. 4tò. Dividitur in merè gratiosum, quod datur gratuito, non intuitu merito- 206. *Divisio.*

ritorum, vel obſequiorum præcedentium. Item in oneroſum, quod datur per contractum de onere reciproco. 5. Dividitur in perpetuum & temporale, ſeu ad certos annos, vel ad dies vitæ. 6. In affirmativum, quo datur facultas aliquid agendi: & negativum, quo datur facultas non agendi, quod aliàs agi deberet. 7. Dividitur in conceſſum motu proprio, quod procedit ex certa ſcientia concedentis ſine intuitu petitionis, & in conceſſum ad inſtantiam, quod datur intuitu petitionis. Hoc poteſt eſſe ſupreptitium, non verò illud. 8. In clauſum in Corpore Juris, quod eſt datum per ſpeciale reſcriptum: relatum in Corpus Juris; & in non clauſum in eo. Illud cenſetur Princeps non ignorare, hoc probabiliter ignorare poteſt.

QUÆSTIO III.

Quis poſſit concedere Privilegia, & quibus?

207. *Conceſſio.* Reſp. Privilegium contra Jus concedere poteſt ſolus is, qui in jure ſeu lege poteſt diſpenſare; quia exemptio à lege eſt actus jurisdictionis, & quædam privata lex, obligans alios, ut privilegiatum non impediant in uſu privilegii. Quare ſolis ſubditis concedi poteſt Privilegium præter jus poteſt & aliis concedere, etiam non ſubditis. Sic Princeps poteſt concedere externo non ſubdito jus venandi in ſuo territorio, conſcribendi militem, non ſolvendi vectigalia; quia talis conceſſio poteſt eſſe actus meræ facultatis inſtar donationis.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quid circa uſum Privilegii, vel Gratiæ obſervandum?

Reſp. Ut uſus valeat, privilegium debet eſſe acceptatum, cùm ſit inſtar donationis. Hinc datum motu proprio effectum non habet, niſi ſciatur conceſſum, vel expeditum; conceſſum autem ad inſtantiam petentis, actum poteſt habere validum, quamprimum conceſſum eſt, etſi conceſſio ignoretur, quia adeſt tacita acceptatio in petitione incluſa. 2. Poteſt quis uti privilegio in proprio concedentis territorio, & etiam in alieno, niſi quid obſtet. 3. Per ſe loquendo, nemo tenetur uti ſuo privilegio; quia privilegium privilegiato directè onus non imponit. 208. *Uſus privilegii.*

Dixi: *Per ſe loquendo:* nam tenetur illo uti, ſi datum ſit Communitati; ſic Clericus tenetur non comparere coram Judice ſæculari, ne ſtatui favor ſubtrahatur. Item, ſi privilegium habilitet ad actum aliunde debitum, ſeu tollat impedimentum ab illo; ſic habens privilegium Oratorii privati, ut audire in illo poſſit Miſſam, ſi die feſto illam gratìs habere poſſit, & alibi nequeat intereſſe, in Oratorio ſuo privato tenetur illam audire. Similiter, ſi haberes privilegium non ſolvendi decimas, & ſolvendo fieres impar ſolvendis tuis debitis, tenereris privilegio uti. *Obligatio ad illud.*

Econtra, ſi prævideas, te cras impediendum à recitandis Horis Canonicis, non teneris hodie ſub veſperum recitare Matutinum & Laudes pro die craſtino, etſi ex privilegio poſſis,

possis, quia vi privilegii non teneris, & præceptum pro die crastina necdum obligat: tot enim sunt præcepta, quot in anno dies. *Nec obstat*, quòd prævidens te in diebus Paschalibus non posse communicare, tenearis prævenire, si intra annum non communicaveris; quia præceptum communicandi est virtualiter duplex, nempe communicandi semel in anno, & id in Paschate, si possis. 4. Potes uti tuo privilegio ab æquali potestate concesso, non obstante alterius privilegio contrario, si tuum sit particulare, vel negativum v. g. non solvendi decimas; & alterius sit affirmativum, & universale v. g. exigendi decimas in toto districtu. Item, si tuum sit ab altiore potestate, nisi alter habeat antiquius, cui derogatum non sit.

QUÆSTIO V.

Quot modis Privilegia, & Gratiæ cessent?

209. *Cessant octo modis.* Resp. Privilegium cessat 1. Si res vel persona, cui annexum est, intereat tota, ità ut spes non sit rem suo statui restituendi.

2. Si usus sit inhonestus, sic cessat privilegium non residendi in Ecclesia Beneficii, si dein Ecclesia destitueretur necessariis ministris. Item privilegium colligendi decimas in aliena Parochia, si dein Ecclesia destitueretur necessariis proventibus.

3. Per lapsum temporis, pro quo concessum est.

4. Si cessat causa finalis privilegii, habentis tractum temporis successivum. Sic cessat concessum absentibus studiorum causâ privilegium

legium percipiendi fructus Beneficii, si amplius non studeant, aut tempus aliis terant, studiis neglectis; si autem causa privilegii extiterit tota simul, eâ cessante, privilegium non cessat, conformiter dicendis de dispensatione.

5. Si privilegiatus sponte, & legitimè renunciet privilegio, id est, non metu coactus injusto, non fraude inductus, non in præjudicium tertii. Hinc Clericus non potest renunciare privilegio Canonis vel fori; nec Religiosus privilegio exemptionis, & sic de aliis concessis in favorem Communitatis, Statûs, dignitatis, loci. Porrò, ut renuntiatio sit valida, debet, si fiat in favorem tertii, esse acceptata, quia est quædam donatio. Imò probabiliter debet accedere voluntas concedentis, à quo dependet. Hinc potest, quamdiu voluntas concedentis manet, renuntians retractare renuntiationem, & privilegium iterum acceptare. Ità Sanch. & Palao.

6. Cessat per abusum, ùt, si extendatur ultra concessionem, aut ex eo sumatur occasio peccandi. Hoc tamen casu debet accedere sententia Judicis.

7. Si privilegium alios gravet, amittitur per voluntarium & liberum non usum tempore ad præscriptionem requisito; ut autem non usus sit voluntarius, debet adesse occasio utendi, & sciri; secus, si privilegium neminem gravet, præscriptio locum non habet, quia aliorum tunc nihil interest.

8. Cessat per revocationem concedentis, aut ejus successoris expressam, & privilegiato significatam, & per legem contrariam promulgatam, modò sufficiens fiat ejus mentio. Quæ tamen concessa sunt in remunerationem, vel ex contractu oneroso, onere præ-

ſtito, non poſſunt revocari, niſi ex gravi cauſa, pertinente ad bonum commune, & quidem cum juris ablati compenſatione. Univerſim privilegium, per contractum etiam donationis conceſſum, ſine juſta cauſa revocari licitè non poteſt; quia jus acquiſitum eſt privilegiato; mera tamen facultas delegata v. g. ad revocationem, probabiliter revocari poteſt, etſi non decenter ſine cauſa, quia beneficium Principis decet eſſe manſurum. Unde revocans peccaret ſaltem venialiter.

210. *Quid in dubio, an ſit revocatum?* In dubio, an privilegium, ſeu facultas ſit revocata, extra caſum, quo eſt obligatio ſequendi tutius ſecundùm dicta, licet eo uti, quia revocatio eſt odioſa & non præſumitur, nec prohibetur quis jure ſuo uti, niſi probetur prohibitio; ſi tamen dein deprehenderetur revocata fuiſſe, per ſe loquendo, uſus cenſeretur nullus, utpote profectus à non habente poteſtatem v. g. diſpenſatio in voto. Sicut, ſi pater irritaret votum filii, erroneè putans emiſſum eſſe ante pubertatem. *Nec juvat*, quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis, ſi dubium ſit, an fuerit caſtitatis perfectæ; quia is ad hoc ordinariam habet poteſtatem. Uti *nec juvat*, quòd in dubio, an peccatum ſit reſervatum, quivis approbatus Sacerdos ab eò poſſit abſolvere, quia dubiè reſervata non ſunt reſervata; cùm reſervatio ſit odioſa; odia verò ſint reſtringenda. Dixi: *Per ſe*, quia caſus, in quibus ſolet ſupplere defectum poteſtatis Superior, ùt fit, quando eſt miniſter publicus cum errore communi, & titulo, excipiendi ſunt.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

An Privilegium, seu Facultas permanens, aut Gratia cesset per mortem concedentis?

Resp. Privilegium perfectè concessum, & non restrictum ad dies vitæ concedentis, & gratia facta non cessant per mortem, quia sunt quædam donatio, decetque beneficium Principis esse mansurum · ècontra gratia facienda cessat per mortem ejus; quia non est donatio facta, sed facienda pro arbitrio delegati. Patent hæc ex Cap. *Autem*, *si cui de Præbendis in 6.* censetur autem gratia facta 1. Si sit directa ad ipsum effectu gratiæ donandum, ipsiusque arbitrio relicta, ut v. g. eligat, qui ipsum absolvat, secum dispenset, &c. 2. Si alteri sit concessa facultas cum mandato, ut tali gratificetur v. g. tecum dispenset, tibi certum Beneficium conferat; quia, si adsit mandatum, habes jus ad gratiæ effectum, in quo jure hic virtualiter continetur. Ità Sanch. Castrop. & Molina, qui duo postremi censent ex Cap. *Si cui*, quòd, quando Beneficium non est determinatum, sit gratia facienda, quia in Cap. illo dicitur, quòd si facultas sit concessa providendi certæ personæ in certa Ecclesia, re adhuc integrâ, expiret morte concedentis: si non sit data in favorem ejus, cui mandatur. Verùm Sanch. & alii per eum, cui mandatur ibi, intelligunt, cui simplex facultas est data providendi certæ personæ de Beneficio, sive determinato, sive indeterminato. 3. Gratia facta non exspirat morte concedentis, si facultas sit

211. *Cessat, si sit tantùm gratia faciēda, secus, si sit gratia facta.*

concessa simul in favorem delegati v. gr. ob merita, ut possit certo suo nepoti conferre Beneficium, cujus collatio aliàs ad concedentem pertinet. 4. Si potestas non sit restricta ad certam personam, sed data ad aliquibus non determinatis in individuo, vel quasi in individuo gratificandum: quia facultas, sic concessa delegato, meritò dicitur gratia facta illi, cùm penes ipsum sit gratificari, quibus voluerit. Habetur in Cap. *Si cui.* Idem censet Illsung, si facultas non sit restricta ad executionem certæ gratiæ, etsi tunc sit persona determinata; quia gratia facta est delegato, quòd penes ipsum sit facere gratiam v. g. Beneficium conferre, quod libuerit. 5tò denique, Gratia facienda tantùm est, si, re adhuc integrâ, facultas sit restricta ad certam personam, nec adsit mandatum adjunctum, nec sit simul in favorem delegati, sed executio relicta libera delegato. Hinc resolves.

212. *Corollaria.* 1. Si tibi data sit facultas audiendi pœnitentes non determinatos, non exspirat morte concedentis v. g. Episcopi, Parochi, &c. quia est Gratia tibi etiam facta, quòd possis, quibus libuerit, gratificari. Ità Suarez, Palao, Sanch. Idem putant probabiliter Suarez, Palao contra Sanch. Si personæ sint determinatæ, quia est tibi Gratia, quòd sis electus tanquam magis idoneus. Imò probabiliter censent Suarez & Palao, quòd quæcunque facultas spiritualis, facta ad effectum spiritualem animæ, sit Gratia facta: Verisimile enim est, quòd Superior in materia, principaliter spectante ad bonum animæ, velit favere etiam delegato, cùm facultas succurrendi animabus in bono spirituali sit magnum Beneficium. In materia ambitiosa

tiosa seu beneficiali, & fori contentiosi Jura aliter statuunt.

2. Si tibi data sit licentia suscipiendi Ordines à quocunque Episcopo, non residendi studiorum causâ, non exspirat morte concedentis, re etiam adhuc integrâ, quia Gratia est facta.

3. Si Ordinario commissum sit, ut tecum dispenset in irregularitate v. g. ex delicto, impedimento Matrimonii; facultas non exspirat morte mandantis, quia est Gratia facta; si autem potestatis esset relictus usus ejus arbitrio, re adhuc integrâ, exspiraret, nisi esset simul facultas in favorem Ordinarii; si autem res non esset amplius integra, non exspiraret, etsi esset tantùm Gratia facienda.

Porrò non amplius integra res est, quando Delegatus jam cœpit facultate concessâ uti; velut, si providendum authoritativè jam ad se vocaverit, mandaverit fieri informationem de veritate precum; secus esset, si precatori tantùm exhibuisset rescriptum, quia hoc non esset pars executionis, sed tantùm dispositio ad illam; uti nec dispensatio cum uno est pars executionis dispensandi cum altero: hinc, si rescriptum contineret plures personas, per dispensationem cùm una res non desineret esse integra respectu aliarum. Schmalzgruber L. 5. T. 33. num. 171.

215. *Quando res censeatur non amplius integra?*



CAPUT IX.

De Lege pœnali, & irritante, Consuetudine, & Jure Gentium.

QUÆSTIO I.

An dentur Leges purè pœnales?

114. *Dantur leges purè pœnales.* RESp. affirmativè. Leges enim purè pœnales dicuntur, quæ non obligant determinatè ad actum, vel omissionem, sed, ut vel ponatur actus, vel omissio, aut subeatur pœna. Uti, si dicatur, qui venatus fuerit deprehensus, solvet 20. aureos; qui de nocte incedet per plateas sine lumine, solvet aureum; tales autem leges dari certum est. Sic leges habent Religiosi Ordines, quæ non obligant sub peccato ad actum, vel omissionem; obligant tamen ad pœnam, si dictetur, ob transgressionem subeundam. Et *Ratio est*; quia valde conducit bono communi, subditos astringi quandoque sub pœna tantùm, quando nempe hâc solâ satis obtinetur finis legis, ne sine causa multiplicentur peccata.

Dices. Non potest esse pœna, & obligatio ad illam, nisi præcesserit culpa; ubi autem non est obligatio ad actum, vel omissionem, culpa non præcessit.

Culpa duplex. Resp. Nisi præcesserit culpa vel Theologica, vel civilis, seu actio vel omissio contra bonos mores politicos, Con. Nisi præcesserit culpa Theologica, non potest esse obligatio ad pœnam propriè dictam, Conc. Latiùs acceptam, Neg. Ut sit obligatio ad pœnam pro-

propriè dictam, quæ est peccati ultio & noxæ vindicta, requiritur culpa propriè dicta, seu Theologica; ut autem sit obligatio ad pœnam latiùs acceptam, sufficit vel imperfectio moralis, qualis admittitur à Religiosis, transgredientibus regulam, non obligantem sub peccato, vel defectus aliquis civilis contra ordinem Communitati constitutum, ad quem vel servandum, vel subeundam pœnam se obligant subditi, dum volunt esse, & manere pars Communitatis.

QUÆSTIO II.

Quando Lex pœnalis in Conscientia obliget ad actum, vel omissionem, cui annexa est pœna?

Nota sequentia. 1. Pœna est justa transgressionis alicujus moralis, vel politicæ vindicta, aut correctio. 2. Pœna alia est positiva, quæ actu externo Rei afflictivo perficitur, seu, cujus executio requirit actionem vel nocentis, vel alterius. Si requirat actionem nocentis, dicitur pœna activa, secus passiva; utì fustigatio, mutilatio, &c. Alia est privativa, quâ Reus privatur bonis vel juribus plenè quæsitis: utì privatio Beneficii Ecclesiastici, justè possessi, confiscatio bonorum; alia est negativa, quâ negatur Reo bonum, aliàs plenè acquirendum; vel mera ad illud inhabilitas inducitur. 3. Pœna alia est spiritualis, quæ subeunda est in bonis, & juribus spiritualibus, seu privat delinquentem officio spirituali, vel illius usu, aut ad ea inhabilem reddit. Tales pœnæ sunt: Excommunicatio, suspensio,

215. *Quid, & quotuplex pœna?*

interdictum, irregularitas ex delicto, degradatio, depositio, privatio Beneficii, sepulturæ Ecclesiasticæ, vocis activæ & passivæ in electione ad Beneficia. Alia est temporalis, quæ privat juribus vel bonis temporalibus: ùt confiscatio bonorum, exhæredatio; alia est corporalis, quæ corpus afficit; ùt castigatio, mutilatio; alia capitalis, quâ mors vel naturalis, vel civilis infertur. 4. Pœna alia est ferendæ, alia latæ sententiæ. Ferendæ sententiæ est, quæ statuitur infligenda per Judicem; latæ verò sententiæ, quæ statuitur incurrenda ipso facto, seu solâ culpæ admissione per legem infligitur. Primæ signum est, si lex constet his similibusve verbis: Qui hoc fecerit, vel omiserit, excommunicetur, excommunicabitur, si reus, erit reus pœnæ, obligetur, obligabitur ad pœnam, subjacebit pœnæ, prohibemus, præcipimus sub excommunicatione: Et universim, quotiescunque lex tantùm minatur pœnam infligendam. 2dæ indicium est, si lex his similibusve verbis afferatur: Qui hoc fecerit, vel omiserit, ipso facto pœnam incurrat, extunc sit reus pœnæ, extunc subjaceat pœnæ, sciat, se incurrisse pœnam, sit excommunicatus, excommunicamus eum. His notatis

216. *Colligitur ex pœna an lex obliget.* Resp. 1. Si lex imponat pœnam spiritualem latæ sententiæ, obligat in conscientia etiam ad actionem, vel omissionem. Ità Suar. hìc L. 5. c. 3. n. 6. Bonac. Azor, Castrop. contra Nav. in Summa c. 23. n. 55. ubi contendit, quòd nulla lex humana, imponens pœnam, etiam spiritualem, obliget ad actum in conscientia, nisi Legislator id declaret manifestè. *Ratio nostra est*; quia pœnæ spirituales propriè dictæ,

dictæ, non solent infligi, nisi ob culpam Theologicam. Unde, licèt verba non essent clarè præceptiva actûs, vel ejusdem prohibitiva; attamen per pœnam determinarentur ad obligationem gravem, vel levem pro quantitate pœnæ ad actum, vel omissionem in conscientia. Dixi: *Latæ sententiæ*: nam pœna etiam gravis ferendæ sententiæ non semper est indicium obligationis gravis in conscientia ad actum; sed sæpe adjicitur tantùm ad terrendum, ùt notat Lugo de Justitia D. 6. n. 51. Imò cùm tunc regulariter requiratur monitio, non punitur tam transgressio, quàm contumacia post monitionem se non emendantis, ùt ait Schmalzgruber L. 1. T. 2. n. 32.

Resp. 2. Si lex sive Civilis, sive Ecclesiastica 217.
imponat pœnam non spiritualem, v. g. confiscationem bonorum, mulctam pecuniariam; distinguendum est: nam, si constet ex verbis actûs præceptivis; obligat in conscientia ad actum, nisi aliud constet vel meritò præsumatur de mente Legislatoris: quia verba præceptiva de se significant obligationem, eamque significationem non perdunt per appositionem pœnæ; sed potiùs firmatur per eam voluntas Legislatoris. Non est quidem improbabile, juxta Viva cum aliis, in damnatam 23. ab Alex. VII. quòd ejusmodi lex civilis, constans verbis præceptivis, non obliget ad actum regulariter, nisi sub veniali; eò quòd sine necessitate onera non sint multiplicanda, possintque subditi per obligationem sub veniali, & ad pœnam subeundam post sententiam Judicis, satis coërceri, nec sit inconveniens, pœnam gravem irrogari ob culpam gravem civilem; sed opposita sententia communis, & probabilior est, quia in-

Et verbis legis.

tentio Legislatoris obligandi habet pro mensuram materiam; nisi ergo aliud exprimat, censebitur obligare pro gravitate materiæ. Vide tamen dicenda p. 4. *de Confirmatione*, & in Analysi n. 99.

Si autem lex non constet verbis præceptivis actûs, sed indifferentibus, quæ voluntatem obligandi non sufficienter indicent, in conscientia regulariter ad actum vel omissionem non obligat, nisi aliunde constet de mente Legislatoris. *Ratio est*; quia, quando Legislator potest, & non sufficienter indicat voluntatem suam, præsumitur non voluisse obligare: in odiosis enim benignior, & subditis favorabilior interpretatio facienda est. Quare pœna temporalis etiam gravis se sola non est sufficiens signum gravis obligationis ad actum, cui pœna imponitur; præsertim cùm pœna temporalis non necessariò supponat culpam Theologicam, ubi finis legis sine ea potest sufficienter obtineri.

Dixi: *Regulariter*. Nam Suarez existimat, ubi pœna non spiritualis est valdè gravis v. g. pœna mortis, vel mutilationis, esse ad actum obligationem gravem in conscientia, eò quòd pœnam talem inferre sine culpa coram Deo foret intolerabile. Idem dicit, si lex sit circa materiam gravem, non merè politicam, sed spectantem ad bonos mores; eò quòd tunc exigat bonum commune, ut in materia tali gravis sit obligatio in conscientia; sed alii putant, ad pœnam gravem imponendam sufficere culpam civilem, & satis consuli bono communi per impositionem pœnæ gravis.

Ex his constat, an lex sit purè pœnalis, an verò mixta, potissimum colligi ex pœna: si enim hæc spiritualis sit, obligat lex in conscientia ad

actum,

actum, vel omissionem; si verò spiritualis non sit, nec lex constet verbis præceptivis, non obligat ad actum in conscientia, secus si constet verbis præceptivis. Observat tamen Suar. hic l. 7. c. 19. n. 12. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 24. n. 12. aliquas leges de non purè pœnalibus transiisse in merè pœnales, quia aliter non sunt observatæ, ùt fortè sunt leges civiles, imponentes exactiones, prohibentes venari, ligna scindere &c.

QUÆSTIO III.

Ad quam pœnam subeundam lex pœnalis obliget ante, & ad quam post sententiam Judicis?

Nota. Sententia Judicis alia est condemnatoria, quâ Reo dictatur pœna, & ad eam sustinendam, vel solvendam imponitur obligatio; alia est declaratoria criminis, quâ Judex declarat aliquem in crimen incidisse, propter quod pœna ipso facto sit contracta, eamque deberi. Quare sententia declaratoria obligat ad pœnam à tempore commissi criminis; condemnatoria verò tantùm à tempore, quo ipsa lata est. Certum autem est, quòd pœna ferendæ sententiæ non debeatur, aut subeunda sit ante sententiam Judicis; cùm lex statuat, eam à Judice esse infligendam. Quæstio igitur est, quando debeatur pœna latæ sententiæ, quæ ipso facto incurri dicitur. 218.

Sententia alia condemnatoria, alia declaratoria criminis.

Resp. 1. Ante omnem sententiam declaratoriam seu criminis, seu pœnæ, completè incurruntur, & subeundæ sunt sequentes pœnæ. 1mò. Omnes censuræ Ecclesiasticæ, ùt Excommunicatio, Suspensio, Interdictum. 2. Irregularitas ex deli- 219.

Pœnæ sustinendæ ante sententiam cri-

minis declaratoriam. delicto. 3. Impedimenta Matrimonii ex crimine contracta. Item privatio juris petendi debitum conjugale ob incestum intra 2dum gradum cum consanguinea uxoris. 4. Inhabilitas ad ferendum suffragium ob crimen imposita. 5. Inhabilitas ad acquirendos fructus beneficii, ob neglectum culpabiliter officium Canonicum, vel intermissam residentiam; & etiam, ùt vult Azor contra Sanch. ob omissam professionem fidei, quæ intra duos menses à die captæ possessionis beneficii curati, vel Canonicatûs, aut dignitatis in Cathedrali emittenda à proviso, per Trid. Sess 24. cap. 11. præscribitur. *Ratio* horum, in quibus inter AA. convenit ultimo excepto, est, quia conveniens erat, ut Ecclesia, quæ spiritualem fidelium profectum spectat, pœnas aliquas haberet, quibus suos in officio contineret, & à delictis, etsi occultis, arceret; usùsque & consuetudo, quæ est optima legum interpres, habet; ut tales pœnæ subeantur, & convenienter legibus, eas statuentibus, se reus gerat ante omnem sententiam Judicis.

220. *Quæ sint post subeunda?* Resp. 2. Quænam aliæ pœnæ completè incurrantur, ità ut sustinendæ sint ante omnem sententiam declaratoriam, ut decidatur, distinguendum est inter pœnas positivas, privativas, & negativas: Nam 1mò. Si pœna sit positiva, quæ actionem requirat delinquentis, etsi Legislator ad eam, si moderata sit (nam immoderatas, & valde graves, ùt est mors, mutilatio, exilium, imponere subeundas ante omnem sententiam nimis durum foret) ante sententiam subeundam obligare potuisset; de facto tamen non constat, quòd Jus Canonicum, vel civile talem ante illam subeundam statuerit. Suar. disp. 15. Sect. 3. n. 49. Palao T. 3. d. 2.

d. 2. p. 2. num. 6. & alii. 2. Si pœna ſit negativa boni, vel juris primùm acquirendi, vel necdum plenè quæſiti, vel inhabilitatem inducat; afficit delinquentem ante omnem ſententiam Judicis: quia Superior non vult Jus acquiri, ſi tale delictum admittatur, vel conditio non impleatur. Hinc ante omnem ſententiam Judicis dimittere tenetur beneficium Parochiale, qui intra annum ſuâ culpâ non ordinatur Sacerdos. Cap. *licet* 14. *de electione in* 6. Et Epiſcopus debet cedere Epiſcopatu, ſi intra ſex menſes à die confirmationis obtentæ non conſecretur. Trid. Seſſ. 13. cap. 2. de Reform. necdum enim illi habent Jus firmum, & plenè quæſitum. Similiter pro ratione temporis tenetur dimittere fructus beneficii ſui, qui culpâ ſuâ omiſit horas Canonicas, ùt ſtatuit S. Pius V. 3. Si pœna ſit privativa juris jam plenè quæſiti; nulla pœna, ſi cenſuras, irregularitates, & privationem Juris petendi debitum in conjuge inceſtuoſo excipias, regulariter ſic afficit delinquentem, ut ante omnem ſententiam Judicis Jus ſuum dimittere teneatur. Sic pœna confiſcationis bonorum, v. g. ob crimen hæreſis, vel læſæ Majeſtatis, quæ ipſo facto incurritur; & pœna privationis beneficii, quæ ipſo facto contrahitur ob percuſſionem Clerici, occiſionem Prælati, vel alterius Clerici ſuæ Eccleſiæ, ab alio Clerico, ità non afficit delinquentes; ut is bona ſua Fiſco tradere, aut hic cedere beneficio teneatur ante ſententiam declaratoriam criminis. *Ratio eſt*, quia cùm in pœnis benignior interpretatio ſit facienda, ſic uſus, & conſuetudo obtinet. Nec immeritò, quia eſt valde alienum à natura, & moribus hominum, ut reus juſti-

justitiæ in se sit executor ante sententiam; neque hoc à plerisque sperari posset.

Nec obstat, quòd in lege dicatur: *ipso facto* &c. nam verba effectum nihilominus habent hunc, ut delinquentem à tempore delicti, aut privent jure suo, etsi relinquant possessionem & usum, aut sic afficiant bona delinquentis; ut à tempore delicti sint obnoxia, & sententia declaratoria delicti retrahatur ad tempus à commisso delicto, ab eoque censeatur jam Jus amissum; secus ac est, ubi sententia requiritur condemnatoria. Quòd si in lege habeantur hæc verba: *Nullâ præviâ monitione, absque ulla declaratione alia*; Illsung, & Covarr. volunt, adhuc opus esse declaratione criminis, non pœnæ, sed alii cum Zoesio censent, ne hæc verba sint sine effectu, per illa permitti executionem sine sententia; per verba autem: *ipso facto*, ipso jure tolli dominium, sed non permitti executionem sine prævia sententia declaratoria criminis.

121. *Quam sententiam teneatur, vel non teneatur Reus exequi.* Resp. 1. Post sententiam Judicis legitimam, & justam, tenetur Reus imò illam acceptare, nec potest licitè se Judici, vel Ministris opponere positivè, aut per vim resistere; quia lex pœnalis obligat in conscientia ad pœnam justam, & Superioris justo mandato obtemperandum est. 2. Si pœna sit supplicium capitis, mutilationis, vel gravis verberationis; non tenetur eam sibi ipsi inferre, V. g. abstinendo à cibo; ut fame, vel sumendo venenum, ut eo moriatur, etsi mortem sit meritus: quia inhumanum est, obligare Reum, ut ipse sui sit vindex in his, cum satis sit, ipsum pœnam sustinere. 3. Si pœna sit carcer diuturnus,

nus, tenetur ad illum condemnatus, eò se conferre, in illo permanere, quia justæ sententiæ est parendum, si carcer tamen sit tantùm custodia; in eo permanere non tenetur; Item si esset nimis durus, præsertim si in eo malè tractaretur. Idem est, si damnaretur ad exilium in terra valde insalubri, vel ad triremes longo tempore, vel actionem de se valdè molestam; quia videtur alienum à natura, obligari hominem, ut pœnæ adeò molestæ contra se ipsum sit executor. 4. Si pœna sit pecuniaria, Reus post sententiam tenetur illam solvere, cui debetur, modò tamen hic illam exigat: aliàs enim prudenter præsumit, eam sibi condonari.

QUÆSTIO IV.

An, & quæ ignorantia excuset à reatu pœnæ?

Resp. 1. Ignorantia, inadvertentia, & oblivio inculpabilis, excusans à culpa, excusat à reatu pœnæ; quia hic prærequirit culpam proportionatam, ex qua fluit: unde si culpa sit levis, non adest reatus pœnæ gravis, adeoque hæc mitigari debet. Regula Juris 3. in 6. dicens: *Ignorantia facti excusat, non Juris;* intelligenda est pro foro externo, in quo ignorantia Juris non præsumitur, sed probari debet. Item, licet quis peccaret contra legem naturalem; si tamen invincibiliter ignoraret legem humanam pœnalem, pœnam hujus non incurreret. 222. *Ignorantia excusans à culpa, excusat à pœna.*

Resp. 2. Ignorantia vincibilis legis non excusat à pœna taxata à Deo, quia non excusat à culpa, 223. *Ignorantia*

vincibilis corã Deo non juvat. culpa, ex qua manat reatus pœnæ etiam ignoratæ.

224. *Nec invincibilis in lege irritante.* Resp. 3. Si lex actum irritet, non juvat ignorantia etiam invincibilis, nisi præcisè irritet in odium & pœnam delicti; quia ignorantia non supplet defectum alicujus substantialis requisiti.

225. *Ignorantia solius pœnæ non excusat, nisi pœna sit extraordinaria, vel censura.* Resp. 4. Qui legem latam non ignorat, quâ pœna imponitur delinquenti, etsi ignoret inculpabiliter pœnam transgressioni annexam; ordinariè fit reus pœnæ, quia reatus pœnæ sequitur ad reatum culpæ.

Excipe 1mò. Censuras secundùm dicenda. 2. Pœnas extraordinarias & exorbitantes: quales sunt, quas quis ipse in se exequi debet, ut privatio Juris petendi debitum; & quæ delictum excedunt, absolutè, & secundùm se spectatum: utì si quis voveret non furari sub pœna servandi castitatem. Hinc si in alieno territorio venatio esset prohibita sub pœna gravissima, & tu peregrinus, ignarus illius, ibi venareris; non incurreres reatum talis pœnæ: quia licet non requiratur consensus delinquentis in pœnam, requiritur tamen in culpam proportionatam, qualis non est, si ignorata pœna sit extraordinaria. 3. Et alias quasdam pœnas Ecclesiasticas, quæ non incurruntur, nisi adsit pœnæ ignorantia crassa, & supina, habetur C. *ut animarum. de constit. in 6.* etsi esset mortaliter culpabilis. 4. Si dicatur in lege, qui *præsumpserit*, qui *scienter* hoc fecerit, qui *consultò*, qui *temerè*, qui audens; requiritur scientia legis, & excusat etiam ignorantia crassa; non tamen affectata, quia dolum habet: ùt tenet Suar. contra alios probabiliter id negantes; quia non æquiparatur scien-

ſcientiæ, niſi pro foro externo, in quo præſumitur ſcientia Juris.

Reſp. 5. Si pœna ſit purè negativa, non excuſat ignorantia pœnæ. Sic culpabiliter non recitans Horas, tenetur fructus reſtituere, etſi ignoraverit pœnam; quia non eſt pœna propriè dicta, ſed conditio, ſine qua non facit fructus ſuos. 226. *Nec ſi pœna ſit purè negativa.*

QUÆSTIO V.

An leges, quibus imponuntur vectigalia, gabellæ, tributa, pedagia obligent in conſcientia, aut ſint merè pœnales?

Nota. Ut vectigalia, tributa, ſimileſque exactiones imponantur juſtè, 1mò debet eſſe cauſa publica proportionata; uti conveniens Principis ſuſtentatio, reparatio viarum, bellum juſtum in bonum commune gerendum. 2. Non debent, per ſe loquendo, imponi bonis, & perſonis Eccleſiaſticis. 3. Non debent eſſe graviora, & diuturniora, quàm cauſa publica exigat. Hinc peccant Principes, qui ea exigunt in luxum, bella injuſta, aut bono communi noxia, vel inutilia; aut exigunt perpetua propter temporaneam neceſſitatem: ceſſante enim causâ debet ceſſare lex, illa imponens, aliàs evadit injuſta. 4. Debent eſſe conformia juſtitiæ diſtributivæ, ne pauperes plus graventur, quàm divites: nec vectigalia ſint nimis magna; aliàs mercatores ſui laboris pretium non habent, aut mercium pretium cogentur augere cum oppreſſione pauperum, quorum utrumque injuſtum eſt. 5. Vectiga- 227. *Quæ vectigalia ſint juſta?*

lia, oneraque similia non debent imponi, nisi rebus, quibus mercatura exercetur, nisi tamen ex his non haberetur sufficiens subsidium ad communem necessitatem. *Ratio horum est*, quia ampliorem Princeps non habet à communitate potestatem. 6. Debent imponi ab habente legitimam potestatem, qualem habet, qui suis legibus regit Rempublicam. Hæ conditiones si adsint, ejusmodi onera erunt justa ; sed difficile est has omnes adesse. Unde ejusmodi onera sæpè sunt suspecta de injustitia. Hoc notato:

228 *Præceptivæ, & certò justa obligant in conscientia.*

Resp. Leges vectigalium, similiumque onerum, si constent verbis præceptivis, sintque certò justæ, obligant in conscientia pro qualitate materiæ saltem regulariter tum ad solutionem, tum ad mulctam, si exigatur legitimè; nisi Princeps aut consuetudo aliud declaret. *Ratio est*, quia vectigalia, & tributa exiguntur ad sustentationem Principis, communesque necessitates: ad hæc autem tenentur subditi. Proinde si lex, illa imponens, constet verbis præceptivis, & illa sint justa, lex obligat in conscientia. Quare dicit Apost. ad Rom. 13. *Necessitate subditi estote non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.*

Dixi 1mò. *Si constent verbis præceptivis :* Nam si constarent verbis indifferentibus, essent leges merè pœnales, nisi aliud aliunde constet, adeoque non obligarent in conscientia ad actum, sed solùm ad pœnam, si exigatur.

Dixi 2dò. *Si sint certò justæ.* Nam si certò essent injustæ, uti si constaret, quòd onera non applicentur tantùm ad publicas necessitates, causasque, ob quas exigi possunt ; sed ad luxum, vel

usus

usus non necessarios, non esset obligatio ad ea: quod enim injustè petitur, justè negatur; Si autem sint probabiliter injusta v. g. sit dubium prudens positivum, an adsit causa sufficiens, & publica necessitas, imponendi vectigalia, vel tributa nova, & insolita, vel antiqua augendi; censent quidem communiùs AA. esse obligationem solvendi, eò quòd præsumptio sit pro Principe, hicque sit in possessione potestatis præcipiendi; negant tamen alii cum Sanch. probabiliter, quia subditi sunt in possessione suorum bonorum, quibus se spoliare non tenentur in tali dubio: nec possessio favet Principi in dubio, ut cum tali gravi onere subditi se teneantur suis spoliare. Si tamen notabiliter probabilius adesset causa justa, tenerentur subditi in conscientia solvere, quia in hoc casu dubio Principis esset statuere, & pronuntiare, quid sit in bonum commune, & conveniens: hanc enim potestatem si non haberet, non posset prospicere necessitati, & utilitati Reip. ut oportet.

Dixi 3. *Regulariter*: Nam multi AA. excusant pauperes à gabellis solvendis, quæ sunt impositæ rebus, importatis, vel exportandis ad victum necessariis. Item illos, qui tantùm subinde defraudant sine magno communitatis damno, eò quòd censeantur non exigi cum tanto rigore. Præterea illos, qui sine fraude, vel mendacio dissimulant, & non indicant merces, eò quòd fortè consuetudo obtinuerit, in conscientia non obligandi ad solvendum, ubi non exiguntur, licèt per se esset obligatio spontè indicandi & solvendi: Ità Pichler ad Titulum de Pœnis. n. 65. quo teste multi probabiliter docent, subditos regulariter non teneri ad restitutionem vectigalis jam defraudati ante senten-

tiam Judicis, multò minùs ad mulctam. Quoad extraneos, qui pro transitu debent solvere Principi alieno vectigalia, pedagia &c. adhuc minor est obligatio; quia licèt pro libertate illa negotiandi, transeundi, usu viarum, quas reparare debet Princeps, & illi cum aliis citiùs deteriorant, ex quodam contractu tacito teneantur ad ejusmodi, non tamen cum tanto rigore, cùm non teneantur sustentare alienum Principem, & sæpè viæ non reparentur debitè, nec tutæ præstentur, ad quod tamen teneretur Princeps.

Hinc si pœnitens se accuset de defraudatis pedagiis, gabellis &c. Confessarius eum non facilè passim obliget ad restitutionem, sed suadeat, ut deinceps solvat, aliàs obligandum ad eam, & fortè deprehendendum cum gravi suo damno, atque ità imprudenter agere, posseque contra charitatem peccare. v. n. 217.

QUÆSTIO VI.

Quid circa legem irritantem sit observandum?

229. *Lex irritans, & potestas irritandi actus.* Resp. 1. Lex irritans est, quæ statuit actum aliquem esse invalidum, vel invalidandum per sententiam Judicis, ad quod esse potestatem in Ecclesia, & Republica, certum est, nam hoc ad bonum commune, & rectam efficacemque gubernationem requiritur: cùm sine ea fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda sæpè impediri nequeant. Unde à Christo Ecclesiæ data potestas est, comprehensa his verbis Matthæi 16. *Quodcunque solveris super terram, solutum erit & in cœlis.* Et Principes supremi sæculares habent illam à communitate, quæ in ordine ad hæc

hæc eis suas voluntates subjicit, sic exigente bono communi. Potest autem irritatio fieri vel inhabilitando subditos in ordine ad actum, vel directè declarando, actum esse nullum; ut si lex dicat: inhabiles sint ad actum illum; actus sit nullus; non valeat, robur non habeat; vel præscribendo actui formam, quâ non servatâ, actus sit nullus; ùt fit, dum præscribit certum numerum testium ad valorem testamenti; assistentiam Parochi, & duorum testium ad valorem matrimonii.

Resp. 2. Lex irritans alia est pœnalis, alia purè irritans. Prima irritat actum in odium delicti, ut lex irritans collationem beneficii Simoniacam; Lex irritans Matrimonium ob conjugicidium, & adulterium. Et talis lex quandoque præter irritationem actûs adjicit aliam pœnam. 2da est, quæ irritat actum non in odium alicujus culpæ, sed in favorem boni communis vel personarum particularium: talis est, quæ irritat professionem religiosam ante annum decimum sextum completum emissam, testamenta sine solennitate facta, Matrimonium inter cognatos &c. Item alia est irritans ipso jure, ipso facto; alia statuit irritandum per sententiam Judicis. 230. *Alia est pœnalis, alia purè irritans.*

Resp. 3. Si lex irritans actum, vel expressis verbis, vel tacitè prohibeat, obligat in conscientia, secus in ea non obligat; obligat tamen tunc ad non percipiendos fructus, & effectus, qui ex actu, si validus esset, sequerentur. *Ratio primæ partis est*; quia tunc lex est verè moralis: tacitè autem actum prohibet, si actus irritatus ex objecto suo trahat secum turpitudinem, supposito, quòd irritus sit. Sic lex irritans Matrimonium, prohibet illud contrahi; quia turpe est, 231. *Si simul prohibet actum, obligat in conscientia, secus non.*

eſt, Matrimonium contrahi invalidè: Lex præſcribens formam electioni, prohibet illam fieri ſine illa forma, quia turpe eſt, aliquem invalidè eligere, repugnatque Juſtitiæ. *Ratio 2dæ partis eſt*; quia obligatio legis commenſuratur intentioni Legislatoris, qui, ſi intendat actum irritare, & non prohibere, erit irritus, & non prohibitus; ſic teſtamentum, ſine forma ſubſtantiali præſcripta conditum, eſt irritum, & tamen tale condere non eſt prohibitum: & renuntiatio hæreditatis, facta à filia dote contentâ, dum nuptui datur, eſt irrita; & tamen renuntiare non prohibetur. *Ratio 3tiæ partis eſt*; quia lex irritans actum privat illum virtute producendi fructus, & effectus, quos produceret validus: ſicque percipiens fructus perciperet ſinè titulo. Atque ità lex irritans ſine ſolennitate debita alienationem rerum Eccleſiaſticarum facit, ut res illæ retineri non poſſint. Item lex irritans acquiſitionem fructuum beneficii, facit, ut eos licitè retinere beneficiatus, iiſque uti non poſſit. Idque eſt non ex ſola lege naturali, ſed ſimul ex lege poſitiva irritante, utì docet Suar. l. 5. cap. 20.

232. *Non omnis lex prohibens eſt irritans.* Reſp. 4. Sicut lex actum irritans non omnis illum prohibet, ùt patet ex dictis, ſic nec omnis actum prohibens illum irritat, quia irritare, & prohibere ſunt diſtincti effectus. Si itaque Legislator intentionem ſuam non exprimat, cenſetur tantùm prohibere, obtinetque hæc regula: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta ſint, obtinent roboris firmitatem*: Sic prohibetur Matrimonium, ubi adeſt votum ſimplex caſtitatis, & tamen non irritatur.

Quod dicitur *Cap. Non dubium: Contractus facti contra legem pro nullis habentur*, non

non recipitur à Jure Canonico, valetque tantùm in imperio, & quoad actionem civilem. Quòd autem regulâ 64. in 6. dicitur: *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, intelligitur de eo, quod fit contra formam substantialem, à jure præscriptam.

Resp. 5. Si lex actum irritans sit propriè pœnalis, actus probabiliter non est irritus ante Judicis sententiam, nisi actus semel validus sit deinde indissolubilis, uti Matrimonium. Imò & irritatio per Judicem facienda impediri potest, uti & aliæ pœnæ; si nempe ignorantia invincibilis clarè probetur, vel necessitas aliqua culpam excludat: ubi enim nulla est culpa, vel fuisse ostenditur, locum non habet pœna. Si contrà lex non sit pœnalis, & actum ipso facto irritet, est invalidus ante sententiam Judicis, saltem pro foro externo, quia tunc nihil obstat, quominùs lex suum effectum habeat. Sic nulli sunt contractus pupillorum sine authoritate tutorum: Matrimonium cum consanguinea intra 4tum gradum &c. 233. *Quid, si sit pœnalis?*

Dixi: *Probabiliter*. Nam probabilius est oppositum secundùm dicta. De lege pœnali, sic collatio Simoniaca beneficii nulla est ante sententiam. Quòd si lex non sit pœnalis, non juvat ignorantia secundùm dicta. Quia licèt hæc posset excusare à culpa, & consequenter à pœna, non tamen impedit necessariò vim legis irritantis ob bonum commune, quod exigit legem, habere suum effectum; etsi metus gravis mali adesset: hic enim si juvaret, facilè leges eluderentur. Sic non valet Matrimonium Clandestinum, etsi immineret infamia, aut proles illegitima grave damnum pa-

teretur. Neque potest quis derogare bono communi cedendo proprio. Actus tamen, irritatus in favorem alicujus personæ, non censetur irritus, si in illius cedat utilitatem, ne quod in favorem alicujus introductum est, in ejus cedat detrimentum, ùt habet Reg. 61. in 6. Sic valet contractus pupilli sine authoritate tutoris celebratus, si cedat in ejus utilitatem, etsi foret nullus, si in ejus detrimentum vergeret.

Dixi: *Saltem pro foro externo*: Nam invalidus ob neglectum formæ substantialis præscriptæ probabiliter non est invalidus pro foro interno, nisi hoc exprimat lex: quia lex irritans est correctoria juris naturalis, adeoque restringenda, nisi aliud exprimatur. Imò solet exprimere, si irritum velit pro foro conscientiæ; ergo ubi non exprimit, non censetur sic irritare. Excipe nisi actus sit indissolubilis, ubi semel validus est, utì Matrimonium: si enim actum talem pro foro conscientiæ non irritaret, lex esset inutilis, cùm nec per Judicem posset habere effectum suum.

234. *Quid, si præcipiat tantùm, actum irritari?* Resp. 6. Si lex non irritet actum ipso facto; sed præcipiat irritandum per Judicem, non obligat etiam ad ea, quæ ex actûs irritatione per se consequuntur, quia actus manet validus, donec irritetur. Idem valet in iis omnibus, quæ subsistunt, dum per sententiam Judicis irritentur, aut declarentur invalida.

235. *Quæ forma sit substantialis actûs alicujus* *Petes.* Unde dignoscam, quòd forma actui præscripta sit substantialis, eâque non servatâ sit irritus; aut sit tantùm accidentalis, eâque non servatâ actus valeat? Resp. Hoc ex verbis legis dicentis, aliàs actum fore nullum, & communi praxi intelligendum est.

Insu-

insuper Doctores hanc assignant regulam : si alicui aliunde habenti potestatem præscribatur modus servandus in aliquo actu, modus ille censetur accidentalis, nisi lex declaret expressè, aliàs actum fore nullum. Sic modus excommunicandi præscriptus Episcopis c. 1. *de Sent. Excom. in 6.* ut in scripto, & apposita causa fiat, accidentalis est, quia jam ante potestatem habent, & nullibi actus irritatur. Quando autem non habenti potestatem hæc confertur sub certa ratione, modus ille spectat ad substantiam actûs; *nisi tamen de jure* sit accidentalis; ùt sunt proclamationes ante Matrimonium; injunctio satisfactionis præstandæ parti *læsæ* ante absolutionem à censura. Vide Layman l. 1. tr. 4. c. 16. n. 7. Suar. l. 5. c. 31. n. 8.

QUÆSTIO VII.

Quid de consuetudine legali sit notandum?

Resp. Ut consuetudo vim legis habeat, vel legem abroget, aut ei deroget, requiritur 1mò, ut sit rationabilis non repugnans legi naturæ, vel divinæ, aut bonis moribus: aliàs enim erit corruptela. 2dò. Ut sit utilis, aliàs pro lege non potest suscipi. 3tiò. Ut adsit consensus populi, & intentio inducendi, aut tollendi legem: hinc actus, quibus lex inducitur, aut tollitur, debent esse externi, publici, à majore parte communitatis facti, non meræ devotionis: quales sunt consuetudo orandi ad pulsum campanæ, aspergendi se aquâ benedictâ. 4tò. Ut adsit consensus Principis, 256. *Quæ requirantur, ut consuetudo vim legis habeat?*

quia obligatio legis pendet ab ejus jurisdictione in fieri, & conservari. Hinc actus debent tanto tempore esse à populo frequentari, ut meritò censeatur Princeps consentire in obligationem inducendam, vel tollendam. Sufficit tempus decennii, imò & brevius, etiam ad legem abrogandam, si Princeps sciat, legem non servari, & taceat: tunc enim censetur adesse consensus, adestque saltem legalis, quem habet acceptando legem, quæ statuit, ut legitimâ consuetudine lex censeatur abrogata, vel præscripta. *Nec obstat*, quòd primi non servantes legem fortè peccârint; quia præscriptio hæc in nullius præjudicium cedit. Ex his consuetudo legalis definitur: lex publicis populi moribus frequentatis inducta.

Quid in dubio? Quòd si dubium sit, an populus intentionem habuerit se obligandi, aut actus frequentârit ex mera devotione, censetur consuetudo non habere vim legis; quia homines non censentur sibi voluisse onus imponere, nisi aliunde constet.

Signa obligationis. Signa autem, quòd consuetudo habeat vim legis. Sunt hæc: 1mum. Si res valdè difficilis communiter observetur à populo; quia si non adsit obligatio, non facilè habetur uniformitas populi in observandis arduis. 2dum. Si populus scandalizetur à non observantibus consuetudinem, & viri timorati malè de iis sentiant; quia tunc est communis sensus, esse obligationem. 3tium. Si Superiores puniant non servantes consuetudinem, vel hæc sit valde utilis. Ex his oritur moralis certitudo pro obligatione, etsi fortè cœperit ex falsa persuasione; ad moralem enim certitudinem sufficit communis sensus omnium, etsi res demonstrari non

non possit. Sic consuetudine primùm inducta est obligatio ad Horas Canonicas, & ad abstinentiam à carnibus diebus Rogationum.

QUÆSTIO VIII.

Quid de Jure gentium sit observandum?

Resp. Jus gentium est lex non scripta, quæ, 237.
per liberum omnium, aut penè omnium na- *Quid*
tionum consensum, & usum recepta, vim ob- *sit, &*
ligandi habet. Quæ licèt sit Juri naturali af- *quæ ad*
finis, est tamen potiùs lex positiva humana, *id perti-*
quia pendet à libera voluntate hominum, nec *neant?*
est circa ea, quæ necessariò præcipi, aut prohiberi debeant. Ad Jus gentium pertinet 1mò receptio legatorum, & præstita illis securitas. 2dò. Jus, bellum justa de causa indicendi, & prosequendi; quia cùm supremi Principes non habent Judicem, qui, dum Jura sunt violata, sententiam ferat, modus esse debet sua vindicandi, & recuperandi, injurias propulsandi &c. 3. Ut arma, fontes, & herbæ &c. non inficiantur veneno, cùm satis hæc caveri non possint. 4. Ut hostis non occidatur per submissos Sicarios. 5. Ut fœdera pacis peti possint, & justa admittantur. Huc etiam pertinent usus mercimoniorum ad exteras gentes, servitus hominis bello capti, Jus sepulturæ, commercium literarum &c.



CAPUT

CAPUT X.

De Legis humanæ Dispensatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Dispensatio?

Resp. Dispensatio est authoritativa relaxatio
238. legis, in particulari casu, vel cum particulari
Definitio. persona, remanente obligatione legis, quoad alios casus, vel personas. Differt 1mò à legis abrogatione, quâ aboletur lex. 2. A privilegio, quod potest esse perpetuum, vel esse secundùm legem. 3. Ab absolutione, quæ est relaxatio vinculi moralis per culpam, vel legem inducti. 4. A licentia, quæ est positio conditionis legi non absolutè obliganti, at sub conditione non dari consensûs Superioris. Hinc si Superior det Moniali licentiam exeundi è clausura, aut utendi pecuniâ, non dispensat in lege vel voto, sed ponit conditionem, sine qua ista non licerent; sed nec licentia necessariò est actus jurisdictionis, utì si dem tibi licentiam utendi meo libro. 5. Differt Dispensatio in lege à dispensatione in voto, quia ista fit authoritate propriâ; hæc authoritate Dei nomine ejus, non amplius acceptando rem promissam, vel obligationem promissionis. Relaxatio legis dicitur dispensatio, quia est usus gratiosus Jurisdictionis, & gratiæ distributio.

***

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur ad validam, & licitam dispensationem in lege humana?

Resp. Sequentia. 1mò. Jurisdictio ordinaria, vel delegata in dispensante, quia relaxatio legis est actus Jurisdictionis. 2. Per se loquendo, dispensandus debet esse subditus, quia in non subditum non potest exerceri Jurisdictio. 3. Debet adesse causa justa, seu proportionata materiæ, & obligationi: graviore enim causâ opus est: ubi obligatio gravior est; est autem gravior, ubi materia dignior, difficilior, excellentioris virtutis, magis conducens ad cultum Dei, & animæ salutem. Si Legislator sine causa dispensaret, valeret dispensatio, quia obligatio legis pendet ab ipsius voluntate: illicitè tamen ageret; quia abuteretur suâ potestate. Multi tamen non agnoscunt in hoc, nisi culpam levem, modò absit scandalum; quia grave non est, unum in particulari casu difformari cæteris. Si autem inferior in lege Superioris dispensaret sine causa, saltem prudenter existimata, illicitè, & invalidè ageret, quia cùm Superior non possit licitè dispensare sine causa, non censetur alteri concedere potestatem sic dispensandi. Dixi: *Prudenter existimatâ*: Sic enim prudenter proceditur, nec plus requiritur, sic exigente bono communi animarum. 4. Dispensans debet causam expendere, aliàs exponit se periculo temerè procedendi, &, si inferior sit, dispensandi invalidè.

239. *Requisita. Potestas, subditus, causa justa.*

Si

2. *An etiam causæ examen* Si tamen sine examine, quo opus non est, si causa sit notoria, dispensaret, & causa subsisteret, probabiliter valeret dispensatio; quia causæ examen tantùm requiritur; ut prudenter procedatur. Ità Schmalzgruber. Contradicit La Croix, si inferior dispenset in impedimentis Matrimonii, eò quòd Papa non concedat facultatem, nisi examinatâ causâ saltem extrajudicialiter. Ità ille L. 6. p. 3. num. 821. In dubio de sufficientia causæ inclinandum in partem benigniorem: hoc enim requirit suavitas regiminis: sique semper deberet constare de sufficientia causæ, vix unquam auderent Superiores dispensare. Quare nec requiritur examen rigorosum, sed prudens sufficit, possuntque plures, singulæ causæ non sufficientes, constituere unam sufficientem. Ut autem determinetur, quæ causa sit sufficiens; debet spectari inprimis bonum commune, cujus gratiâ est jurisdictio data; ad illud autem confert subditorum necessitatibus subvenire, utilitati consulere, habere benefactores.

240. *Causa dispensandi.* Hinc causæ dispensandi sunt necessitas, non tamen ità urgens, ut teneatur Superior dispensare; sed talis, ut prudens sit judicium, fore nimis grave carere dispensatione. Dein utilitas magna subditi, & communitatis; demum pietas & gratitudo. Sic dispensari potest in voto castitatis ob periculum grave incontinentiæ; cum pauperibus in impedimentis Matrimonii, si aliter honestè non possint vivere; in irregularitate cum volente suscipere sacros Ordines, ut perfectiùs Deo vacet; & cum aliis quandoque ob magna merita in Ecclesiam, ob Eleëmosynas ad pias causas, &c. 5. Petens dispensationem non debet allegare materiam,

riam, causamve finalem falsam, nec debet silere qualitatem, quam Jura, & stylus Curiæ volunt exprimi, nec dissimulare veritatem, quæ intrinsecè ad rem pertineat, & cognita dispensationem impedivisset, aut nonnisi cum gravi onere concessa fuisset: si primum fiat, dispensatio erit obreptitia, & nulla; si taceantur exprimenda, erit subreptitia, & pariter nulla, nisi data esset ex motu proprio: hic enim sanat vitium subreptionis, non tamen obreptionis. *Ratio autem est*; quia, si causa finalis allegetur falsa, aut taceantur de jure exprimenda; deficit voluntas dispensandi in Superiore; nec hic juvat error inculpabilis. Dixi: *Causa finalis*: nam si tantùm esset impulsiva, id est, inclinans tantùm ad faciliùs dispensandum, valeret adhuc dispensatio, saltem, si causa illa ex errore inculpabili esset allegata. Secus si malitiosè, quia Innocentius 3tius *Cap. super literis* decrevit, rescriptum non valere, si interveniat malitiosa sub-vel obreptio. Hinc si bonâ fide duæ causæ allegarentur, una vera, altera falsa, & vera sufficiat se sola ad movendum Superiorem, adhuc subsistit dispensatio, saltem, si falsa causa non sit malitiosè addita; si verò causa vera non sufficiat, non valet dispensatio. Ex his resolves

1. Non valet dispensatio, si habens votum castitatis, petensque in eo dispensari, loco ejus exprimat votum Religionis. 2. Nec, si petas dispensationem in irregularitate ob inopiam parentum, & hi pauperes non sint. Nec 3. Si petatur dispensatio in impedimento Matrimonii, & non exprimatur copula incestuosa notoria, quæ præcessit, vel Matrimo- 241. *Corollaria.*

nium

nium invalidè contractum, aut consummatum, item contractum sub spe impetrandæ dispensationis. 4. Nec si duplici affinitate, vel consanguinitate conjunctus sponsæ, tantùm unam exprimat. 5. Nec si, cùm sit dives, te dicas pauperem, & non solvas mulctam divitum; quia Pontifex tunc non censetur velle dispensare. 6. Non valet, si semel dispensatus relapsus sit in idem impedimentum criminis, prioremque dispensationem non exprimat, quia tunc dispensatio 2da est multò difficilior. Ob hanc rationem invalidè obtinetur dispensatio non residendi in loco Beneficii per notabile tempus, si immediatè ante tempus similis dispensationis effluxerit, & hoc non fuerit expressum. 7. Si ex justa causa fuit cum aliquo dispensatum, quem dispensans putârit esse probum, cùm sit improbus, valet dispensatio, etsi Superior cognitâ improbitate non fuisset dispensaturus, quia probitas non ingrediebatur causam motivam propositam; non attenduntur autem extrinseca, quæ causam motivam intrinsecè non ingrediuntur, sicut nec levis defectus, vel error circa materiam expressam, vel tacitam. De exprimendis ex stylo Curiæ vide Layman L. 4. n. 651.

242. *Quando sit dispensationi locus?* *Nota.* Locus propriè dispensationi est, dum adest causa justa quidem, sed non excusans ab observatione legis: hæc enim si adsit, opus non est dispensatione, ùt, si observatio legis vires humanas ordinarias superaret, aut esset locus Epiikiæ, & recursus ad Superiorem non esset facilis. Sic praxis declarat, ubi certi sumus de causâ excusante. Hinc, qui sine gravi incommodo non possunt jejunare, vel interesse Sacro, non indigent dispensatione, etsi tutiùs

tutiùs quandoque sit consulere Pastorem, aut Confessarium de sufficienti causâ excusante. Quandoque tamen opus est dispensatione, etsi quis certus sit, non esse periculum ejus, quod lex cavere intendit. Sic certus, non esse impedimentum inter se & Sponsam suam, indiget dispensatione in proclamationibus, si illas præmitti nolit Matrimonio; quia lex fundatur in periculo communi.

QUÆSTIO III.

Quis possit in Lege humana dispensare?

Resp. 1. Potestate ordinariâ potest in sua lege dispensare cum suis subditis Legislator, 243. ejus Successor, & Superior; quia lex in conservari pendet ab horum voluntate. Hinc Papa potest dispensare in omnibus Legibus Ecclesiasticis, etiam ab Apostolis latis, quia habet parem potestatem. Dixi: *Cum suis subditis*: nam in alios non habet jurisdictionem, nisi consensus Superioris eorum accedat. Quare Episcopus dispensare non potest cum peregrinis, nisi in lege loci sui, quâ fortè tenentur, aut consensus Superioris eorum accedat, quemadmodum fit, dum Episcopus cum suis dispensat in esu carnium, aut labore servili: tum enim dispensatione gaudent peregrini, quamdiu in ejus Diœcesi existunt: Consensum enim Papæ in hoc declarat consuetudo. Non potest tamen cum iis dispensare in legibus pœnalibus, eorum territorio propriis, nec in votis, & juramentis, quia deest consensus Superioris eorum.

Legislator ejus successor & superior

244. *Quis cum peregrinis* — Cum vagis autem, ùt cum suis subditis dispensare potest, sicut potest iis administrare Sacramenta, quia ratione existentiæ in loco ei subjiciuntur, cùm præter Papam alium Superiorem non habeant, quo carere tamen non debent. An cum forensibus, in sua Diœcesi, quasi domicilium habentibus, dispensare possit, controvertitur. Affirmant probabiliùs Suar. Sanch. Less. & alii contra alios; quia ratione quasi domicilii sunt illi subjecti, & tenentur legibus loci, in quo quasi domicilium habent. Per se loquendo, non potest Episcopus dispensare cum Religiosis exemptis, nisi in Lege Episcopali, si eâ teneantur: nam non subsunt ejus jurisdictioni, nisi ad quam spectat examen pro Ordinibus, vel pro cura animarum, & approbatio, prædicatio Evangelii, & alia quædam, de quibus La Croix L. 4. num. 168. Excipe, nisi sit necessitas, vel consensus legitimus Superioris Ordinis, vel Pontificis, per quem gaudere possunt Religiosi dispensatione Episcopi, in esu carnium factâ fidelibus subditis.

245. *Inferior non potest in lege superioris dispensare, nisi sit illi specialis facultas* — Resp. 2. Non potest inferior dispensare in Lege Superioris, nisi facultatem ab eo habeat; quia Superioris ligandi potestas fortior est, & aliàs non esset inferior.

Hinc 1mò. Non potest Archi-Episcopus dispensare in Lege Concilii Provincialis, vel nationalis: quia in hoc alii Episcopi habent votum decisivum, & ex sua agunt jurisdictione, ideoque jurisdictio Concilii major est, quàm Archi-Episcopi. Imò nec in Legibus Episcoporum suæ Provinciæ, quia in horum subditos jurisdictionem non habet, nisi, dum actu visitat, & in casu appellationis ad ipsum,

etsi

etsi ipsi Episcopi ejus correctioni, si delinquant, sint subjecti. Dixi: *In Lege Concilii Provincialis*: nam Episcopus potest dispensare in Lege Synodi Diœcesanæ, quia in hac omnis jurisdictio residet in Episcopo, aliique votum habent tantùm consultivum.

2dò. Episcopi, aliique Prælati, inferiores Papâ, non possunt dispensare in Jure communi, & Legibus Papæ, nisi sit ipsis facultas delegata, vel quasi ordinaria per consuetudinem.

QUÆSTIO IV.

In quibus casibus possint Episcopi Jurisdictione sibi delegatâ dispensare in Legibus Papæ?

Resp. Delegatâ potestate, & quasi ordinariâ possunt dispensare in Lege Pontificia, & Jure communi in his casibus: 1. Si dicatur in lege, posse Episcopos dispensare. 2. Si materia, & obligatio legis sit levis; quia obligatio tunc recurrendi ad Papam esset nimis dura, repugnansque suavi regimini. 3. Si sæpe occurrat necessitas dispensandi, & hinc possunt dispensare in juramentis, votis specialiter non reservatis, in observatione Jejunii, & Festorum. 4. Si consuetudo ità habeat: quia hæc, si legitima sit, facultatem confert; sic de facto etiam Parochi dispensant in labore servili die festo, & Episcopi in Legibus Concilii Provincialis. 5. Si facultas habeatur ex Privilegio adhuc vigente. 6. Quando gravis necessitas vel utilitas subitò evenit, estque periculum in mora, nec potest Pontifex facilè adiri: nam tunc bonum commune ani-

246. *Facultas Episcopi.*

 marum,

marum, pro quo data est Papæ jurisdictio, exigit, ut possint dispensare Episcopi. 7. Si dubium sit, an opus sit dispensatione, quia dubia sunt frequentiora. Atque hæc Episcoporum jurisdictio, quia est annexa officio, & perpetua, æquiparatur ordinariæ.

QUÆSTIO V.

An Superior secum possit, & cum subditis aliquando teneatur dispensare?

247. *An possit secum?* Resp. 1. Regulariter secum potest dispensare in iis, in quibus potest dispensare cum subditis: quia non debet esse deterioris conditionis, quàm subditi, estque dispensatio actus jurisdictionis gratiosæ. Hinc dispensans cum communitate, secum, velut cum parte ejus, dispensat; in lege tamen suâ dispensans non dispensat secum directè, quia illa non tenetur, nisi ex Justitia legali, ideoque causâ justâ adveniente cessat obligari, aut, si eâ directè teneatur, dispensat secum, ut repræsentans communitatem, aut alium Superiorem: actus enim jurisdictionis gratiosæ non requirit distinctionem physicam personarum.

Si secum dispenset in votis, vel juramento promissorio, facit nomine Dei. Hoc tamen non potest validè sine justa causa, quia ligat lex Superioris. Et, quæ esset obligatio voti, si eam à se posset sine causa tollere? Dixi: *Regulariter*: nam secum dispensare non potest ab irregularitate ex delicto, vel ex sententia hominis proveniente; quia in hoc casu dispensatio, utpote requirens cognitionem delicti,

ctì, & judicium Superioris, eſt actus jurisdictionis contentioſæ, ad quam pertinet condemnare, punire, abſolvere, ideoque phyſicam requirit diſtinctionem perſonarum.

Resp. 2. Tenetur cum ſubditis dispenſare 248.
1. Si Jus, vel Superior id præcipiat. 2. Si ſubditus dispenſatione valde egeat. 3. Si neceſſaria ſit ad vitandum ſcandalum, aut bonum commune eam exigat. *Ratio eſt;* quia tenetur Superioris obedire mandato, habetque jurisdictionem in bonum ſubditorum; ergo tenetur illâ uti, quando bonum commune, aut neceſſitas id exigit. Extra hos caſus non tenetur; quia dispenſatio eſt actus gratioſus, & voluntarius.

Quando teneatur cum ſubditis diſpenſare?

QUÆSTIO VI.

An, & quando diſpenſatio ceſſet, ceſ- 249.
ſante causâ ejus finali, & motivâ?

Advertendum

Resp. 1. Ceſſat, ſi, antequam ſit facta à Superiore, aut Commiſſario, cui demandata eſt facienda, ceſſet cauſa finalis, aut interveniat aliquid, quod exprimi de ſtylo Curiæ debuiſſet in libello ſupplici; ſi autem cauſa ſubſiſtat tempore conceſſionis, valet dispenſatio, etſi cauſa non ſubſtiterit tempore petitionis: Superior enim intendit dispenſare, ſi preces veritate nitantur tempore conceſſionis. *Nec obeſt* error reſcribentis; modò cauſa fuerit rectè propoſita. 2. Si cauſa ſubſiſtebat, dum primò fiebat dispenſatio, & hæc effectum habeat ſucceſſivum, ceſſante causâ, ceſſat dispenſatio. Quare, ſi ob infirmitatem diſpenſatum ſit tecum in Jejunio Quadrageſi-

1mò. An manſerit cauſa, dum fiebat diſpenſatio? 2dò An diſpenſatio habuerit effectum ſucceſſivum?

mali, vel Horis Canonicis, ubi plenè convaluisti, teneris ad illa, quia tunc obligatio est virtualiter multiplex, suntque tot obligationes, quot dies, utpote diebus affixæ; adeoque singulis diebus opus est novâ dispensatione, quæ, causâ non amplius subsistente, pariter non subsistit; nam non censetur Superior velle dispensare sine causa. Ità communis contra Burghaber.

Vel indivisibilem? 3. Si autem dispensatio valida habuerit effectum indivisibilem, sitque reducta ad actum, planè non, vel difficulter revocabilem, hæc, causâ cessante, manet. Sic, si ob inopiam parentum verè existentem, dispensationem obtinuisti in irregularitate, vel inhabilitate ad Beneficium Ecclesiasticum, & jam Ordines susceperis, vel adeptus sis Beneficium, manet dispensatio, etsi parentum paupertas cesset; quia gratia facta jam effectum habet. Hinc potes retinere Beneficium, & Ordines exercere; nam juxta Regulam Juris 73. in 6. *Factum legitimè retractari non debet etsi postea casus eveniat, a quo non potuit inchoari.* Idem est, si sit dispensatio facta in impedimento, per modum infamiæ, vel pœnæ se habente, v. g. in irregularitate ex delicto, vel infamia; quia pœna non redit, nisi ob novum delictum.

An facta, sit reducta ad actum stante causâ? 4. Si dispensatio valida facta sit de re indivisibili, non successiva, nondum tamen reducta sit ad actum seu usum, eam, cessante causâ, adhuc subsistere, posseque adhuc reduci ad actum, negat Sanch. & alii, eò quòd dispensans nec voluerit, nec licitè velle potuerit, eam subsistere cessante causâ: sic, si dispensatum sit in impedimento Matrimonii cum Titio & Caja, ob prolem legitimandam, hæcque moria-

moriatur, antequam usi sint dispensatione, Matrimoniumque contraxerint; non possunt vi dispensationis illius validè contrahere. Econtra Suar. & alii docent, universim subsistere dispensationem ex legitima causa factam, de re non successiva, etsi causa ejus cesset ante ejus usum, quia, cùm Beneficium Principis deceat esse mansurum, & Reg. Juris 73. dicat, factum legitimè non debere retractari ob casum evenientem, à quo inchoari non potuisset; non censetur Superior intentionem suam restrinxisse ad casus accidentarios, sed, causâ existente, licitè potuit, & absolutè voluit dispensare, aliàs non egisset convenienter suavitati regiminis, cùm ob causam justam potuerit dispensare. Hæc sententia valde probabilis est. Hinc dispensatus in irregularitate, vel impedimento Matrimonii, etsi causa dispensandi cesset, antequam Ordines suscipiat, vel Matrimonium ineat, manet dispensatus, potestque licitè progredi ad dispensationis usum: sicut, si quis ob bonos mores esset dispensatus super inhabilitate ad Beneficium, etsi postea mores mutaret, maneret dispensatio, non secus ac, si cui ob paupertatem dedisses largam eleëmosynam, maneret in suo vigore donatio, etsi postea is fieret dives. Similiter, si quis fuisset dispensatus in voto castitatis ob periculum incontinentiæ, maneret liber voto, etiam cessante periculo; quia dispensatio est absolutè facta pro diebus vitæ copulativè sumptis.

An autem dispensatus in voto castitatis ad ineundum Matrimonium possit mortuâ primâ uxore ducere secundam; colligendum est ex tenore concessionis. Si hæc restricta sit ad 250. *An dispensatus in*

voto castitatis pro matrimonio, possit transire ad secundas nuptias? primam tantùm uxorem, patet, non posse; si restricta non sit, expendenda est causa dispensationis. Hæc, si se teneat ex parte sponsæ, v. g. quia à sponso corrupta fuit, non potest illâ mortuâ ducere aliam; quia dispensatio implicitè restricta fuit ad primam tantùm; si autem causa se tenuit ex parte sponsi voto obstricti, v. g. si fuit periculum incontinentiæ, potest ducere aliam; quia dispensatio fuit sine restrictione concessa, & periculum incontinentiæ facilè redibit, aut adhuc aderit.

QUÆSTIO VII.

Quid in dubio circa Dispensationem dicendum?

251. *Tenendæ hæ regulæ.* Resp. 1. Si precator dubitet, an adsit causa justa dispensandi, potest eam Superiori proponere, & ejus judicio stare, & dispensatione concessâ uti. 2. In dubio de valore dispensationis ob causam finalem, præsumitur valida. 3. Si, priusquam Commissarius dispenset, interveniat aliqua immutatio, dubiteтque, an dispensare possit; expendat, an adhuc subsistat causâ principalis, ob quam Pontifex dispensari voluit: si subsistat, etsi Pontifex fuisset difficiliùs dispensaturus, adhuc poterit dispensare; quia censetur Pontifex faciliùs permissurus, ut dispensatio executioni mandetur, quàm illam ab initio concedat. In dubio positivo, an casus dispensatione egeat, censetur non egere; quia præsumptio est pro libertate ex Reg. Juris 26. Idem dicit Palao, si dubium sit negativum. 5. Si dubium sit, an potestas dispensandi ad casum se extendat;

cen-

censetur se extendere, quia potestas dispensandi favorabilis est, & constat in hoc casu de voluntate benigna Superioris. Unde potestas potiùs, quàm lex est in possessione; si autem dubium sit, an dispensatio se extendat ad has illasve circumstantias, censetur, si non sit debita, se non extendere; quia odiosa est ratione legis, quam vulnerat.

CAPUT XI.

De Interpretatione Legis, & Privilegii.

NOTA 1. Significatio verborum alia est naturalis, quæ iis convenit ex primæva sua institutione, & usu loquendi; alia est civilis, quæ iis convenit à fictione juris ob quandam similitudinem cum naturali. Sic vox *Mors* naturaliter significat separationem animæ à corpore; civiliter autem exilium perpetuum, professionem religiosam. Vox *Filius* significat naturaliter ab alio genitum; civiliter significat etiam adoptatum. Utraque significatio dicitur proprietas verborum, 1ma naturalis, altera civilis. 252. *Significatio verborum naturalis, & civilis.*

Nota 2. Interpretatio legis est explanatio legis minùs claræ; estque alia authentica, quæ fit à Legislatore, aut ejus Successore, vel Delegato. Hæc promulgata habet vim legis. Alia est usualis, quæ innotescit ex consuetudine & praxi communi. Alia est doctrinalis, quæ fit à viris doctis, in materia legis bene versatis. Hæc subdividitur in strictam, latam, & comprehensivam; stricta fit manendo intra 253. *Interpretatio quid, & quotuplex sit?*

naturalem proprietatem verborum ; lata extendit vim legis ad alia non contenta ſub naturali verborum ſignificatione. Et hinc etiam extenſiva dicitur, ùt, ſi nomine Religioſi veniat Novitius, vel Monialis. Comprehenſiva eſt, quâ lex extenditur ad caſum, vel perſonam, non verbis legis, mente tamen Legislatoris comprehenſam.

QUÆSTIO I.

Quæ Regulæ ſerviant ad Leges Doctrinaliter rectè interpretandas?

254. *Regula interpretationis doctrinalis.* Reſp. Sequentes. 1*ma*. Leges intelligendæ ſunt ſecundùm propriam verborum ſignificationem, niſi ſic intellectæ eſſent abſurdæ, vel injuſtæ, aut inutiles ; quia Legislator non cenſetur impropriè loqui, ne leges ſint obſcuræ, & inſtabiles, & cavillationibus expoſitæ; in dubio autem uſus verborum communis præferendus eſt proprietati illorum ; quia, cùm Legislator legem dirigat ad populum, cenſetur uſui loquendi hujus ſe accommodare, niſi aliud aliunde colligatur.

2*da*. Correctio Juris, ſeu Legis antecedentis vitanda eſt, quoad fieri poteſt; quia legum mutatio incommoda, vel noxia eſt Communitati. Unde lex nova interpretanda eſt ſecundùm antiquam ; ità tamen, ut non detorqueatur ad ſenſum improprium, ne fallaciæ exponatur, & infirma evadat.

3*tia*. Spectanda inprimis mens Legislatoris : non enim ſermoni res, ſed ſermo rei debet eſſe ſubjectus. *Ex Cap. intelligentia de verbor. ſignificatione in 6.* Quare ſi verba legis ſint

ſint ambigua; attendenda eſt materia & finis legis, antecedentia, & conſequentia, legis proœmium, & aliæ leges, in quibus ſimilia verba in tali vel tali ſenſu accipiuntur. Et ex his mens Legislatoris colligenda eſt.

4ta. Si lex generaliter, vel indefinitè loquatur, comprehendit omnia ſignificata propria. Hinc verba generalia generaliter ſunt accipienda, & ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Excipe, niſi lex univerſaliter accepta fieret injuſta, vel nimis dura, & velut moraliter impoſſibilis, vel fundaretur in ſpeciali ratione, eâque expreſsâ : tunc enim extenſio facienda non eſſet, niſi ad ſpecies ſub ea ratione comprehenſas, utì nec extendi debet ad graviora expreſſis. Idem foret, ſi comprehenderet aliquid, quod de jure requirit ſpecialem mentionem.

5ta. Ex eo, quòd Legislator quandoque loquatur de ſingulari caſu, vel perſona, non cenſetur, velle legem eò reſtringere, ſed iis utitur exempli causà : exemplum enim non limitat, ſed declarat diſpoſitionem. Quare valet hæc Regula : *Cùm lex frequentioris usûs causâ aliquid decernit, caſum minùs frequentem non excludit, ſed comprehendit.*

6ta. Lex intelligenda eſt, & ſervanda ſecundùm receptam conſuetudinem ; conſuetudo enim optima eſt legum interpres, & vim etiam habet inducendi legem.

7ma. Lex pœnalis, & omnia alia onera ſtrictè interpretanda ſunt ; lex verò favorabilis latæ eſt interpretationis. Ex Reg. Juris 49. & 15.

Hinc in lege pœnali ſolùm ſervanda naturalis verborum ſignificatio, nec pœna exten- 255. *Lex pœ-*

denda

denda est ad casum non expressum, neque valet argumentatio à majori etiam ad minus; quia Legislator potest velle punire minus crimen, & non majus, eò quòd minus sæpiùs committatur, & perniciosiùs sit bono communi. Attamen juxta La Croix l. 6. n. 381. 51. Lex etiam odiosa exprimat rationem ob quam lata est, comprehendit casum, in quo occurrit clarè eadem ratio. Sic, quia in Novella 115. permittitur exhæredari filius, qui peccavit cum noverca sua, & ratio datur quia gravem, & inhonestam injuriam parenti intulit, comprehendi filium, qui vivo Patre peccavit cum Matre sua, tenent Doctores.

nalis restringenda, favorabilis extendenda.

In favorabilibus autem attenditur etiam significatio civilis verborum, Sic in his venit nomine filii etiam adoptatus; nomine legitimi legitimatus; nomine nepotis veniunt filii, sorores, fratres; nomine Religiosi Novitii & Moniales: at non in lege pœnali. Nec nomine Monachi Abbas, nec nomine Monialis Abbatissa, nec nomine Clerici Canonicus, vel Sacerdos, aut Clericus Religiosus. Sic tamen lex omnis est intelligenda, ut non evadat otiosa. Quòd si lex uni sit favorabilis, alteri odiosa, possitque favor extendi, quin onus gravetur alterius, extendendus est, & onus alterius minuendum; si autem hoc fieri nequeat, videndum, an primariò favorem vel onus inducat, si primum, ùt favorabilis; si secundum, ùt odiosa explicanda est.



QUÆSTIO II.

An Lex ob paritatem, vel identitatem rationis ad Casus, sub lata verborum forma non comprehensos, extendi debeat?

Resp. Per se loquendo, non debet; quia non 256.
ratio, sed voluntas Superioris legem constituit; *Per se*
potuit autem Legislator velle ad unum, & non *non de-*
ad alterum obligare: unum crimen velle pu- *bet.*
nire, & non alterum, etsi eadem sit ratio pro
utroque: lex enim positiva pendet à voluntate
Superioris, qui non obligat, nisi ad id, ad quod
declarat se velle obligare; sique potuit clarius
jus dicere, & non dixit, contra eum fit interpretatio. Quare ex ratione legis non intelligitur mens Legislatoris, quoad extensionem legis, sed quoad verborum significationem. Hæc extensio secundùm Suar. vitanda est etiam in favorabilibus.

Dixi: *Per se loquendo:* nam lex ob identi- 257.
tatem rationis extenditur. 1. Si aliàs sequeretur *Quan-*
aliqua iniquitas, vel absurditas, aut, si lex aliàs *doque*
esset inutilis: si Legislator argueretur aliàs im- *debet*
prudentiæ, aut meritò præsumatur extensio es- *1. In ca-*
se de mente ejus; sic lex prohibens usurario *su ab-*
testamentum, censetur prohibere codicillos, ut- *surdi.*
pote aliàs inutilis.

2. Extenditur in correlativis: nam quod de *2. In*
uno illorum statuitur, censetur statui de altero, *correla-*
ubi est eadem ratio. Sic lex statuens, ut maritus *tivis.*
liberetur obligatione reddendi debitum uxori suæ adulteræ, censetur statuere, ut illâ obligatione liberetur uxor, si maritus adulterium committat.

mittat. Item lex concedens ſponſæ facultatem reſiliendi à ſponſalibus ob diuturnam abſentiam ſponſi, eandem facultatem cenſetur concedere ſponſo ob diuturnam abſentiam ſponſæ; quia in his eſt par ratio pro utraque parte.

3. In æquiparatis jure.

3. In iis, quæ jure æquiparantur; verùm in iis tantùm, in quibus jure æquiparantur, ùt ſunt: Electio, poſtulatio, proviſio, Legatum, fideicommiſſum, falcidia, & Trebell. Hinc, quod horum in uno conſtitutum eſt, de altero ſtatutum intelligitur, ubi eſt eadem ratio. Dixi: *In iis tantùm, in quibus æquiparantur*: ſic, quia minor, & Eccleſia æquiparantur, quoad reſtitutionem in integrum, non verò quoad tempus præſcriptionis; hinc quod de minore ſtatutum eſt, quoad primum, intelligitur de Eccleſia, non verò quoad ſecundum.

4. In connexis.

4. In connexis jure, vel conſuetudine, ità ut unum ſubordinetur alteri, vel unum in altero contineatur, velut pars in toto, aut imperfectum in perfecto, aut ùt minus velut in majore. Sic cui conceditur facultas teſtandi, facultas etiam conceditur faciendi codicillos; cui conceditur facultas audiendi Miſſam tempore interdicti, conceditur & ejus famulis, qui eum comitari debent; quod ſtatuitur de Vicario Epiſcopi, cenſetur ſtatutum de Vicario Capituli, Sede vacante; quod ſtatuitur de gradibus conſanguinitatis, cenſetur ſtatutum de affinitate, publicaque honeſtate; ſi eadem ſit ubique ratio.

5. In expreſſo exempli causâ.

5. Extenditur, ſi caſus unus, v.g. unum crimen, vel perſona ſit expreſſa tantùm exempli causâ in lege generali: tunc enim alii non expreſſi cenſentur comprehendi ſub tali lege, v.g. ſi lex pœnam imponeret furto 100. imperialium, extenditur ad furtum alterius rei ejusdem

valo-

valoris ; quia lex censetur generalis , & 100. imperiales ponuntur exempli causâ.

6. Quando unum frequentioris usûs gratiâ ponitur, comprehenditur casus minùs frequens. Sic Bulla Pauli V. contra Confessarios, qui mulieres sollicitarent ad turpia, extenditur ad eos, qui sollicitarent masculos ; quia mulieres nominantur frequentioris usûs gratiâ. Item si in aliqua Diœcesi quis prohibeatur audire Confessiones in privatis ædibus, exceptis infirmis, permissio extenditur ad sanos, qui nequeunt domo exire. Item dum Pius V. prohibet, ne moniales claustris exeant , nisi incendii, lepræ , epidemiæ causâ , extenditur ad casum invasionis hostium, &c. *6. Dum unum expressum est frequentioris usûs causà.*

7. Extenditur in decisione causarum : nam quando pro casu aliquo decidendo nulla extat lex , judicandum est ad normam similis casûs in jure expressi. Unde est axioma : *Casus, similis expresso, non censetur omissus.* Atque in his locum habet axioma : *Ubi eadem est causa , ibi eadem debet esse dispositio juris.* *7. Ex decisione causarum.*

Nota. Particula *vel* in jure sumitur copulativè pro particula *&* , quando ponitur inter duo ità connexa , ut non separentur ; similiter particula *sive* , *seu* sumitur pro particula *&*, quando ponitur post aliquem terminum pluraliter , vel universaliter, aut indefinitè sumptum ; ùt si dicatur , lego tibi mea vina sive ruri sive domi ; disjunctivè autem accipitur tò *sive* , si ponatur post terminum particularem, ùt si dicatur : lego tibi vestem , sive librum , id est, vel librum. 258. *Et, & vel.*



QUÆS-

QUÆSTIO III.


Quomodo Privilegia, Dispensatio, & Potestas dispensandi sint interpretanda?

259. *Interpretatio privilegii.* Resp. Privilegia interpretanda sunt 1mò, manendo intra proprietatem verborum, ità tamen, ut non evadant inutilia, vel oneri fiant privilegiato. 2. Strictè sunt interpretanda, si cedant in præjudicium 3tii, si derogent statuto, vel consuetudini particulari, non contrariæ juri communi. Item si derogent juri communi. Excipe, nisi faveant religioni, causæ piæ, vel publicæ, vel data sint ex certa scientia, & motu proprio, vel inserta corpori juris. 3. Privilegia merè favorabilia sunt latè interpretanda, & extendenda etiam ad civilem verborum significationem, v. g. ut nomine filii veniat etiam filia, nomine religiosi, veniat etiam Monialis &c.

260. *Dispensationis.* Resp. 2. Dispensatio, particularibus data, strictè est interpretanda; quia est vulnus quoddam legis, secus si sit data publicæ utilitatis causâ v. g. Canonico, ut abesse possit studiorum causâ à loco beneficii, aut data motu proprio.

261. *Facultatis dispensandi.* Resp. 3. Potestas dispensandi etiam delegata est latæ interpretationis; quia est in bonum commune. Excipe, nisi dispensatio esset in præjudicium 3tii, vel esset delegata ad dispensandum cum persona determinata: tunc enim esset inchoata legis vulneratio.

TRAC-



TRACTATUS IV.

De Censuris, Irregularitate, & Sepulturis Ecclesiasticis.

TRactatui de legibus tractatum hunc subjicio, quia Censura & Irregularitas sunt legis Ecclesiasticæ pœnalis, & inhabilitantis quidam effectus, deque his in sequentibus sæpè mentio facienda est: cùmque locus in Theologia Morali commodior vix sit pro tractatu de Sepultura Ecclesiastica; & de hac hìc agendum.

CAPUT I.

De Censuris Ecclesiasticis in genere.

CEnsura significat tum officium Censoris, 262.
mores corrigentis, tum ipsam correctio- *Varia*
nem, seu censionem, quâ indigni ab hono- *Censuræ*
ribus arceantur; tum sententiam Judicis cor- *significatio.*
rectoriam: Quo sensu dicitur doctrina Censuræ Ecclesiæ subjici Censurâ affici, dum corrigitur, vel proscribitur, ùt falsa, vel impia, aut malè sonans. Denique significat pœnam quandam spiritualem ab Ecclesiastico Judice, ob crimen contumacibus impositam. Et de Censura, hoc sensu accepta, hìc sermo est.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Cenſura Eccleſiaſtica?

263. *Definitio Cenſuræ Eccleſiaſticæ.* Reſp. Cenſura eſt pœna Eccleſiaſtica medicinalis, privans primariò bonis quibuſdam ſpiritualibus publicis, diſpenſationi Eccleſiæ commiſſis. Dicitur 1mò. *Pœna*, quia ſupponit culpam, ſine qua quis bonis ſpiritualibus privari ab Eccleſia non debet. Dicitur 2. *Eccleſiaſtica*; quia ſicut diſtribuere, ſic ſubtrahere bona ſpiritualia communia ad Eccleſiaſticam pertinet poteſtatem. Dicitur 3. *Medicinalis*; quia fertur ad avertendum & revocandum hominem à peccatis. Et hinc ex intentione non eſt perpetua, ſed tolli debet à Superiore; ſi reus ſe emendaverit, & ſatisfecerit. Dicitur 4. *Privans bonis* quibuſdam ſpiritualibus publicis, qualia ſunt Sacrificium Miſſæ, Sacramenta, Suffragia Eccleſiæ, Jurisdictio, ejuſque uſus &c. bonis enim propriis ſeu privatis, ùt ſunt dona gratiæ, Fides, Spes, Charitas, aliæque virtutes, & eorum actus, & bona opera; Eccleſia neminem ſpoliare poteſt, aut eorum uſum interdicere. Dicitur 5. *Primariò privans bonis ſpiritualibus*, quia Eccleſia privando bonis ſpiritualibus, ſecundariò quandoque privat bono temporali, v. g. fructibus beneficii, vel communione in civilibus per excommunicationem.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Cenſura Eccleſiaſtica?

264. *Diviſio* Reſp. Generatim triplex, Excommunicatio, Suſpen-

Suspensio, Interdictum. Quæ si ferantur per Canones, Constitutiones, vel statuta Ecclesiastica stabili, & permanente lege, dicuntur Censura Juris; si ferantur ab humano Judice, vel Superiore singulari per sententiam judicialem, vel per præceptum transiens; dicuntur Censuræ ab homine latæ. Possunt ferri vel in personam individuam, vel generatim ac indeterminatè in aliquos. Porrò Excommunicatio, Suspensio, Interdictum possunt esse latæ, vel ferendæ sententiæ.

QUÆSTIO III.

Quæ culpa requiratur ad incurrendam Censuram?

Resp. Regulariter requiritur culpa gravis, eaque actu gravi externo completa. *Ratio 1mæ partis est;* quia Censura privat magno bono, ad cujus privationem pœnalem requiritur culpa gravis. *Ratio 2dæ partis est;* quia Ecclesia in foro externo non punit graviter, nisi adsit actus externus graviter malus, in sua specie completus, imò nisi effectus sequatur, sub Censura prohibitus. Hinc absolutè leviter percutiens Clericum, non excommunicatur, etsi intentio fuisset mortalis: nec graviter vulnerans Laicum, etsi voluisset occidere, modò mors non sequatur ex vulnere. Hâc tamen secutâ, esset excommunicatus, etsi jam coram Deo per pœnitentiam esset justificatus. 265. 1. *Culpa in- & externè gravis.*

2. Requiritur, ut culpa sit contra præceptum Ecclesiæ cum contumacia, id est, à sciente legem Ecclesiæ pœnalem admissa; quia Censura est 2. *Scientia legis.*

 pœna,

pœna, ſtatuta, ut homines arceantur, & revocentur à peccatis; lex autem pœnalis, ignorata ùt talis, à peccatis non poteſt retrahere. Quare ob peccatum omninò præteritum non infertur Cenſura. Aliud foret, ſi in delicto perſeveraret; aut delinquens nollet ſcandalum tollere. Dixi: *Regulariter*: nam excommunicatio minor, & interdictum ad breve tempus, ex quorundam ſententia, incurri poteſt ob culpam levem.

266. *Corollaria.* Hinc 1. Per hæreſin merè internam excommunicatio non incurritur, ſecus, ſi prodiret in actum externum, quo actus internus compleretur, etſi eſſet occultus. Utì ſi quis in ſuo conclavi ſolus discrederet, v. g. Myſterium SSmæ Trinitatis, & ore diceret, voce ab aliis audibili: Deus non eſt Trinus in perſonis. Secus, ſi ſuam hæreſin internam alteri conſilii causâ aperiret, aut verba eſſent indifferentia: utì ſi tantùm diceret: non eſt ita, & aliunde ex circumſtantiis non colligeretur hæreſis interna. 2. Si præcepto rei, undequaque levis, importetur; eſt comminatio potius, quàm Cenſura. 3. Si furtum ſub Cenſura prohibeatur, & ſucceſſivè parva quis auferat, animo etiam mortaliter malo, non incurrit Cenſuram, ſaltem quàm diu non pertingit ad materiam gravem.

QUÆSTIO IV.

Quænam excuſent ab incurſu Cenſuræ?

267. *Ignorantia legis, ut* Reſp. Excuſat 1mò omne, quod excuſat à peccato mortali, ùt defectus advertentiæ, levitas materiæ. 2. Quod excuſat ab obſervatione

tione legis Ecclesiasticæ, ùt ignorantia, invincibilis tum legis; tum facti, seu quòd factum repugnet legi: utì si quis percuteret Clericum, invincibiliter ignorans esse Clericum. *pœnalis & omne excusans ab observatione legis.* 3. Ignorantia etiam vincibilis, non crassa, & supina. C. 1, cap. 2. de Constitutionibus: *Ut animarum*; tunc enim deest contumacia, & contemptus legis, odiaque sunt restringenda. 4. Ignorantia etiam vincibilis pœnæ, modò non sit crassa, & affectata: nam ignorans pœnam non repugnat potestati, ùt punitivæ, & pœna, utpote medicinalis, ignorantem deterrere non potest à delicto.Ità Sanch. Suar. La Croix l. 7. n. 95. 5. Si Censura lata sit contra scientes, ausu temerario facientes, facere præsumentes; non incurritur cum ignorantia etiam crassa; sed tunc requiritur scientia, & contemptus positivus. Vide La Croix num. 96. 6. Excusat metus gravis mali, & impotentia, etiam moralis, observandi legem; hæc enim excusant ab observatione legis humanæ.

QUÆSTIO V.

A quibus, & in quos ferri Censura possit?

Resp. 1. Censura ferri potest ab omni, & solo superiore Ecclesiastico, habente jurisdictionem in foro externo; quia omni & soli tali Superiori competit potestas, coercendi in foro externo subditos pœnis spiritualibus, ex illo Matthæi 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis.* Hinc Censuras ferre potest 1mò Papa in omnes Bapti- 268. *Ab habente jurisdictionem in foro externo.*

zatos ; Episcopus in suos subditos ; Superior Religiosus in Religiosos sibi subjectos : Non tamen Parochus, nec Abbatissa, quæ si prohibeat Clerico, sibi subdito, celebrationem Missæ, non est propriè Censura, cujus violatione incurritur irregularitas, sed est instar mandati. Probabiliter tamen fœmina non est incapax omnis potestatis spiritualis; sed illius, quæ ex ordine sacro, & clavibus descendit.

269. *In subditos Ecclesiæ, doli capaces.* Resp. Ut in aliquem possit ferri Censura, requiritur 1mò, ut sit Viator; quia hic solus est capax subjectionis respectu hominis in hoc sæculo. Quare dum Hæretici mortui excommunicantur, declaratur excommunicatio in vivis incursa, prohibetur pro iis fieri suffragia, & eos donari Ecclesiasticâ sepulturâ. 2. Requiritur, ut sit baptizatus; quia aliàs non est subjectus Ecclesiæ. 3. Ut sit rationis compos; aliàs non est capax culpæ, & emendationis. Quare pueri ante septennium nullas Censuras Ecclesiasticas incurrunt; quia supponitur, illis non esse sufficientem usum rationis. Post septennium autem usum rationis adepti, etsi adhuc sint impuberes, si cætera *An impuberes?* adsint, incurrunt excommunicationem ob ingressum in clausuram Monialium, ex Trid. Sess. 25. cap. 5. & probabiliùs ob percussionem Clerici. Ex cap. ult. *de sententia Excom.* Imò probabiliter etiam incurrunt alias Censuras à lege latas, cùm doli sint capaces, & in jure non fiat exceptio. Non improbabilis tamen est sententia opposita, quam tenet Castrop. Quòd autem Censuras, ab homine ferendas non incurrant, certum est; quia non admittuntur ad agendum in judicio, quod ad talem

Cen-

Censuram infligendam requiritur. 4. Ut sit subditus illius, qui fert Censuram; quia jurisdictio correctiva non potest exerceri, nisi in subditos. 5. Ut sit verè reus. Vid. n. 320. in fine.

Hinc 1mò. Episcopus, & omnis Papâ inferior non potest Censurâ afficere Religiosos exemptos; quia deficit jurisdictio. 270. *Corollaria.*

2dò. Peregrini incurrunt Censuram, per legem, vel statutum Episcopale, latam; si lege illâ, secundùm dicta, teneantur, cujus transgressioni imposita est; vel sint scandalo, aut damno spirituali territorianis: nam ratione delicti Episcopo subjiciuntur.

3tiò. Si Episcopus per statutum, vel legem sub Censura in sua Diœcesi prohibeat suis Clericis v. g. lusum aleatum; existentes extra Diœcesin eam non incurrunt; secus, si prohibitio sit facta alicui, aut aliquibus in particulari: lex enim loco, mandatum autem personis adhæret; potestque executio merè interna fieri in alieno territorio; etsi externa cum strepitu forì externi fieri non possit. Superior tamen Religiosus potest subditum suum censurare, citare, capere, ubicunque existat, nemine implorato; quia in suos subditos eam potestatem habet à Papa.

4tò. Si subditus non deliquerit mortaliter, Censura, in ipsum lata, est nulla; si tamen in foro externo probaretur reus, ob actum externum positum; deberet se gerere instar censurati, ratione scandali, & boni communis, ob quod authoritas Superioris, & obedientia præferenda esset. Unde, si coram Deo innocens, ab Episcopo suspensus, celebraret publicè Missam, peccaret quidem; irregularita-

tem tamen non incurreret; quia Censura non subsisteret, adeoque privatim licitè celebrare posset, ubi non esset periculum, ne evulgaretur, & oriretur scandalum.

271. *Quando comprehendat mandantes &c.* Resp. 3. Censura ferri potest in facientes, mandantes, consulentes, cooperantes. Si feratur in facientes, vel committentes aliquod delictum, non incurritur ab aliis; nisi id exprimatur, aut lex aliàs esset inutilis: odia enim sunt restringenda; nec in his censetur quis facere per se, quod facit per alium, nisi id exprimatur. Quare si dicatur: sit excommunicatus, qui hoc per se vel per alium fecerit, excommunicatur mandans, vel alium ad id conducens; non verò consulens, quia exequens non operatur nomine consulentis uti nomine mandantis, conducentis. Si lex, directè prohibeat mandatum, vel consilium sub Censura, hæc incurritur à mandante & consulente; etsi mandatum, vel consilium revocetur ante executionem actûs; Si autem directè & principaliter prohibeat actum, & accessoriè mandanti, vel consulenti imponatur pœna, seu Censura; mandato ante executionem actûs revocato, mandans eam non incurrit: si autem ante actûs executionem revocetur consilium; attendendum, an nihilominus influxerit in substantiam actûs: si in eam influxerit, incurritur; secus non incurritur Censura. La Croix à n. 57. Denique in quemcunque feratur Censura ab homine per particularem sententiam, servandus est ordo juris, ut nempè præcedat monitio triplex, aut una tribus æquivalens, ut censurandus probetur reus &c. Quæ tamen non requiruntur ad incurrendam Censuram, à jure latam. Nec sen-

sententia declaratoria criminis specialem monitionem prærequirit: Lex enim stabiliter manet.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Excommunicatio, & quinam ejus effectus?

Resp. 1. Excommunicatio est Censura Ecclesiastica, baptizatum privans communione 272. fidelium in bonis, tum spiritualibus, Eccle- *Quid* siæ dispensationi subjectis; tum civilibus qui- *sit?* busdam. Primi generis bona sunt Sacramenta, Divina officia, Beneficia Ecclesiastica, Suffragia fidelium, Sacrificium Missæ, Indulgentiæ, Supplicationes, & Benedictiones publicæ. Secundi generis sunt, quæ pertinent ad civilem societatem humanam, ùt Convivia, communis mensa, Colloquia, mutua salutatio, actus in judiciis &c.

Resp. 2. Excommunicatio alia est major, 273. alia minor. Major est, quæ privat omni Com- *Quotu-* munione Ecclesiæ, & ab ea excommunicatum *plex.* abscindit; pœnaque est gravissima, & passim venit nomine excommunicationis. Minor est, quæ directè tantùm privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum; indirectè verò passivâ electione, seu promotione ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas: arcet enim à susceptione ordinum, ad quorum exercitium

beneficia ordinantur. Hæc moderno tempore incurritur duntaxat ob communicationem cum excommunicato vitando in ſpiritualibus, vel civilibus. Et probabiliter ad eam non requiritur culpa mortalis: cùm enim à quovis, potente abſolvere à peccatis, tolli poſſit; non cenſetur pœna gravis.

274. *Ejus effectus.* Reſp. 3. Excommunicatio major; alia cenſuratum non tantùm privat omni communicatione cum fidelibus; ſed his etiam illum vitandum reddit; alia eum ſolum arcet à communione fidelium; hos tamen non obligat, ne cum eo communicent, modò abſit ſcandalum. Quam ob cauſam hic dicitur excommunicatus toleratus, non vitandus, ille verò excommunicatus vitandus, non toleratus. Excommunicatus non toleratus hodiedum poſt Concilium Conſtantienſe celebratum ſub Martino V. Pontifice eſt notorius percuſſor Clerici, & nominatim denuntiatus, tanquam excommunicatus per legitimum Judicem, vel ejus Commiſſarium ſub proprio nomine, aut tali deſcriptione, quâ clariſſimè deſignetur hæc in individuo perſona. Et hinc, uti & notorius percuſſor Clerici privatur, ſi quam habuit, jurisdictione, aut ſaltem exercitio ejus valido. Quare actus illius nulli ſunt; ſecus eſt de excommunicato, tolerato. Ex his ſeqq. deduco.

275. *Corollaria. Illicitè ſuſcipit Sacramenta.* 1mò. Peccat graviter innodatus excommunicatione etiam minore, qui ante abſolutionem à Cenſura ſuſcipit Sacramentum etiam pœnitentiæ, aut beneficium Eccleſiaſticum admittit: quamvis ideo irregularitatem non incurrat, nec collatio ſit ipſo facto irrita; ſed tantùm irritanda. Ex Cap. ultimo. *de Clerico excommunicato.*

2dò.

2dò. Excommunicatus excommunicatione majore non participat fructum ex sacrificiis, & precibus, quæ nomine Ecclesiæ fidelibus applicantur, idque verum est; etsi per contritionem perfectam coram Deo esset justificatus: sic enim necdum Ecclesiæ est restitutus. Possunt tamen privatæ pro eo preces fieri, & privata etiam memoria in Sacrificio Missæ; quia privatur tantùm fructu, qui provenit ex intentione Ministri, ùt agentis nomine Ecclesiæ. Non potest licitè interesse Sacrificio Missæ, & officiis publicis. Quanquam si aliàs erat obligatus ad Horas Canonicas, eas privatim recitare teneatur, possitque interesse Concioni, quia ad ejus correctionem est; non verò licitè suscipere Sacramenta; nisi excuset gravis necessitas v. g. ad vitandum periculum mortis, mutilationis, gravis jacturæ in fama, bonis fortunæ; quia Ecclesia cum tanto rigore non obligat. Sacramenta, excepto Sacramento pœnitentiæ, validè potest suscipere: positis enim à Christo institutis & requisitis ad valorem, hunc Ecclesia non potest impedire. Nec ideò inurreret aliquam Censuram; quia nulla reperitur statuta. Excipe Sacramentum Ordinis: hoc enim suscipiens, maneret suspensus. Quòd si Sacramentum pœnitentiæ bonâ fide susciperet, à peccatis validè absolveretur, etsi priùs non esset absolutus ab excommunicatione: nullo enim jure tunc Sacramentum esset irritum. 176. *Non participat suffragia.*

3tiò Excommunicatus vitandus, utpote privatus jurisdictione, invalidè administrat Sacramentum Pœnitentiæ extra casum extremæ necessitatis. Reliqua administrat validè, sed illicitè. Constituto tamen in articulo mor- 177. *Absolvit invalidè.*

tis, posset; si absente alio requireretur, dare Eucharistiam, & extremam Unctionem, uti potest dare egenti cibum corporis. Deinde non potest validè conferre beneficia, ad ea præsentare, instituere, nec ferre sententiam, ob defectum jurisdictionis. Denique non potest sepeliri in loco sacro, nisi, saltem post mortem, sit absolutus, uti potest & debet, si dedit signa pœnitentiæ, cur autem excommunicatus vitandus privetur jurisdictione, est, quia, cùm non liceat ei communicare etiam in minimis, multò minùs licitum esse potest publicum officium. Unde ex Can. *Audivimus* 24. q. 1. Et *Cap.* 1. *de Officio Vicarii*. in 6. Et Cap. *Si is de officio delegati*. declaratur inhabilis, & ab exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ suspensus. Videri potest Suar. *de Censuris*. Disp. 14. S. 1. S. Th. 2. 2. q. 39. A. 3. prope finem. La Croix L. 7. n. 216.

278. *Communicatio cum tolerato.* 4. Excommunicatus toleratus potest Sacramenta, quorum minister est, conferre validè, imò & licitè, si à fidelibus ex justa causa requiratur: quia nec jurisdictione privatus est, nec prohibentur fideles cum eo communicare in divinis. Ex Concilio Constantiensi. Unde requisitus ex justa causa potest administrare Eucharistiam, extremam Unctionem infirmo; die Dominicâ, si alius desit, fidelibus legere Sacrum.

279. *Cum vitando.* 5. Peccant fideles graviter, si in divinis communicent cum excommunicato vitando, nisi excuset levitas materiæ, ùt v. g. est exigua pars Missæ. *Ratio est*; quia agunt contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi. Unde eo præsente non licet legere, vel interesse Missæ; sed debet moneri, ut exeat. Quòd si nolit,

nolit, expellendus est: si expelli non possit, Missa abrumpenda est, si Canon necdum sit inceptus; si verò inceptus sit, fideles exire debent, & Sacerdos pergere.

Dixi: *Si communicent in divinis*: Nam in civilibus communicare grave non est, nisi fiat sæpe: quia non derogat graviter fini legis. Imò in iis licita esse potest communicatio. Causæ autem sunt utilitas propria, vel proximi, necessitas, subjectio, lex matrimonii. Quare licitè potest quis agere cum excommunicato etiam vitando, ut eum reducat ad obedientiam, ut habeat vitæ necessaria, consilium, quod ab aliis habere non potest, ut accipiat sibi debitum: uxor licitè agit cum marito vitando, filius cum parente, religiosus cum suo Prælato, non tamen quà tali; quia ab usu jurisdictionis suspensus est. Quòd si quis ageret cum excommunicato tali in crimine, ob quod excommunicatus est, v. g. suadendo, ut non satisfaciat, vel idem cum ipso crimen iterando, incurreret excommunicationem majorem. Ex Cap. *Si concubina de sententia excommunicationis.*

Resp. 4. Excommunicationes aliæ sunt reservatæ, aliæ non reservatæ. Reservatæ aliæ sunt Papæ *in Bulla Cœnæ Domini*, aliæ ipsi extra illam. Aliæ sunt reservatæ Episcopo in jure, aliæ ab ipso: de quibus jam dicendum. 230. *Excommunicatio multiplex.*

QUÆSTIO II.

Quæ sint Excommunicationes non reservatæ?

Resp. Sunt sequentes. 1ma. Lata in eos, qui 281. *Non reservata.*

qui per vim, vel metum extorquent absolutionem à Censura. Cap. *De his, qui vi in 6.* Estque talis absolutio nulla.

2da lata in Laicos, qui compellunt Ecclesiasticos, ut sibi submittant Jura Ecclesiæ.

3tia lata in eos, qui exigunt pedagia à personis Ecclesiasticis. *Ex cap. De Censibus in 6.* Hi nunc videntur excommunicari per Bullam Cœnæ, adeoque excommunicatione reservatâ.

4ta. In eos, qui scienter sepeliunt Hæreticos in loco sacro. Ex cap. 2. *De Hæret. in 6.* Item in eos, qui tempore interdicti, vel nominatim interdictos, publicè excommunicatos, aut manifestos usurarios in loco sacro sepeliunt. *Clem. III. De Sepulturis.*

5ta. In eos, qui scienter contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Moniali.

6ta. In eos, qui imprimunt libros absque licentia Superioris. *Bulla* 12. *Leonis X.*

7ma. In eos, qui rapiunt mulieres, & rapientibus favent. *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 6.

8va. In eos, qui impediunt mulieres ab ingressu Religionis, vel ad illam cogunt. *Sess.* 25. *Cap.* 18. *De Regularibus.*

9na. In eos, qui pingunt, deaurant, &c. Agnos benedictos à Papa.

10ma. In eos, qui sine licentia sui Episcopi se ingerunt in alieno Episcopatu in officium Cap. *Quoniam de Officio Ordinarii.*

11ma. In eos, qui fictè resignant, vel commutant Beneficia. Alias omitto, tum, quia ab iis absolvere potest quisque approbatus, tum, quia à multis ob ignorantiam non incurruntur.

QUÆSTIO III.

Quæ sint Excommunicationes Papæ reservatæ?

Resp. Quædam continentur in Bulla Cœnæ Domini sic dictâ, quòd jam ab an. 1420. singulis annis in die Cœnæ Domini, seu Feriâ 5. Hebdomadæ Sanctæ à Papa renovetur. Excommunicantur in ea 282. *Reservata.*

1. Apostatæ à fide Christi, omnesque, & singuli Hæretici, eorum receptores, fautores, defensores. Item, qui eorum libros, hæresin continentes, vel de Religione tractantes legunt, retinent, imprimunt, vel vendunt.

2. Nova pedagia, seu gabellas in terris suis, præterquam in casibus, sibi à Jure. vel Sede Apostolicâ permissis, imponentes, vel augentes.

3. Imponentes personis Ecclesiasticis, & bonis decimas sine speciali licentia Pontificis.

4. Laici trahentes personas Ecclesiasticas, præter Juris Canonici dispositionem, ad sua tribunalia, aut statuta facientes contra libertatem Ecclesiasticam. Alias excommunicationes in Bulla contentas, quæ in his partibus vix evenient, videre licet apud La Croix L. 6. p. 2. n. 2054.

Extra Bullam Cœnæ sunt aliæ permultæ. Satis sit, referre magis obvias.

1ma lata est in incendiarios.

2da. In falsificantes Literas Apostolicas.

3tia. In effringentes, & spoliantes Ecclesias.

4ta.

4ta. In communicantes in eodem crimine cum excommunicatis à Papa.

5ta. In vexantes eos, qui in alios Censuram tulerunt.

6ta. In absolutos à Censura sub conditione, & hanc non implentes.

7ma. In violantes Interdictum Papale.

8va. In dantes. vel recipientes aliquid ex pacto propter admissionem ad Religionem.

9na. In Simoniacos reales circa Ordinem, vel Beneficium.

10ma. In committentes Simoniam realem confidentialem.

11ma. In impedientes executionem literarum S. Pœnitentiariæ.

12ma. In committentes duellum, & ad id cooperantes.

13tia. In mulieres ingredientes Monasteria Regularium.

14ta. In facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ.

15ta. In rapientes bona Ecclesiastica.

16ta. In violantes Immunitatem Ecclesiasticam adversùs fugientes ad Ecclesiam.

17ma. In docentes, posse fieri Confessionem in absentia in ordine ad absolutionem ab absente accipiendam.

18va. In asserentes in Concionibus, aliisque actibus publicis, Beatissimam Virginem esse conceptam in peccato originali.

19na. In alienantes Ecclesiam.

20ma. In Parochos non implentes juramentum de residentia.

21ma. In impugnantes institutum Societatis JESU.

22da,

22da. In Moniales sine licentia ex Clausura exeuntes.

23tia. In Religiosos, sine speciali privilegio, & licentia Parochi Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis infirmis ministrare, vel Matrimonium solemnizare præsumentes.

24. In percussores Clerici. Plures referentur per decursum, & videri possunt apud Pichler & alios.

De excommunicationibus percussoris Clerici, & legentis libros prohibitos, cùm multa sint scitu necessaria, agendum de iis speciatim.

QUÆSTIO IV.

A quibus, & quando incurratur Excommunicatio lata in percussorem Clerici?

Resp. 1. Concilium Lateranense II. Can. 15. utì & refertur Cap. *Si quis suadente* 27. causâ 17. q. 4. sic statuit: *Si quis, suadente diabolo, in Clericum vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat ipsum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur.* Hæc Lex statui Clericorum favorabilis est, & pro his latè interpretanda, utì, teste La Croix, tenent omnes. Explico singula

283. *Percussor Clerici.*

1. Per particulam *Quis*, intelligitur quicunque baptizatus, ratione utens, cujuscunque ætatis, sexûs, conditionis, dignitatis. Item efficaciter mandans vel consulens, aut non impediens, dum tenetur ex officio; ùt Rex, Ju-

dex, Pater, Tutor, Pædagogus, & quicunque Superior. Item consentiens & cooperans, externè ratam habens percussionem suo nomine factam, etsi nec mandârit, nec suaserit ex cap. 23. *De sententia Excomm.* Denique Clericus (quod tamen negant Toletus & Barbosa) seipsum ex passione vulnerans; quia injuriosus est Statui Clericali.

2. Nomine Clerici veniunt omnes primâ tonsurâ initiati, modò habitum Clericalem gestent, & alicui Ecclesiæ deserviant; etsi essent excommunicati, suspensi; secus, si essent realiter degradati. Nomine Monachi veniunt omnes Regulares utriusque sexûs etiam conversi, Novitii, Tertiarii, & Eremitæ sub certa Regula, & Superiore viventes: quia favores sunt ampliandi.

3. Per violentas manus, suadente diabolo, intelligitur quævis actio corporalis, de se violenta, injuriosa, & contumeliosa circa Clericum, vel Religiosum, aut res illi adhærentes, per se sufficiens, ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam, tali personæ debitam, sive fiat manu, sive pedibus, lapillis, aquâ, luto, &c. omnis enim talis actio censetur violenta, & fieri suadente diabolo.

Percussio enormis, & mediocris. Porro actio talis alia est enormis, alia non enormis, etsi de se cæterùm mortalis. Enormis censetur, vel ratione suî, ùt, occisio, mutilatio, effusio sanguinis ex vulnere, carnis laceratio, excussio dentium, evulsio multorum capillorum; vel ratione dignitatis personæ, ùt si Episcopus, vel Prælatus alapâ percuteretur. Non enormis, seu mediocris, & levis respectu enormis censetur, quâ nec cum tali excessu simplex Clericus, nec persona talis dignitatis impe-

mpetitur, ùt, si fiat pugno, palmâ, lapide non relinquente vestigium simplici Clerico, quamvis aliquæ guttæ sanguinis ex naribus effluant, excommunicatio ob primam Papæ, ob secundam Episcopo reservatur. Cap. 17. *De Sent. Excom.*

Resp. 2. Excommunicationem hanc incurrit 1. Qui ex prædictis unum percutit, vulnerat, illi evellit crines, vestem lacerat, conspergit luto, &c. ità, ut actio censeatur graviter injuriosa, licèt injuriam passus in id consentiat, quia actio manet injuriosa statui. 284. *Qui incurrant excommunicationem hanc?*

2. Qui illum detinet violenter in carcere, aut loco, unde sine dedecore nequit exire.

3. Qui persequitur, ut in fluvium decidat, vel labatur ex equo.

4. Qui manus violentas injicit equo, cui insidet, sistendo per frœnum, vel lædendo, aut occidendo: hæc enim est actio gravis in ratione injuriæ, & contumeliæ.

5. Qui Clerico per se, vel per alium præbet venenum: hoc enim statim incipit corpori inferre violentiam.

6. Qui alterum determinatum ad percutiendum movet, ut fortiùs percutiat; quia fortior percussio non habet se impertinenter, uti ad damnum se habet, qui alterum, determinatum ad nocendum, movet tantùm ad libentiùs nocendum.

Resp. 3. Econtra excommunicationem hanc non incurrit 1. Qui sine vi occultè crumenam abscindit Clerico, vel vestes jacentis in lecto clam aufert, vel vestibus ejus clam aliquid assuit, ut à populo rideatur. 285. *Qui non?*

2. Qui Clericum convitiis afficit; quia non est actio corporalis injuriosa, & violenta.

3. Qui percutit jam privatum privilegio Canonis, v. g. Bigamum, vel habitu Clericali post ternam monitionem non utentem.

4. Clerici impuberes se invicem percutientes, secus, si Clerici puberes id faciant. Cap. 1. *De Sent. Excom. in 6.*

5. Qui Clericum percutit ex joco, levitate, aut ignorantia, vel ad sua defendenda, modò plus non faciat, quàm ad vim repellendam sufficiat, nec percutiat, quando vis jam cessat, tum enim non esset defensio, sed vindicta.

6. Qui percutit Clericum, ut vim ab ipso illatam tertio, repellat, modò fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ.

7. Qui percutit Clericum convenientis correctionis gratiâ: sic pater potest castigare filium suum in minoribus, & Prælatus subditum suum in majoribus constitutum.

8. Qui percutit Clericum turpiter agentem cum uxore suâ, filiâ, sorore, matre, quia censetur id facere ex justo dolore. Idem extenditur ad turpia oscula, tactus, amplexus cum illis personis. Idque verum esse, ait Schmalzgruber, etsi exspectet, ut turpiter agentem percutiat, modò absit dolus.

9. Qui percutit ex subita passione sine plena advertentia, ùt, si socius in lusu ex subito motu Clericum percutiat. V. Schmalzg. L. 5. T. 39. n. 232. & 239.

10. Pirrhing & Abbas excusant Clericum, qui Clericum socium ejusdem Ecclesiæ percutit, quia ex continua conversatione facilè contingit, ut se invicem percutiant. *Cap. ex tenore 10. De Sent. Excom.*

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quando percussor Clerici excommunicatus dicatur notorius, & vitandus?

Resp. Notorius, & vitandus est, quando 286.
percussio, vel actio violenta contumeliosa ità *Quis sit*
est nota, ut nullâ tergiversatione celari, nullo *notorius*
Juris suffragio excusari possit. Qualis est, si *percus-*
sit evidenter nota majori parti Communitatis, *sor?*
vel saltem majori numero personarum, nec sufficit, quòd per testes probari possit, aut nota sit notorietate juris, id est, per sententiam Judicis necdum publicatam, & notam Communitati, vel per confessionem Rei, vel per depositionem testium in Judicio; sed debet esse notoria notorietate facti. Imò, si hoc modo nota esset, si tamen percussor aliquo juris suffragio v.g. dicendo, quòd vim vi repulerit, vel ignoraverit, percussum esse Clericum, aut subitâ vehementi irâ percusserit, excusare se posset, necdum vitandus esset. Quia autem sic sæpè percussor se excusare potest, hinc Pignatelli L. 4. Consult. 132. ait, regulariter requiri, ut per Judicem publicè denuntietur priùs, quàm sit sub peccato vitandus, fit autem denuntiatio publica in Ecclesia, & postea in scripto ad ejus portas affigitur. *Ratio* horum est; quia, quamvis lex vetans percussionem Clerici sit favorabilis statui Clericorum, & pro his latè accipienda, tamen lex præcipiens vitationem percussoris excommunicati est pœnalis, & strictè interpretanda. La Croix L. 7. num. 179. Hinc infert Layman hìc cap. 4. n. 2. non esse vitan-

vitandum eum, qui percussit Clericum duobus vel tribus præsentibus, & videntibus. Imò tenet Dicastillo, si percussio in privata domo coram septem, vel in Conventu Religioso facta sit, non ideo esse simpliciter notoriam; secus, si coram septem fieret in foro. Quando dicitur Cap. *Cùm desideres.* *De Sententia Excom.* percussor Clerici vitandus, si fama sit publica, intelligitur de fama orta à fide dignis, & quæ faciat moralem certitudinem, tunc enim sufficit ad notorietatem facti. Vide La Croix L. 7. n. 182. Quomodo vitandus privetur Jurisdictione. Vide Pignatelli Tom. 9. Consl. 160.

QUÆSTIO VI.

Quandonam incurratur excommunicatio per libri prohibiti lectionem, detentionem, impressionem, venditionem?

287. *Requisita quatuor.* Resp. Ut incurratur excommunicatio illa Papæ reservata per Bullam Cœnæ, hæ quatuor conditiones requiruntur, quarum unâ deficiente, non incurritur. 1ma. Liber debet esse conscriptus ab Hæretico, quamvis opus non sit, ut sit typo datus. 2da. Debet continere hæresin, aut ex professo de Religione tractare, v. g. de Sacramentis, fide, cultu Dei, vel Sanctorum, aut de sensu S. Scripturæ, &c. 3tia. Debet legi scienter sine licentia. 4ta. Debet legi materia notabilis, aut retineri notabili tempore.

241. *Corollaria.* Hinc 1mò. Non incurritur excommunicatio Papæ per Bullam Cœnæ reservata, si legatur

tur liber scriptus à Catholico, aut ab aliquo, qui publicè habetur pro Catholico, etsi liber textus Scriptoris hæretici contineat, aut etiam hæresin. *Qui non incurrant.*

Nec 2. Juxta Nav. Sanch. L. 2. Mor. cap. 10. n. 23. Sporer t. 2. c. 3. Lugonem de Fide, & Dicast. Si legatur Epistola, vel Concio Hæretici separatim edita, quia propriè & usitatè non veniunt nomine libri, & leges pœnales sunt strictè interpretandæ; Hæc equidem sententia videtur probabilis, opposita tamen est probabilior; tum, quia non tam verba, quàm mens Legislatoris est spectanda, quæ pro objecto habuit aversionem periculi perversionis, quod æquè ex Concionis, quàm libri lectione esse potest, si hæresin contineat; tum, quia aliàs lex facilè eluderetur: possent enim plures ejusmodi Conciones legi impunè; posset liber Hæretici dissolvi, & folia separatim successivè legi: unde videtur in lege exprimi liber, ùt species principalis; tum denique, quia, si Concio esset in libellum compacta, eam non liceret legere.

Nec 3. Si legatur liber conscriptus à Turcis, Judæis, aliisque non baptizatis, vel libri historici, poëtici, aliique ab Hæretico conscripti, non tractantes ex professo de Religione, modò hæresin non contineant, secus, per se loquendo, si vel unam continerent. Dico: *Per se loquendo*: quia juxta Layman L. 2. T. 1. cap. 15. n. 5. Pirrhing in L. 5. T. 7. n. 20. & alios, in his Partibus Septentrionalibus Bulla non est in tanto rigore recepta, possuntque libri Historici, Mathematici, & alii ab Hæreticis conscripti ex professione de Religione non tractantes, licèt hæresin hinc inde, vel calum-

niam in Pontificem, Ecclesiam, aut Clerum insperſam contineant, ſine culpa legi, ſi abſit periculum perverſionis; ſed hoc junioribus, & in controverſiis cum Hæreticis non verſatis, meritò diſſuadendum eſt: facilè enim imbibent vilipenſionem, aut minorem æſtimationem Religionis Catholicæ.

Nec 4. Si legatur liber ex ignorantia, etiam culpabili, quòd ſit hæreticus.

Nec 5. Si non legatur pars notabilis, qualis juxta Sanch. non eſt pagina integra majoris voluminis, quod admitti poteſt, ſi materia indifferens in ea contineatur, ſecus, ſi minor etiam pars plures hæreſes contineret.

Nec 6. Qui alium audit legentem, modò illum ad id non induxerit: ſic enim per alium legeret.

Nec 7. Qui linguæ ignarus legit: hic enim ſolùm materialiter legit, nam ad lectionem formalem requiritur, ut legens mente percipiat, quod legit, aut ſaltem ad alium dirigat lectionem. Si tamen quis linguæ gnarus viſu percurrendo mente legeret, is verè legeret. Quod dixi de legente, idem dic de retinente, imprimente, vendente. Debet tamen liber per notabile tempus retineri, ad quod non ſufficit unus alterve dies, cum animo eum comburendi, aut, ubi inquiſitio viget, Inquiſitoribus extradendi. V. dicta in Anal. n. 52.



QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Quæ Excommunicationes sint soli Episcopo reservatæ in Jure?

Resp. Sunt sequentes. 1ma, quæ incurritur ob percussionem levem, seu non enormem Clerici; vel, ob gravem, factam à muliere impubere, paupere, ægro, sene, cæco, claudo, servo, filio-familias, vel non sui juris, uti &c, si Regulares, ac Moniales se invicem verberent. Item, si homines sint delicati, & quotquot habent legitimum impedimentum, ut non possint adire Papam, vel ejus legatum. 2da lata in eos, qui absoluti à Censura in articulo mortis à non habente potestatem extra illum absolvendi à Censura, se postea non sistunt Superiori, id est, habenti istam potestatem. 3tia. In procurantes abortum fœtûs animati, effectu secuto. 4ta. In eos, qui cum excommunicato ab Episcopo communicant in eodem crimine. Præter has ferunt ipsi Episcopi quandoque excommunicationes per propria statuta, easque sibi reservant, quæ cognoscendæ sunt ex libris Agendorum.

289. *Excommunicationes Episcopo tantùm reservatæ.*

CAPUT III.

De Suspensione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio?

290. *Definitio, & divisio.*

RESp. 1mò. Suspensio est Censura, prohibens Clerico censurato functiones Ecclesiasticas

ſiaſticas, puta, Ordinis, vel Juriſdictionis, vel Beneficii, vel horum omnium, id quod ex verbis colligendum. Ut ſit Cenſura, cujus violatio inducat irregularitatem, debet eſſe medicinalis, & non purè vindicativa delicti præteriti, aut perpetua. Si privet functione Ordinis, vel Juriſdictionis tantùm, vel Beneficii tantùm, dicitur partialis; ſi privet omnium functionibus, dicitur totalis.

291. *Corollaria.* Hinc 1mò. Suſpenſus ab uſu Ordinis tantùm, non poteſt licitè celebrare, adminiſtrare Sacramenta, fungi munere Diaconi, vel Subdiaconi; poteſt tamen exercere actus juriſdictionis tantùm, v. g. delegare alteri poteſtatem, abſolvendi à peccatis, etſi ipſe licitè abſolvere non poſſit; quia ſpectat hoc & non illud ad poteſtatem Ordinis. Item poteſt licitè exercere ea, quæ à Laico fieri poſſunt, ùt cantare Epiſtolam ſine manipulo. Dixi: *Non poteſt licitè celebrare*, &c. nam validè poteſt adminiſtrare Sacramentum etiam Pœnitentiæ, quia non privatur juriſdictione, niſi eſſet publicè denuntiatus tanquam excommunicatus.

2. Suſpenſus à juriſdictionis uſu tantùm, poteſt licitè celebrare, non tamen abſolvere, ferre Cenſuras, inſtituere, delegare ad munia Sacerdotalia.

3. Suſpenſus à Beneficio tantùm, non eſt hoc ipſo ſuſpenſus ab officio Ordinis & Juriſdictionis, quæ illi ratione Beneficii competit: hinc poteſt eligere, præſentare, conferre Beneficia; quia hi ſunt actus juriſdictionis, vel potiùs alterius poteſtatis, quæ etiam fœminæ competere poteſt. Tenetur autem ad Horas Canonicas recitandas, aliaque onera; fructus tamen Beneficii non facit ſuos, perceptoſque

in

in suspensione etiam occulta tenetur restituere ante omnem sententiam. Id quod sibi debet imputare.

4. Suspensus simpliciter ab officio est suspensus ab usu jurisdictionis, & Ordinis; quia officium importat utramque potestatem; non ideo tamen suspensus est à Beneficio, seu fructibus ejus, modò per alium suppleat. quæ per se non potest.

5. Suspensus indefinitè, suspensus est ab omnibus; quia propositio indefinita æquivalet universali, nisi aliud constet aliunde. Hinc peccat admittendo novum Beneficium; quia, cui prohibetur actus, vel munus Beneficii, illi & hujus admissio prohibita censetur.

6. Suspensus ab Ordinis majoris usu, non ideo est suspensus ab usu minoris; quia, qui prohibet majus, non ideo prohibet minus. Econtra secundùm Suar. Suspensus ab usu minoris, suspensus est ab usu majoris; quia, qui prohibet minus, etiam prohibet majus. Contradicit tamen Castropalao; quia potest esse causa negandi minus, quæ non sufficiat ad negandum majus, & hìc stricta interpretatio est facienda, nec pœna gravior delicto, aut innocenti imponenda est. Hinc suspenso Capitulo non suspenduntur innocentes, nisi quatenus sunt pars Communitatis.

7. Suspensus per se peccat graviter, si exerceat, quod prohibetur, ubicunque existat; quia agit contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi, & Censura illa afficit non locum, sed personam.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quinam incurrant Suſpenſionem ipſo jure ante omnem ſententiam?

292. *Ratione ordinis ſuſcepti indebitè*

Reſp. Sequentes. 1mò. Qui Ordines ſuſcipiunt ſine dimiſſoriis ab alieno Epiſcopo, vel à proprio in aliena Diœceſi, vel per ſaltum, vel in Cenſura, aut extra tempora, vel ſine legitima ætate, vel poſt contractum Matrimonium, etſi nondum conſummatum, vel ſine vero titulo, vel furtivè, id eſt, non approbati in examine, non legitimè admiſſi, vel ſimoniacè, aut duos eodem die.

2. Jungens Matrimonio perſonas alienas ſine licentia Parochi. Trid. Seſſ. 24. Cap. 1.

3. Clerici ſimoniacè ordinati, & Epiſcopus ſic ordinans, ſodomiam exercentes, provocantes ad duellum, vel hoc acceptantes.

4. Apoſtatæ ab Ordine Religioſo, præſertim, ſi in apoſtaſia Ordines recipiant.

5. Injuſtè occupantes bona, vel Cenſus Eccleſiæ, Beneficii, vel alterius loci pii.

6. Clericus introducens mulieres in monaſteria, vel ingrediens monaſteria Monialium ſine licentia. Atque hæ ſunt ſuſpenſiones magis obviæ, præter quas aliæ feruntur ab homine, quæ, ſi graves ſint, culpam requirunt mortalem.

293. *An ratione tituli?*

Potes. An ſit ſuspenſus, qui ordinatur ſine prima tonſura, aut habet titulum patrimonii cum pacto ſtatim redonandi, vel jam ordinatus cum vero titulo Subdiaconus, cedit titulo, & ſuſcipit alium Ordinem, vel ordinatur habens titulum cum pacto non percipiendi ex eo fructus. Reſp. *Negativè*; quia prima ton-

ſura

sura non est ordo, adeoque talis per saltum non promovetur; deinde pacta illa sunt irrita saltem usque dum illi de alio titulo sit provisum, adeoque talis sine titulo non ordinatur. Imò teste La Croix l. 7. n. 404. multi putant ordinatum sine sufficienti titulo non incurrere suspensionem, sed opposita sententia communior est.

QUÆSTIO III.

Quomodo Suspensio differat à depositione, & degradatione?

Resp. Depositio est pœna privans Clericum omni officio, & beneficio in perpetuum sine spe recuperationis, relicto solo privilegio Canonis, & fori. Degradatio verò est solennis privatio omnis officii, beneficii, & privilegii Clericalis in perpetuum. Hæ pœnæ non sunt Censuræ, nec solo usu, sed ipsâ etiam potestate privant, relictâ tamen potestate ordinis inaufferibili, quæ licitè amplius exerceri non potest, etsi validè, in quibus non est opus jurisdictione. 294. *Depositio, & Degradatio.*

CAPUT IV.

De Interdicto Ecclesiastico.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Interdictum?

Resp. 1mò. Interdictum est Censura, quâ prohibentur divina officia, quædam Sacramenta, & Ecclesiastica Sepultura, quoad usum activum, 295. *Definitio.*

&

& passivum. Per divina officia intelligitur omnis actio nomine Ecclesiæ peragenda, ad cultum Dei pertinens, ùt Sacrificium Missæ, Horæ Canonicæ cum cantu, solennes Benedictiones &c. Per Sacramenta intelligitur tantùm Sacramentum Ordinis, & Eucharistiæ, sanis dandum, & extremæ Unctionis, dandæ infirmo, jam Eucharistiâ refecto: nam non prohibetur solennis Baptismus, Confirmatio, Confessio, Eucharistia infirmis in articulo mortis, nec Matrimonium; Benedictio tamen nuptiarum solennis prohibetur; quanquam privata, clausis januis, & dimissis interdictis personis, voce submissâ dari potest. Utì & extrema Unctio infirmo, qui aliud Sacramentum suscipere non potuit. Differt interdictum ab excommunicatione; quia à fidelibus non separat, sed privat prædictis independenter à communione fidelium, potestque ligare innocentes, & ferri in locum. Notandum tamen personaliter in se interdictis, & iis, qui interdicto causam dederunt, non posse administrari Sacramenta prius, quàm Ecclesiæ satisfecerint vel re ipsâ, vel præstitâ cautione.

296. Resp. 2. Interdictum aliud est personale, quod
Divisio. personam immediatè afficit, vel communitatem, sicque est personale particulare, vel generale. Aliud est locale, quod immediatè afficit locum sacrum, vel particularem, v. g. unum alterumve templum, & dicitur locale particulare; vel generalem, v. g. templa regni, vel Provinciæ, Civitatis; & dicitur locale generale: aliud est mixtum, quod loca sacra, & incolas regni, civitatis simul immediatè afficit. Interdicti particularis species etiam est, quo alicui interdicitur ingressus in Ecclesiam. Et, si quis sic interdictus moriatur in interdicto, non est sepeliendus in loco sacro,

facto, *C.* 20. *de Sent. Excom. in* 6. *& Cap. utriusque sexûs de Pœnitentia, & de Remissione* jubetur, ut qui vel Confessionem annuam, vel Communionem Paschalem neglexerit, arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & careat Ecclesiasticâ sepulturâ, quæ pœnæ sunt ferendæ sententiæ. La Croix l. 6. p. 2. n. 205.

QUÆSTIO II.

Quomodo intelligendi sint effectus interdicti?

Resp. Constabit ex his. 1mò. Interdictâ urbe interdicuntur suburbia, & contigua ædificia, etsi sint sub alia jurisdictione spirituali, aut temporali, ne contemnatur interdictum, si populus in iis possit interesse divinis. *C.* 17. *de Sent. Excom. in* 6. 297. *Quæ concomitanter interdicto subjaceant?*

2. Interdictâ Ecclesiâ interdictum simul est cœmeterium, & Sacella contigua, non contra; nam accessorium sequitur principale; non contra.

3. Interdicto Civitatis tenentur etiam Religiosi exempti. *Trid. Sess.* 25. *Cap.* 12.

4. Loco generaliter interdicto, possunt incolæ alibi interesse divinis, exceptis iis, qui causa fuerunt interdicti; quia hi etiam personaliter sunt interdicti.

5. Si interdictum sit tantùm personale, alii possunt in Ecclesiis eorum divina peragere & interesse.

6. Interdicto communi ligantur etiam innocentes, ùt sunt illius pars, quia eò sufficit culpa communitatis; & licèt puniantur sine sua culpa, non tamen sine causa. Si desinant esse pars communitatis, ultra illo non tenentur;

tur ; ſecus eſt de nocentibus Cap. 16. de Sent. Excom. in 6.

7. Interdicto populi non ſubjacet Clerus, nec contra. Nec interdicto Cleri ſubjacent Religioſi ; niſi quis vi officii eſſet de Cleri corpore.

8. Clerici, & Religioſi, non interdicti perſonaliter in loco interdicto habitantes, poſſunt, & debent dicere in ſuis Eccleſiis, uti antè, Miſſas, & divina officia ſubmiſsâ voce, & clauſis januis, ſine pulſu campanarum, excluſis interdictis & excommunicatis Cap. *Alma. de Sent. Excom. in 6.*

9. Clerici non interdicti ſpecialiter poſſunt ſepeliri in loco, non ſpecialiter, etſi generaliter interdicto, attamen ſine cantu, & pulſatione campanarum. Excipe eos, qui fortè cauſam dediſſent interdicto, aut illud violâſſent.

10. Laïci non ſpecialiter interdicti, qui cauſa non fuerunt interdicti localis, poſſunt ſepeliri in loco ſacro, non interdicto.

11. Interdictus in loco interdicto ſepultus illicitè, non eſt exhumandus.

12. Sepultus in loco profano ob interdictum, hoc ceſſante ad locum ſacrum deferendus eſt, modò non fuerit ſpecialiter interdictus, nec cauſam dederit interdicto.

13. Feſto Nativitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, Corporis Chriſti, & per hujus Octavam poſſunt divina fieri, ùt aliàs : modò excludantur Excommunicati, & qui cauſam dederunt interdicto.

298. *Quid, ut incurratur ?*

Nota. Ad incurrendum interdictum perſonale requiritur culpa mortalis perſonalis, & propria, cùm

cùm privet magnis bonis spiritualibus; ad locale autem & personale generale sufficit peccatum grave contumaciter admissum à capite, & præcipuis membris communitatis, cujus pœna est interdictum.

QUÆSTIO III.

Quas pœnas incurrant violantes interdictum?

Resp. 1. Peccant mortaliter, qui in re gravi interdictum violant, quia in materia gravi violant præceptum Ecclesiæ. 2. Si interdictus exerceat actum sui ordinis, fit irregularis. 3. Domini temporales, qui compellunt Clericos ad divina publicè peragenda in loco interdicto; vel impediunt, ne publicè Excommunicati, aut Interdicti templo exeant tempore divinorum officiorum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. *Clem.* 2. *de Sent. Excom.* 4. Qui interdictos extra casus concessos sepeliunt scienter in loco sacro, incurrunt excommunicationem sed nec Episcopo reservatam. *Clem. de Sepultura.* 5. Religiosi etiam exempti excommunicantur, si non servent interdictum generale locale Papæ, vel Episcopi, quando hoc servatur ab Ecclesia matrice, vel parochiali loci, in quo habitant. *Clem.* 1. *de Sent. Excom.*

299. *Effectus interdicti violati.*

QUÆSTIO IV.

Quomodo ab Interdicto cessatio à divinis differat?

300. *Cessatio à divinis.*

Resp. Hæc præcipitur in signum gravis doloris

loris ob injuriam gravem Ecclesiæ, vel cultui divino illatam, vel per modum justæ defensionis. Habet ferè eosdem cum interdicto effectus, non est tamen Censura, quia non est pœna medicinalis. Unde ejus violatio, etsi mortalis, non inducit irregularitatem. *Cap.* 18. *de Sent. Excom. in 6.* Religiosi tamen eam violantes, incurrunt excommunicationem. *Clem.* 1. *de Sent. Excom.*

CAPUT V.

De Absolutione à Censuris.

QUÆSTIO I.

Quis possit absolvere ab Excommunicatione?

301. *Quis à non reservata?* Resp. 1. Ab Excommunicatione non reservata absolvere potest omnis Sacerdos, qui potest absolvere à peccatis mortalibus, modò ad forum contentiosum non sit deducta, quod fit juxta Sanch. quando Reus jam est citatus, cùm citatio sit primus actus judicii: juxta Dicast. quando Reus comparuit coram Judice, & accusanti contradicit. Ratio responsionis est; quia quando excommunicatio juris non reservatur expressè; facultas absolvendi censetur concessa, ùt habetur *Cap. Nuper. de Sent. Excom.* Aliud est de facultate dispensandi in lege: hæc enim non eo ipso censetur concessa, ùt habet communior; quia dispensatio est contra legem; absolutio autem est secundùm legem, quia præcipitur impendi dispositis.

Resp.

Resp. 2. Ab excommunicatione lata ab homine, vel reservata, nemo potest extra articulum mortis absolvere; nisi qui eam tulit, aut ejus Superior, vel Successor, aut habens potestatem ab iis: unde Archi-Episcopus non potest absolvere ab excommunicatione, aliâve Censurâ, latâ ab Episcopo, sibi subjecto, hujus subditos, quia hi non sunt subjecti Archi-Episcopo extra casum visitationis, aut appellationis. 302. *Quis à lata ab homine?*

Resp. 3. In articulo mortis per Trid. Sess. 14. C. 7. Ne occasione hujus quis pereat, potest quilibet Sacerdos absolvere quoscunque fideles pœnitentes à quibusvis Censuris, & peccatis, nisi fortè sit complex peccati contra sextum præceptum Decalogi cum eadem pœnitente: hanc enim absolvere non potest, si adsit alius, vel haberi possit, etsi non approbatus, sine scandalo aut gravi infamia inde oritura. Hæc enim si vitari non possent, potest etiam à peccato complicem absolvere. Tenetur tamen, si possit scandalum, & infamiam avertere, alteri concedere locum absolvendi: sic statuit Benedictus XIV. Per Censuras non intelligitur hic suspensio, ab officio, & beneficio; quia hæc, etsi maneat, non obest saluti, adeoque non est ratio facultatem dandi in articulo mortis cuilibet Sacerdoti absolvendi ab illa: in lege autem menti accommodanda sunt verba. Quare intelliguntur tantùm censuræ, quæ obstant successioni Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ. 303. *Quis in articulo mortis?*

Porrò Sacerdos absolvens à reservatis in articulo mortis debet imò obligare pœnitentem, ut satisfaciat parti læsæ, id est, restituat bona, *Quæ si absolvitur in articulo*

mortis à reservatis, monendus pœnitens? famam, honorem, ob cujus læsionem Censura lata est, aut ut, si non possit, actu publico obliget suos hæredes ad id præstandum: si nec hoc possit, juret se satisfacturum, quamprimùm poterit. 2. Si non possit extrà articulum mortis ipse absolvere à reservatis, pœnitentem debet monere, ut ubi convaluerit, se sistat Superiori, hoc est potestatem habenti absolvendi à reservatis extra mortis articulum, non quidem ut absolvatur, sed subjectionem suam profiteatur, & medicinalis correctio adhibeatur, & præstetur satisfactio necdum fortassis impleta; aliàs relabetur in eandem Censuram. Atque super his debet præstare juramentum pœnitens. 3. Ut juret, se obediturum Ecclesiæ, id est, servaturum legem istud prohibentem sub Censura. Quòd si Confessarius ex privilegio possit absolvere extra articulum mortis à reservatis, non tenetur absolutus se sistere Superiori juxta Sanch. Sporer &c. Idem est, si absolutio detur in Jubilæo.

304. *Quid possint Episcopi?* Resp. 4. Possunt Episcopi imò vi Trid. Sess. 24. Cap. 6 de Reformatione, absolvere ab omnibus Censuris, & irregularitatibus, extra Bullam Cœnæ Papæ reservatis, contractis per delictum occultum, & ad forum contentiosum non deductis, excepto homicidio voluntario.

2. Ab excommunicatione contracta ex delicto etiam publico, vel ad forum contentiosum deducto, etiam per Bullam Cœnæ reservatâ Papæ, possunt absolvere suos subditos, qui moraliter non possunt recurrere ad Papam, ùt sunt mulieres, impuberes, infirmi, & alii, quibus recursus ad Papam gravi foret incommodo: in his enim concessa Episcopis est facultas

cultas, ùt declarat praxis, ne reservatio cedat in detrimentum animarum. Et idem est de aliis Censuris, quoties est difficilis recursus ad Pontificem, aut ejus Delegatum, aut mora requiritur longa cum periculo animarum. Nec opus est per Confessarium aut Procuratorem se sistere Pontifici; quia jura requirunt, ut Censuratus se sistat personaliter, quòd si ipsi moraliter sit impossibile, potestas absolvendi est penes Episcopum. Et aliàs, cùm facile sit per Confessarium scribere Romam, Casus Pontificii vix unquam fierent Episcopales.

3. Juxta Lug. D. 20. de Pœn. Castrop. Viva in damn. 3. Ab Alex. VII. possunt etiam Episcopi suo Vicario committere absolutionem ab iis Censuris, exceptâ hæresi, pro qua requiritur persona Episcopi. Quòd si adsit Legatus Apostolicus, probabiliùs hic adeundus est. Layman tamen D. 1. tr. 5. p. 2. Cap. 6. nu. 6. putat & tunc posse adiri Episcopum; Episcopi tamen non possunt absolvere Hæresiarchas, aut relapsos etiam pro foro conscientiæ. Vide Schmalzgrub. l. 5. tr. 7. num. 372. Pirch. ibid. n. 42.

Quod potest Episcopus in suos subditos, idem potest in vagos. Vide nu. 242. idque etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ; quia absolutio à Censuris non est Sacramentalis.

Resp. 5. Confessarii Societatis JESU possunt extra Italiam saltem & Hispaniam, vi privilegii à Paulo III. concessi, uti & alii Regulares, in privilegio communicantes, facultate à Superiore suo impetratâ, absolvere pro foro conscientiæ, ab omnibus Censuris juris, Pontifici reservatis, extra Bullam Cœnæ. Habetur in Bulla, quæ incipit: *Cùm inter cun-* 305. *Quid Religiosi*

ctas. Nec opus est, absolutum remittere ad Papam, vel ejus Delegatum, aut Episcopum; monendus tamen est pœnitens, absolutionem illi non prodesse, nisi pro foro interno; & quamvis convenientius sit, absolutionem dari in Confessione Sacramentali, dari tamen potest extra illam: quia absolutio à Censuris, utpote non Sacramentalis, ex natura rei non exigit Confessionem Sacramentalem; privilegium autem interpretandum est secundùm naturam rei, nisi fortè aut in Jubilæo à Papa intendatur priùs absolutio à peccatis pro obtinendis Indulgentiis, aut in speciali commissione addatur, ut fiat in actu Sacramentali, aut, ut fiat auditis Confessionibus. Dixi *à Censuris, Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ*; tum quia ab iis, quas Episcopi sibi reservant, absolvere non possunt sine speciali facultate; tum quia casus Bullæ Cœnæ specialiter reservantur, adeoque & specialis facultas absolvendi ab iis necessaria est. Sed de his plura in Tr. de Sacramento Pœnitentiæ. Vide Analys. n. 179.

QUÆSTIO II.

Quis possit absolvere à Suspensione?

306. *Papa, Episcopi, Parochi.* Resp. à Suspensione, à jure, vel per statutum generale lata, & non reservata, absolvere potest quivis Sacerdos, potens absolvere à peccatis, quibus suspensio annexa est. Suar. hic Disp. 7. Sect. 3. n. 2. Dicast. Disp. 3. dub. 2. n. 33. & alii; quia textus Cap. nuper supra n. 301. citatus est universalis, & aliàs frustra in forma absolutionis præscriberetur, ut absolutioni Sacerdotis universim præmittatur absolutio

lutio à suspensione. Hæc potestas Pastoribus ordinaria est. Si autem sit reservata suspensio Papæ proveniatque ex delicto occulto, & ad forum contentiosum, non deducto, ab ea absolvere potest Episcopus, ex privilegio Religiosi secundùm dicta num. 305. 2dò. A suspensione ab homine per sententiam lata, absolvere tantùm potest, qui eam tulit, ejus Superior, & Successor, vel specialem ab his habens potestatem. 3. Suspensio lata ad certum tempus tollitur sine absolutione elapso tempore constituto, non tamen ante, etsi suspensus jam se emendâsset; quia, licèt Censura illa sine culpa non incurratur, nec ferri possit in jam emendatum; lata tamen semel durat, factâ etiam emendatione, sicut sublatâ culpâ adhuc remanet sæpè aliquis reatus pœnæ. Vide dicta in Analysi n. 51. C. 2.

QUÆSTIO III.

Quis absolvere possit ab Interdicto?

Resp. Ab interdicto locali, & personali 307.
generali non potest absolvere, nisi qui illud tulit, ejus Successor, vel Superior, aut specialem ab uno ex his facultatem habens; quia cùm interdictum locale locum, & personale generale communitatem afficiat, ad absolutionem requiritur jurisdictio in foro externo. Quòd si interdictum esset latum ad certum tempus, v. g. donec templum sit reparatum, cœmeterium muris cinctum, cessaret, impleto opere injuncto. Denique ab interdicto juris personali particulari potest absolvere quivis Confessarius, modò reservatum non sit, id

A generali locali socius is, qui tulit.

quod ex verbis intelligendum est : uti enim dixi, nisi Censura expressè reservetur, censetur non reservata.

CAPUT VI.

De Irregularitate.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas?

308. *Definitio.* Resp. 1. Irregularitas est inhabilitas, impediens susceptionem ordinum, & eorum exercitium, Jure Canonico inducta primariò in reverentiam, & honorem sacri ministerii statûsque Clericalis : vel est impedimentum Canonicum, quo in honorem sacri ministerii prohibetur susceptio ordinum, & illorum usus.

Dicitur 1mò Inhabilitas : Quia non est Censura, sed impedimentum, macula aliqua & exclusio à lege, quâ solet ordinatis permitti usus Ordinum, & aliàs idoneis eorum susceptio; statuiturque etiam in aliquos sine eorum culpa. Et quamvis etiam ob delicta aliqua infligatur per modum pœnæ vindicativæ; immediatè tamen, & primariò statuitur ob honorem sacri ministerii, qui postulat, ut, qui assumuntur ad Altari serviendum, sint integri corpore, animo puri, & minimè infames. Unde non necessariò supponit culpam, etsi mediatè, & secundariò ob illam quandoque feratur, quatenus ob delictum aliquis censetur indignus, ut sacra ministeria obeat.

Dicitur

Dicitur 2dò : Impediens susceptionem Ordinum, & exercitium : Quia irregularis, licet peccet graviter, suscipiendo ordinem (quo nomine etiam hic venit prima tonsura, quæ dispo- nit ad ordines) aut actum ordinis exercendo; tamen ordines suscipit validè, & exercet, nec ullam ideo pœnam Ecclesiasticam ipso jure incurrit : quia nulla in jure exprimitur. Hinc Parochus irregularis potest licitè delegare alteri potestatem, Sacramenta suis administrandi, quamvis non liceat ei illa administrare, quæ ordinem requirunt. Unde validè absolveret : quia non privatur potestate ordinis, nec jurisdictionis. Imò potest licitè obire omnia munia sacra, quæ ordinem non requirunt, sed Laico possunt competere; ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, Sacramenta recipere, exceptâ ordinatione. Imò & assistere matrimonio; quia ejus Minister non est : & baptizare non solenniter.

Dicitur 3tiò, Jure Canonico inducta ; quia non datur irregularitas lata ab homine, sed omnes jure universali Ecclesiæ inducuntur : sicut enim honor, & reverentia, ministerio Altaris debita, toti esse debet Ecclesiæ communis, sic & impedimenta convenit esse communia.

Dicitur 4tò. Inducta primariò in reverentiam & honorem sacri ministerii. Hinc irregularitas contrahitur ante omnem sententiam ipso jure, etiam ob defectum, & crimen homicidii occultum. Imò etiam juxta communiorem cum ignorantia invincibili irregularitatis, licèt ex delicto, ùt, si quis crimen committat, ignorans invinciliter illi annexam esse irregularitatem : quia illa ignorantia non impedit, quominùs indecens sit, talem ministrare ex officio Altari. Vide Schmalzgr. L. V. Tit. 37. N. 105. L. 1. Tr. 2. N. 30. Oppo-

positâ tamen sententiâ , quam tenet Sanch. Krimer, Pichler, & alii, quòd irregularitas ex delicto non incurratur ab ignorantibus, censetur probabilis. Ratio est: quia irregularitas ex delicto est pœna contemptûs Ecclesiæ, eaque extraordinaria utpote obligans delinquentem ad eam in se exequendam; pœna autem extraordinaria non incurritur ab ignorante pœnam.

309. *Divisio.* Resp. 2. Irregularitas alia est totalis, quæ omnium ordinum susceptionem impedit, & usum, & hæc inhabilem reddit ad beneficium etiam: quia beneficium datur propter officium; ergo, qui inhabilis est ad officium, inhabilis quoque est ad beneficium. Unde, qui accepit beneficium in irregularitate, non potest illud retinere, nec fructus facit suos. *Ex Cap. 2. Clerico pugnante , & Cap. 18. de Sent. Excommunicat. in 6.* Ubi dicitur ineligibilis. Idem dic de dignitate, & Prælatura Regularium, *Ex Cap. 12. de Pœnis.* Clericus tamen per irregularitatem supervenientem non privatur beneficio, antè obtento, nec ejus fructibus, modò recitet Horas, & alia munia curet exerceri per alium. 2. Alia est partialis, quæ impedit ab aliquo tantùm actu Ordinis, v. g. à Sacrificio celebrando ob amissum pollicem. 3. Alia est ex defectu inculpabili, nempè animi, corporis, libertatis, natalium, Sacramenti significationis, ætatis, lenitatis, bonæ famæ. Alia ex delicto, ùt est iteratio Baptismi, illicita susceptio, vel usus ordinis secundùm dicenda n. 319. homicidium, & mutilatio, aliaque crimina enormia, quæ in jure annexam habent infamiam, ùt Simonia, crimen læsæ Majestatis, Denique alia est perpetua, alia non perpetua, ùt quæ est ex defectu ætatis. Irregularitas tolli-

tollitur non per absolutionem, quæ est sententia liberans morali vinculo reatûs, vel remissio reatûs authoritativa; sed per dispensationem, seu relaxationem legis statuentis irregularitatem, & prohibentem susceptionem, & usum Ordinum.

QUÆSTIO II.

Quinam sint irregulares ex defectu animi, corporis, & libertatis?

Resp. 1mò. Ex defectu animi irregulares sunt amentes, furiosi, energumeni, lunatici, illiterati, seu destituti scientiâ necessariâ, pueri necdum capaces usûs rationis. Item Neophyti seu adulti recenter conversi à Paganismo, aut Judaismo. *Cap.* 1, *Dist.* 48. 310. *Irregulares ex defectu animi, & corporis.*

Irregulares verò ex defectu corporis sunt, qui talem habent corporis defectum, deformitatem, vel morbum, ut vel omninò non, vel non nisi cum magna indecentia, vel periculo, aut spectantium horrore, vel offensione possint actus ordinum exercere. *Ex Tit. de corpore vitiatis.* Et *Tit. de Clerico ægrotante.* Hinc irregulares sunt 1mò; Cæci, Surdi, & enormiter Claudi, ut nequeant sine baculo aut alia deformitate ad Altare accedere. 2. Carens naso, manu, pollice, vel indice, auriculis; nisi deformitas tegi possit capillaturâ. 3. Carens oculo uno cum notabili deformitate; secus, si habeat utrumque oculum, licèt dextro non videat; imò, si sinistro non videret, posset tamen dextro legere Canonem sine nota; irregularis non esset. 4. Leprosus, deformiter gibbosus, habens in facie turpem

maculam. 5. Morbo caduco laborans, qui tamen, si ordinatus sit, & intra annum eo morbo non laborârit, potest susceptos ordines exercere. Si verò rarò sine clamore, & spuma eo laboret, potest celebrare cum Sacerdote jejuno, qui ipso deficiente Sacrificium suppleat. 6. Hermaphroditus etiamsi occultus: quia est monstrosus, sique in eo prævaleat sexus fœmineus, est jure divino incapax ordinis: quia est magis, aut æquè fœmina, ac vir. Talis etiam est arcendus à professione religionis ob periculum scandali. 7. Qui suâ culpâ factus est eunuchus, secus, si naturâ, aut sine sua culpa. Porrò exclusus à Sacerdotio ob defectum corporis, est exclusus ab inferioribus ordinibus: quia hi ad Sacerdotium ordinantur; si tamen post susceptum Sacerdotium ideo fieret irregularis; excluderetur tantùm à functionibus, ad quas inhabilis est. Sic amisso pollice Sacerdos, licèt celebrare non posset, posset tamen audire Confessiones &c. In dubio, an defectus corporis inducat irregularitatem, standum est judicio Episcopi, qui Prælatorum etiam exemptorum judicium rejicere potest.

Resp. 2. Irregulares ex defectu libertatis
311. sunt 1mò mancipia, si priùs à Dominis suis
Ex defectu libertatis libertate non donentur. 2. Curiales, id est, qui ex officio sæcularibus negotiis implicantur, uti Procuratores, Advocati, Notarii, Milites, quàm diu tale officium exercent. *Cap. 4. Ne Clerici.* 3. Qui tenentur reddere ratiocinia, ordinandi non sunt, nisi onere hoc deposito, & ratiociniis redditis.

QUÆSTIO III.

Qui ſint irregulares defectu natalium ſignificationis Sacramenti, & ætatis?

Reſp. 1. Ex defectu natalium irregulares ſunt, imò: Illegitimi, ſive ſint ſpurii, ſive naturales *ex Cap.* 1. *&* 2. *de filiis Presbyt.* idque probabiliùs, etſi macula illa eſſet occulta, ùt habet communis; Excipe; niſi per ſubſequens matrimonium eſſent legitimati. *Ex Cap.* 6. *Qui filii ſunt legit.* aut niſi habeantur in jure pro legitimis, ùt qui nati ſunt ex matrimonio invalido, bonâ tamen fide ſaltem ex una parte, & in facie Eccleſiæ contracto: hi enim, quamvis impedimentum poſtea detegeretur, habentur legitimi, utì &, qui in religione profeſſionem emiſerunt, etſi hi non legitimentur per hanc in ordine ad Prælaturam. Imò ſi occultè illegitimus haberet gravem cauſam ordines ſuſcipiendi, v. g. ut natu minor ſit hæres; poſſet ſuſcipere ordines, & ei id mater ſuadere, idque ſine diſpenſatione; ſi hæc ſine gravi infamia obtineri non poſſet, ſecus petenda eſſet, aut ab ordine abſtinendum. 312. *Irregulares ex defectu nataliũ.*

Porrò illegitimi naturaliter dicuntur filii, qui nati ſunt ex perſonis, inter quas tempore conceptionis, vel nativitatis nullum erat impedimentum dirimens Matrimonium; Spurii autem, qui nati ſunt ex perſonis, inter quas tempore conceptionis, & nativitatis erat impedimentum dirimens Matrimonium. Hoc *Illegitimi.*

si tempore nativitatis absit, probabiliter filius non est spurius. La Croix L. 4. n. 751. & 760. Quid sit dicendum in dubio de præmaturè natis. V. N. C. in App. n. 33.

Expositititii. 2. Expositirii, utpote aliquâ maculâ notati, etsi quoad aliquos effectus habeantur pro legitimis, ad Ordines sine dispensatione, quam in hoc casu, utpote dubio, dare potest Episcopus, non sunt admittendi juxta aliquos; sed opposita sententia probabilis est: quia delicta non præsumuntur, adeoque nec resultans inde macula. Unde talis Ordinem bonâ fide susceptum exercere posset; quia haberet jus quæsitum, & in dubio melior est conditio possidentis. Similiter natus ex conjugata in dubio, quo patre, potest se gerere, ut legitimum; quia præsumptio est pro Matrimonio. Pro ordinibus omnibus suscipiendis legitimare potest Pontifex; non verò Principes sæculares; Episcopi verò pro Ordinibus minoribus, & ad Beneficium simplex.

313. *Ex defectu significationis.* Resp. 2. Ex defectu significationis Sacramenti irregulares sunt bigami, est autem Bigamia triplex: Vera, interpretativa, & similitudinaria. Verè & propriè bigamus est, qui duas successivè duxit uxores, & cum iis Matrimonium consummavit. Interpretativè bigamus est, qui vel viduam, vel ab alio corruptam duxit, & cum ea, jam suâ uxore, Matrimonium consummavit. Item, qui duxit virginem, sed post contractum Matrimonium adulterii ream cognoscit. Nec juvat, quòd uxor, vel mulier per vim viciata sit, aut vir adulterium uxoris ignoraverit. Similitudinariè bigamus est, qui post emissam professionem religiosam, vel susceptum sacrum Ordinem, Matrimonium, licèt cum virgine, attentat, & consummat. *Ratio*, cur tales

sint

sint irregulares, est; quia Sacerdos repræsentat personam Christi; Christus autem est Sponsus unicus Sponsæ unicæ Ecclesiæ; bigamus autem non repræsentat perfectè illam conjunctionem Christi cum Ecclesia: sed, si duas successivè uxores habuit, & cognovit, carnem suam divisit in plures; si viduam duxit, non habuit sponsam unius viri, qui autem Professus in Religione est, Ordinemve sacrum suscepit, Matrimonium spirituale celebravit cum Christo. Hinc, si postea attentet Matrimonium cum uxore, censetur duo contrahere Matrimonia, adeoque non potest repræsentare perfectè unionem Christi cum Ecclesia, Sponsâ ejus unicâ. Ob eandem rationem bigamus censetur, qui post consummatum Matrimonium cum sua uxore, hâc vivente, seriò, etsi nulliter, contrahit cum alia, & eam cognoscit. *Ex Cap. Nuper. Et Cap. ultimo de bigamia*; Bigamus tamen & irregularis non est, qui priùs à se corruptam ducit: quia carnem non divisit in plures: neque, qui ante vel post Matrimonium, vel in ipso Matrimonio fornicatus, vel adulteratus est: quia id in nullo jure exprimitur; irregularitas autem, à jure inducta, non est extendenda.

Resp. 3. Defectu ætatis irregularis est, qui necdum ætatem habet requisitam ad primam tonsuram, vel Ordines. Pro prima autem tonsura requiritur septennium saltem completum; pro Subdiaconatu anni 22.; pro Diaconatu 23.; pro Sacerdotio 25. omnes inchoati; pro Episcopatu 30mus completus; pro Acolytho solet requiri annus 12.; & in quibusdam locis etiam pro aliis Ordinibus minoribus. 314. *Ex defectu ætatis.*

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Qui ſint Irregulares defectu lenitatis?

315. *Ex defectu lenitatis in bello juſto, & judicio.*

Reſp. Ex defectu lenitatis irregularis eſt 1. Qui in bello juſto offenſivo aliquem propriâ manu occidit, vel mutilavit. Secus eſt, ſi tantùm eſt cooperatus, v. g. hortando, ut ſtrenuè pugnent, cuſtodiendo ſarcinas, &c. Dixi: *In bello juſto:* nam, qui hoc facit in bello injuſto, irregularis eſt ex delicto ſecundùm dicenda. 2. Irregularis ex defectu lenitatis eſt, qui in judicio ad mortem, aut mutilationem hominis cooperatur activè efficaciter, ſeu effectu ſecuto, ac proximè per actionem ex natura ſua ad id ordinatam. Hinc irregulares ſunt, Judex ferens ſententiam mortis, vel mutilationis, aſſeſſor eam ſuâ authoritate confirmans, omneſque miniſtri Juſtitiæ ad eam concurrentes, ùt Notarius, Scriba recipiens, & ſignans teſtimonia teſtium, vel ſententiam Judicis, accuſator, vel denuntiator, deferens cauſam ſupplicii, niſi, ùt excipitur in *Cap. Prælatis de homicidio in Sexto*; pro evitando damno ſuo vel ſuorum, aut Reipublicæ, aut etiam alienorum ex lege charitatis, cum expreſſa proteſtatione contra executionem ſupplicii, id faciat. Item Advocatus, & Procurator accuſatoris, non verò Rei; teſtis delictum criminale confirmans, niſi Laicus munus hoc faciat, compulſus authoritate Judicis, denique ſatellites, executores ſententiæ, aut tortor, ejuſque famulus actu concurrens. Ità ſtatuitur *in Capite Sentent. Ne Clerici vel Monachi.*

nachi. Et Cap. *Aliquant.* Dist. 51. Et sic:
Non fert lenis opem, morte, aut a jure cruentam.

Ratio autem, cur prædicti arceantur à sacris Ordinibus est; quia Sacerdos gerit personam Christi, qui fuit mitissimus, & neminem læsit; sed tanquam agnus pro nobis omnibus ad mortem se obtulit, misitque Apostolos tanquam agnos inter lupos. Unde, qui ad mortem alterius, vel mutilationem concurrit, non repræsentat debitè personam Christi. Porrò, ut ex mutilatione inducatur irregularitas, non sufficit, quòd membrum privetur suâ functione, v. g. oculus potentiâ videndi; sed debet esse ablatum, ùt patet ex Cap. *Sicut urgeri* 1. Q. 1. Cap. *Clericis.* *Ne Clerici.* Cap. *Archiepiscopatu de raptoribus.* Membri autem nomine communiter intelligitur pars corporis, quæ proprium habet officium, distinctum ab aliis partibus; ùt manus, oculus, pes, &c. non tamen dentes, & capilli. De digito negant multi, affirmat Layman. Per membrum intelligit Illsung partem corporis, cujus privatio notabilem deformitatem inducit, vel, quod ad principalem usum humani corporis deservit, ùt manus, pes, oculus, nasus, cujus privatio magnopere deformem redderet.

Irregularis defectu lenitatis juxta omnes ferè antiquos teste P. La Croix hìc 522. est omnis, qui etiam extra bellum & judicium, utque persona privata voluntariè, & proximè, licèt justè, concurrit ad hominis necem, vel mutilationem, aut accelerationem mortis, effectu secuto; eò quòd irregularitas defectu lenitatis in jure expressa sit contra omnes etiam non ministros Justitiæ, si fiat authoritate pri- *An & alii?*

vatâ, etsi sine peccato. Sed probabiliter id negant permulti apud Dianam, & alii viri doctissimi: quia illa irregularitas, in jure expressa, est contra solos Justitiæ ministros, & occidentes propriâ manu in bello justo. Ex dictis resolves.

316. *Corollaria.* 1. Irregularis non fit, qui occidit aliquem, vel mutilat justè pro defensione inculpata vitæ suæ, castitatis, &c. quia in jure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello justo, vel judicio. Idem dicunt S. Th. S. Anton. Sylv. Cajet. Sotus, aliique multi apud La Croix L. 7. n. 526. & L. 3. p. 2. à n. 808. si cum moderamine inculpatæ tutelæ quis alium occidat pro defensione bonorum temporalium, valde magni momenti, quia defensio est juris naturæ, & sic occidens, ex quadam necessitate occidit; ergo occisio non censetur perfectè voluntaria, adeoque pœnam non inducit. Layman tamen & alii probabiliter dicunt, talem fieri irregularem, ex defectu lenitatis; quia jus excipit tantùm occidentem ex alia justa causa. Hinc juxta Suar. Less. & alios occidens invasorem pro defensione vitæ innocentis necessariâ, non fit irregularis; nec, qui invasorem injustum occidit, dum quidem potest vim fugiendo declinare, at non sine gravi ignominia, quam subire non teneatur. Probabilis tamen est sententia opposita.

2. Pugnans in bello justo, etiam aggressivo, non fit irregularis, si propriis manibus sanguinem non fundat, vel mutilet, quamvis alii id faciant. Idque verum est etiam de Clerico, si necesse esset pro bono communi patriæ, vel propriâ personâ, eum in bello pugnare. La Croix n. 528.

3. Te-

3. Testis non fit irregularis, si ejus testimonium non influat in mortem Rei, secus, si influat.

4. Nec Advocatus, à Judice consultus, de pœna infligenda, si respondeat, quid jura statuant. Secus, si diceret, hunc reum esse mortis; vel instigando ejus mortem acceleraret, & mors infligeretur.

5. Nec tabellio, seu nuntius publicus criminalis, si nunquã cooperatur suo officio ad necem, vel mutilationem. La Croix n. 525.

6. Nec Princeps condendo leges capitales, constituendo Judices, aliosve ministros Justitiæ, aut etiam præcipiendo, ut super facto aliquo particulari fiat inquisitio, & justitia.

7. Nec Episcopus degradatum tradens brachio sæculari, quanquam juxta Canones debet pro eo intercedere, ut citra sanguinem puniatur.

8. Nec Clericus accusans aliquem de injuria sibi, in se, vel in suis rebus illata, licèt reus morte plectendus sit, modò expressè protestetur, se nullam capitis, aut mutilationis pœnam intendere: Alioquin, ùt *Cap. 2. de homicidio in 6.* dicitur: Malis daretur materia Clericos occidendi, vel spoliandi suis, si conqueri non auderent.

9. Nec Confessarius, hortans Reum ad fatendum veritatem, ad obsequendum sententiæ justæ, vel, generatim dicendo, puniendos esse malefactores. Secus, si diceret, hunc reum esse morte plectendum, & ità moveret Judicem. Nec, si ex semi-advertentia diceret reo, properemus; vel instigaret jumentum, quo veheretur; quia ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur actus simpliciter humanus,

& plenè deliberatus. *Ex Clement. de homicidio.* Imò juxta Recentiorum sententiam, nec si deliberatè id faceret, aut hortaretur furem, ut scalam ascendat; caput supponat ictui; aut diceret carnifici, ut aliquid aptet, quo citiùs extinguatur Reus, ne malè moriatur. Neque si viam, quâ Reus ducitur, eligeret breviorem, vel Judici diceret, Reum esse benè dispositum, supplicium non esse differendum in crastinum, aut negaret judici absolutionem, nisi sententiam sanguinis proferat; ad quam ex conscientia tenetur. Idem est de eo, qui, ut rem suam magni momenti reciperet, clamat, adesse furem; qui postea capitur, & suspenditur. Rationem dant AA. illi, quia, si talia fiant ex justa causa, cum debita circumspectione; carent omni culpâ, & non repugnant lenitati, dum conducunt saluti animæ.

10. Irregulares non fiunt, qui faciunt ensem carnificis; adportant lignum ad comburendum Reum; erigunt patibulum pro furibus; quia remotè cooperantur.

11. Nec, qui infirmum versant, erigunt, de loco in locum transferunt, &c. etsi præter intentionem mortem accelerent: nullus enim hic defectus est lenitatis, sed charitas exercetur.

Denique Chirurgi & Medici, qui juxta artem secant, vel mutilant, etsi præter intentionem mors sequatur; quia ex officio charitatis ad impediendam mortem ista faciunt; secus esset, si per imperitiam, vel negligentiam mors sequeretur, quia essent rei homicidii; si autem Clericus etiam juxta regulas artis exerceret Chirurgiam secando, vel adurendo; fieret irregularis, morte secutâ, nisi id faceret ex necessitate in defectu alterius periti: quia id specialiter

liter Clerico prohibetur. Cap. *Sententiam de ætate, & qualitate ordinandorum.* Secus esset, si aliter medicando sine culpa ejus mors sequeretur; quia tantùm sectio, & adustio illi interdicitur. Vide Lugonem de Pœnit. D. 22.

QUÆSTIO V.

Quinam sint Irregulares ex defectu famæ?

Resp. Irregulares ex defectu famæ sunt omnes infames infamiâ juris vel facti : quia ùt dicitur C. Final. Dist. 11. & C. *Infames.* 17. Causa 6. Q. 1. *Puros & immaculatos, non infamatos in Clerum, & Sortem Domini convenit adoptari*; Infames autem infamiâ juris sunt, quos Jus ipsum infames esse decernit, & declarat, iique infamiam incurrunt ipso facto ex delicto, vel vili conditione ante omnem sententiam declaratoriam criminis, ùt docet Layman L. 1. Tract. 5. p. 5. Cap. 4. N. 9. Palao Tract. 29. D. 3. Punc. 20 N. 3. Schmalzgruber L. v. Tit. 37. N. 166. Item, quos declarat infames per sententiam Judex. 317. *Qui infames sint?*

Ipso jure autem infames sunt 1mò Hæretici, extra Germaniam & Galliam, ubi sunt tolerati, Apostatæ, publici usurarii, Sodomitæ, lenocinium exercentes, raptores mulierum, rei criminis læsæ Majestatis, deprehensi in adulterio, contrahentes nuptias incestuosas, Polygami, rei perjurii promissorii, descendentes in duellum, & eorum patrini, Ex Trid Sess. 25. Cap. 29. de Reform. & quotquot rei sunt criminis, cui per Jus Canonicum, vel Civile annexa est infamia : Nam Pa- *Infames infamiâ juris.*

papa Hadrianus Causa 6. Q. 1. ait. *Omnes infames esse dicimus, quos leges Seculi infames appellant.* 2. Ex vili conditione infames sunt histriones, qui quæstûs causâ in scenam prodeunt, & in Germania Carnifices, eorumque filii. 3. Infames per sententiam Judicis sunt, qui condemnati sunt in judicio criminis, v.g. furti, adulterii, homicidii, &c.

Infames infamiâ facti. 4. Infames infamiâ facti tantùm sunt, qui aliquid perpetrârunt, cui nec jus, nec sententia Judicis infamiam inussit, ob id tamen eorum existimatio apud probos, & honestos viros publicè gravatur, & non leviter est imminuta: est enim infamia facti publica notitia, seu opinio de commisso crimine, per quod fama hominis, spectatâ qualitate & statu, apud prudentes graviter læditur, etsi per Jus non notetur infamiâ. Oritur infamia juris ex alieno etiam crimine, sic infames sunt filii & nepotes ex parentum crimine læsæ Majestatis, perduellionis, & proditionis, & filii illegitimi in ordine ad sacros Ordines. Item filii Hæreticorum extra Germaniam.

318. *Infamia non oritur ex crimine occulto.* Porrò, licèt Suar. D. 46. S. 1. 11. S. Antonin. Sylvius, P. Schmier putent, infamiam juris incurri per crimen occultum, probabiliùs tamen debet esse publicum: quia infamia est diminutio bonæ existimationis, quæ actu non diminuitur, dum crimen est occultum; qui tamen criminis evulgationem præviderer, ab actibus irregulari interdictis, deberet ante evulgationem abstinere. Laym. Palao, & alii. Regula censetur universalis: Per nullum crimen occultum, excepto homicidio, & Censuræ Ecclesiasticæ violatione, incurritur irregularitas. Ità Laym. cum aliis l. 1. tr. 5. c. 4. sub. n. 8.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

Quinam sint irregulares ex delicto?

Resp. Sequentes. 1. Scienter & absolutè rebaptizans baptizatum. Hoc crimen, si sit publicum, baptizans, rebaptizans & minister assistens est irregularis. Cap. 2. *De non iterando Baptismo.* 319. *Irregulares immediatè ex delicto.*

Dixi 1. *Scienter.* Quia irregularitas ex delicto, utpote gravis pœna, præsupponit culpam mortalem.

Dixi 2. *Absolutè.* Quia conditionatè rebaptizans non censetur velle rebaptizare, si baptizatum jam esse sciat. Hæc pœna non afficit eos, qui malitiosè reiterant Confirmationem, vel Ordinem, cùm de his Jura non loquantur.

2. Violans Censuram, ùt, qui excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus exercet actum Ordinis, aut Ordinem suscipit in suspensione, aut excommunicatione, aut furtivè, aut ante legitimam ætatem.

3. Clericus exercens ordinem, quem non habet; Laicus tamen solenniter baptizans, vel tentans absolvere, etsi peccet graviter, non tamen fit irregularis: quia jus id non statuit.

4. Injustè, & voluntariè alium occidens, vel mutilans. Item, ad id cooperans mandando, vel suadendo, arma ministrando, animando, aliove modo cooperando, non impediendo, dum ex officio, vel justitia ad id tenetur; secus, si teneatur tantùm ex charitate.

Dixi: *Injustè.* Quia occisio, vel mutilatio,

vel abſciſſio membri pro juſta ſuî defenſione cum moderamine inculpatæ tutelæ irregularitatem ex delicto non inducit ; quia, ubi culpa non eſt, nec pœna eſſe debet. In bello tamen injuſto culpa eſt in toto exercitu, unde, ſi vel unus in conflictu occidatur, totus exercitus eſt irregularis : cùm cenſeantur ſe invicem mutuâ præſentiâ animare : ſed hoc vix locum habebit in praxi, cùm quiſque particularis plerumque ſupponere debeat, ſuo Principi eſſe juſtum bellum. Denique, quia mutilatio hìc eſt ſtrictè accipienda ; irregularis non putatur, qui alteri abſcindit digitum tantùm, vel cartilaginem auriculæ.

QUÆSTIO VII.

An in dubio ſe quis gerere debeat tanquam irregularem?

310. *Non tenetur.* Reſp. 1. In dubio juris, quando nempe lex eſt ità obſcura, ut in ſenſu ejus periti non conveniant ; vel, quando dubitatur, an hic caſus contineatur ſub lege, inducente irregularitatem, non tenetur gerere ſe ùt irregularem ; quia, ut cenſeatur irregularis, debet eſſe in jure expreſſum clarè ; aliàs libertas manet in poſſeſſione.

Niſi in dubio homicidii. 2. In dubio facti, quando nempe quis dubitat, an poſuerit actum, vel effectum, cui annexa ſit irregularitas ; nemo tenetur, etiam in foro conſcientiæ, ſe gerere tanquam irregularem. Suar, Sanch. Caſtrop. Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Excipe, niſi aliud ſtatuatur, ſicut ſtatuitur de homicidio injuſtò in honorem ſtatûs Clerica-

ricalis, & reverentiam Sacrificii. Cap. *Significasti.* Et Cap. *Audientiam, de homicidio,* ubi statuitur, ut censeatur irregularis, qui posuit actum,& dubitat, an mors ex eo non secuta sit. Hinc, qui concurrit ad abortum factum, & dubitat, an fœtus fuerit animatus; qui consilium dedit, & dubitat, an influxerit in homicidium; qui percussit alium, & dubitat, an mors secuta etiam ex sua percussione provenerit, est irregularis; quia hæc irregularitas imposita est danti causam injustam, vel occasionem mortis secutæ. Econtra in dubio facti circa mutilationem non est irregularis; quia jus loquitur de homicidio injusto. Et hinc, si dubites, an aliquem in bello justo occideris, non es irregularis; uti nec juxta Dicast. & alios, si dubites, an mors, ad quam consilium dedisti, sit secuta; quia irregularitas non incurritur, nisi effectu secuto. Denique, si impubes aliquem occiderit, & dubitetur, an habuerit usum rationis; si septennis id fecit, præsumitur usus rationis, & censetur irregularis. Ità Saneh. in Decal. L. 1. Cap. 12. num. 13. contra Castrop. qui cum aliis multis. Tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2. probabiliter excusat omnes ante pubertatem ab omnibus pœnis, exceptâ pœnâ percussionis Clerici. La Croix hìc n. 446.

QUÆSTIO VIII.

Quo modo tollatur Irregularitas? 3210.

Pleræque per dispensationem tantùm.

Resp. Tollitur 1mò per dispensationem. 2. Irregularitas orta ex infamia facti tolli potest absque dispensatione per publicam, & constantem vitæ emendationem, quæ prioris vitæ

 macu-

maculas, etiam coram hominibus, abstergit, & famam reducit, *ex Cap. de Testibus.* Irregularitas verò ex infamia per jus vel sententiam Judicis inducta, non tollitur per emendationem: quia hæc perseverat vi legis, vel sententiæ, adeoque non tollitur, nisi lex relaxetur; infamia autem facti adhæret facto, hocque moraliter destructo, perit. Similiter irregularitas defectu ætatis, vel scientiæ cessat, ubi ætas requisita, & scientia adest. 3. Per Professionem Religiosam tollitur irregularitas ex defectu natalium, & redditur professus habilis ad sacros Ordines; non tamen ad Prælaturas, & dignitates sine speciali dispensatione. 4. Per Baptismum tollitur infamia facti, orta v. g. ex homicidio, adulterio; non tamen infamia juris ex bigamia. Hinc, qui ante Baptismum duas uxores habuit, aut ante & post aliam, est irregularis, uti &, qui ob crimen ante Baptismum fuit virgis cæsus, aut stigmate authoritate Judicis notatus. Reliquæ irregularitates non cessant, nisi per dispensationem.

QUÆSTIO IX.

Quis possit in Irregularitatibus dispensare?

322. *Papa, & quandoque Episcopus.* Resp. Dispensare potest 1. Pontifex in omni irregularitate, modò adsit necessaria capacitas subjecti; raro tamen solet dispensare in irregularitate, quæ oritur ex bigamia propriè dictâ, aut homicidio voluntario, vel ex defectu corporis, valde deformi. 2. Potest Episcopus cum suis subditis dispensare in omni irregularitate, & suspensione proveniente ex delicto occul-

occulto, & non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario; & aliis delictis, quæ occulta quidem sunt, attamen deducta ad forum contentiosum. 3tiò. Prælati Regulares ex privilegio possunt dispensare cum suis in omni irregularitate, etiam ex homicidio occulto voluntario, vel ex defectu naturali orta, ùt, si desit pes, sinister oculus. La Croix L. 7. n. 480. Si tamen esset tantus defectus, ut in eo Papa dispensare non soleat, ùt est bigamia vera; nec Prælati Regulares dispensare possent; quia Papa non censetur ad hoc facultatem concedere, quod ipse facere non solet. Vide La Croix n. 466. 4. Solus Papa, & qui privilegium habet, potest dispensare in irregularitate ex defectu. La Croix. Sed vide P. 4. sub num. 452.

Irregularitas non obstat absolutioni à peccatis.

Denique observa, irregularem posse absolvi à peccatis, non reservatis, etsi irregularitatem annexam habeant, per quemlibet Sacerdotem approbatum; quia irregularis non prohibetur suscipere Sacramenta, præter Sacramentum Ordinis; possuntque peccata tolli, remanente irregularitate, & re ipsa in Jubilæo manet, quamvis pœnitens absolvatur à Censuris, & peccatis. Neque, quando conceditur facultas absolvendi à peccatis reservatis, & Censuris, censetur concessa facultas ad tollendam irregularitatem, nisi exprimatur; quia irregularitas non est Censura, & difficiliùs in ea dispensatur.



CAPUT

CAPUT VII.

De Ecclesiastica Sepultura.

QUÆSTIO I.

Quibus concedenda, & quibus neganda Sepultura Ecclesiastica, vel in loco sacro?

323. *Solis baptizatis.* RESp. Concedenda est solis, &, per se loquendo, omnibus Baptizatis, qui piè, & Christianè moriuntur. *Ratio est*; quia hi soli & omnes ingressi sunt Ecclesiam; adeoque jus habent, & capaces sunt participandi bona Ecclesiæ publica, omnibus Fidelibus communia. Hinc 1. Sepeliri non debent in loco sacro Judæi & Infideles. 2. Infantes non baptizati, etsi ex parentibus fidelibus procreati; infans tamen in utero mortuus cum matre mortua sepeliri in loco sacro potest; quia fœtus adhuc conjunctus eatenus censetur pars matris. 3. De quo dubitatur, an ullo modo sit baptizatus: quia ad fruendum privilegio Christiani probari saltem aliquo modo debet, quòd adsit conditio requisita; conditio autem, quam Ecclesia requirit ad sepulturam sacram, est Baptismus, qui saltem dubiè probari debet. Si autem dubium sit solùm de Baptismi collati valore, in loco sacro sepeliri poterit; quia pro eo est Baptismus, nec Ecclesia omnimodam probationem conditionis requisitæ ad fruendum favore censetur exigere, estque negatio sepulturæ in æstimatione hominum quædam

pœna;

pœna; in dubio autem, an causa adsit, pœna non est infligenda. Juxta La Croix L. 7. num. 250. Idem videtur dicendum de eo, qui sub conditione in dubio, an sit homo, baptizatus est. 4. Catechumeni, seu, qui instruuntur ad Baptismum suscipiendum. Ità Suarez, Layman, La Croix: quia non baptizati simpliciter excluduntur à favore sepulturæ sacræ.

Putat Gobat de Baptismo num. 620. Posse eos sepeliri in loco sacro: quia Innocent. III. *Cap. Apostolicam de Presbyt. non baptizato vult*, pro eo offerri preces; sed qui concedit unum favorem, non ideo concedit & alterum.

Dixi: *Et per se loquendo omnibus:* nam ex- 324.
cluduntur imò Excommunicati non tolerati, *Qui*
idque licèt talis in fine vitæ dedisset maxima sig- *baptiza-*
na pœnitentiæ, si à nemine sit absolutus, ha- *ti exclu-*
betur *Cap. à nobis 28. de Sententia Excom-* *dantur?*
municationis: quia, licèt absolutus apud Deum credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus; potest tamen & debet corpus absolvi post mortem, ut sic defunctus sepultura sacrâ, & precibus Ecclesiæ gaudeat. Ità Cap. citat. Pontifex, modò signa pœnitentiæ dederit; an autem talis possit à Censura absolvi in articulo mortis à non Sacerdote, si Sacerdos desit; vel etiam Laico, si desit Clericus, & sic absolutus sepeliri in loco sacro, dubium est, negant multi, affirmat Sanch. & La Croix in partem inclinat benigniorem: eò quòd aliquo modo probabile sit, absolutionem valere.

2. Excluduntur probabiliter etiam notoriè Excommunicati tolerati. Tit. 28. n. 2. Quia, licèt in Sacris communicare cum talibus vivis permittatur, id tamen permittitur in favorem Fide-

fidelium aliorum ; ſepultura autem mortuorum præcisè cederet in favorem illorum. Contradicit tamen cum aliis Krimer, & poteſt communicatio illa cedere ad pacem communem fovendam.

3. Excluduntur Hæretici *Cap. Sicut.* 8. §. *Si autem. de Hæreticis.* Et *Cap. Sacris.* 12. *de Sepult.* Putat quidem Lugo de fide D. 14. N. 159. aliique multi, de Hæreticis nominatim denuntiatis, ſeu vitandis Canones intelligi ; ſed contradicunt alii, ſi notoriè decedant in hæreſi : quia, ſi hæreſis ſit formalis, & externa, propriè ſunt Hæretici. *Nec juvat*, quòd ſint fortè materiales tantùm : nam id non præſumitur, ſed probandum eſt in foro externo. Et hinc Eccleſia cum talibus in eo procedit, ſicut cum formalibus. Unde, quamvis liceat Hæreticum, vel excommunicatum ſepelire in loco profano, ne inficiat aërem, vel titulo conſanguinitatis, cùm id Canones vetent fieri favore hæreſis ; non licet tamen ſepelire in loco ſacro, vel ritu Catholico. Ad redimendam tamen gravem vexationem, aliamve magni momenti cauſam permitti poteſt Acatholicus ſepeliri in loco ſacro, v. g. Hæreticus Officialis, & ſic nuper durante bello priore factum in Germania teſtatur Pichler. Imò in penultimo bello Turcico Imperator, & ſtatus Catholici promiſerunt hæreticis, aliàs auxilium negaturis, ſepulturam in loco ſacro permittendam ; quia benigna Mater Eccleſia ſuis legibus non vult obligari nos cum gravi incommodo, quando materia non eſt intrinſecè mala, ùt non eſt permiſſio illa : nam non petitur in contemptum Eccleſiæ, ſed ùt honor politicus. Quare Eccleſia etiam tolerat con-

consuetudinem, vi cujus, ubi Hæretici vivunt mixti Catholicis, in Cœmiteriis, & Ecclesiis, quas habent communes, sepeliuntur utrique, & ut Hæretici inferantur sepulturis majorum suorum Catholicorum, cùm ista sine gravissimis incommodis impediri non possint. Non licet tamen Parocho ritu Catholico cum Cruce, Stola, Superpellicio sepelire Hæreticum in loco etiam profano, v. g. destinato ad cœmiterium infantibus, sine Baptismo decedentibus; quia sic eum profiteretur esse ovem suam, esse mortuum in vera Ecclesia, esse dignum publicis Ecclesiæ bonis, quod de se illicitum est. Hinc Ecclesia tantùm permittit sepeliri ab ipsis Acatholicis; non autem sepelit ritu Catholico. Attamen non peccat, qui in his partibus amicitiæ, vel humanitatis causâ comitatur funus hæretici; quia est tantùm honor politicus, & sunt hæretici in Germania tolerati.

4. Excluduntur nominatim interdicti, usurarii manifesti, raptores, seu violatores Ecclesiarum, & incendiarii, decimas non solventes, Religiosi proprietarii, seu habentes peculium sine licentia Superiorum.

5. Qui per totum annum omiserunt Sacramentalem Confessionem, aut Communionem in Paschate; hæc tamen pœna est sententiæ ferendæ. Si de his dubitatur, non sunt privandi sepulturâ; quia per Baptismum sunt in possessione juris, & delicta non præsumuntur. Imò nec qui in Paschate communicant quidem, sed non in Parochia.

6. Suîcidæ, seu, qui se ipsos occidunt ex iracundia, desperatione, vel simili passione, non verò si id fecerint mente moti, seu semifatui,

fatui, ex nimia tristitia sibi non satis præsentes &c. In dubio, an quis ipse sibi vim intulerit, an sibi præsens, præsumendum in favorem ejus, expeditque, in hoc casu consuli Episcopum, & pro cavenda populi offensione &c. nocte eum in sacro loco sepelire.

7. Qui in formali duello occubuerunt. Item, qui in torneamentis, & hastiludiis conjunctis per se cum probabili vitæ periculo, sunt occisi.

8. Denique omnes, qui in peccato mortali notorio decesserunt sine signo pœnitentiæ, v. g. in actuali furto vel adulterio occisi.

325. *Locus sacer, & sacra sepultura.* Præterea notandum 1mò. Per locum sacrum in hac materia intelligitur locus deputatus ab Episcopo; vel per consuetudinem ad sepulturam fidelium, etsi nondum esset consecratus, & non conjunctus Ecclesiæ, ùt sunt Ecclesiæ, cœmiterium, ambitus templi, locus, in quo solet Missa celebrari.

2. Sepultura sacra est, tum quæ fit in loco sacro, tum quæ fit ritu Catholico in profano. Quandoque per eam etiam intelligitur Jus sepulturæ in sacro loco.

3. Ossa illicitè sepultorum, si à fidelium ossibus discerni possint, exhumanda, & abjicienda sunt; si discerni nequeant, relinqui possunt.

QUÆSTIO II.

In quo loco sacro sepeliendi sunt, qui gaudent jure sepulturæ Ecclesiasticæ?

326. *Regulariter in parochia.* Resp. Per se loquendo, & de jure sepeliendi

liendi sunt in Parochia, in qua habuerunt domicilium, vel quasi domicilium. Habetur *Cap.* 1. & 10. *de Sepulturis.* *Ratio est;* quia, sicut ad Parochum pertinet suos in vivis pascere verbo Dei, & Sacramentis; ità ad eum pertinet mortuos sepelire. Quòd si defunctus habuit domicilium, vel quasi domicilium in duabus Parochiis, sepeliendus est, in qua obiit; si in neutra obiit, sepeliendus est in ea, in qua solitus est pasci Divinis; at si in neutra consuevit pasci, datur locus præventioni, vel defertur, ad quam commodiùs arbitrio amicorum deferri potest.

Dixi: *Per se loquendo*: Nam excipitur 1mò. Si quis elegerit alibi sepulturam, quam eligere possunt regulariter omnes puberes: electio enim sepulturæ habet se instar ultimæ voluntatis, & sic convenit omnibus, qui de suis ad spiritualia per ultimam voluntatem possunt disponere. 327. *Excipiuntur quidam.*

2. Excipitur, qui habet sepulturam, à Majoribus suis electam: nam defunctus censetur eam sibi elegisse, nisi contrarium constet.


3. Excipitur uxor, quæ si ipsa non elegerit sepulturam, etsi majores elegerint, sepelienda est ad suum maritum ultimum, etsi extra Parochiam sepultum; quia decet uxorem sequi virum, qui caput ejus fuit.

4. Excipiuntur Religiosi, qui extra claustra mortui deferri possunt ad sua monasteria, & Ecclesiam, non requisito etiam Pastore loci, in quo sunt Defuncti. Habetur ex declaratione Card. S. Congreg. 2. Julii Anno 1620. quam allegat Barb. de Officio Parochi C. 26. n. 68.

Porrò, quamvis quis possit sibi eligere 328. *De Se-*

 sepul-

pulturæ in Ecclesiis Religiosorum. sepulturam in Ecclesiis Religiosorum; his tamen & Clericis sub pœna excommunicationis reservatæ, effectu secuto, prohibetur, nequenquam inducant ad promittendum, vovendum, jurandum, quòd, neglectâ Parochiali Ecclesiâ, sepulturam in sua, vel suo cœmiterio eligat, vel in sua Ecclesia semel electam non mutet. Quid autem competat Parocho, si suus Parochianus alibi sepeliatur, spectanda est consuetudo, quæ juri in quibusdam locis ex parte derogavit. Videri potest La Croix L. 7. A. N. 235. Et Canonistæ in L. 3. Tit. 28. Layman L. 3. Tr. 5. C. 12.



TRACTATUS V.

De Actibus humanis inhonestis, & honestis: seu de peccatis, & merito Theologico.

CAPUT I.

De peccatis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid sit peccatum?

329. *Definitio.* Resp. Peccatum, propriè dictum, est libera divinæ legis transgressio. *Ratio est;* quia cum lex divina sit prima & universalis morum regula, quisquis contra eam agit, ab ordine recto recedit, opponitque se supremæ pote-

potestati legislativæ, privat se honestate debitâ, quod propriè peccare est; qui verò contra eam non agit, non peccat: unde primus peccati conceptus est transgressio legis divinæ, seu oppositio supremæ potestati legislativæ Dei, ex quo fluunt rationes aliæ secundariæ peccati. *Dicitur autem primò transgressio*, sive illa sit actus positivus prohibitus, sive omissio actûs præcepti. *Dicitur secundò transgressio libera*; quia ad omnem actum moralem prærequiritur libertas indifferentiæ activæ: sine hac enim nemo ponit actum laude, & præmio; vel vituperio, & pœnâ dignum; essetque crudele, punire aliquem propter id, quod vitare in ejus libera potestate non fuit, ùt constat ex dictis de actibus humanis & conscientia. *Dicitur 3tiò transgressio legis divinæ*; quia licèt legis humanæ in conscientia obligantis transgressio peccatum sit; attamen peccatum non est, nisi quatenus est contra legem Dei, dantis homini præcipiendi potestatem, & obligantis; ut potestati subditi simus, & præceptis obtemperemus.

Repugnat quidem peccatum etiam dictamini rectæ rationis, sed non ùt regulæ objectivæ; verùm tantùm ùt præconi, & internuntio, legem Dei proponenti. Et hinc implicat peccatum purè Philosophicum, seu repugnans tantùm naturæ rationali, quâ tali; nec peccatum formale aliquod dari potest sine aliqua cognitione Dei, saltem ùt supremi alicujus Legislatoris, mala prohibentis: dumque recta ratio dictat, aliquid esse malum morale, simul dictat, ab aliquo prohiberi. Id quod indicat angor conscientiæ, peccatum consequens. Differt autem peccatum à vitio

morali, quia hoc eſt habitus inclinans ad actus inhoneſtos, qui frequentatis actibus acquiritur, & augetur.

QUÆSTIO II.

Quomodo peccatum dividatur?

330. *Diviſio peccati in perſonale, originale, omisſionis, & commiſſionis, &c.*

Reſp. Præcipuè dividitur 1mò in perſonale, quod propriâ phyſicè voluntate committimus; & in originale, quod in ipſa origine ab Adamo contrahimus; eſtque peccatum ab Adamo in eſu fructûs vetiti in paradiſo commiſſum, ùt moraliter noſtrum: erat enim Adam conſtitutus caput morale noſtrum, eique præceptum illud, ſuo, & omnium noſtrûm nomine obſervandum propoſitum, ſicque voluntates noſtræ in ipſum transfuſæ, & ità ipſo peccante, omnes, ordinariâ viâ generationis ab ipſo deſcendentes, exceptâ immaculatâ ſemper Virgine Deiparâ, peccavimus, & maculam peccati in inſtanti animationis contrahimus, damnati, antequam nati.

2. Dividitur in peccatum commiſſionis, quod eſt actus prohibitus repugnans præcepto principaliter negativo; & omiſſionis, quod eſt omiſſio actûs præcepti, & repugnat præcepto principaliter affirmativo, ùt eſt omiſſio Sacri.

3. Dividitur in mortale, quod eſt transgreſſio libera legis divinæ, ùt graviter obligantis: & veniale, quod eſt transgreſſio legis divinæ, ùt leviter obligantis.

4. Dividitur in actuale, quod eſt peccatum phyſicè, vel quaſi phyſicè actu exiſtens; & habituale, quod eſt peccatum præteritum moraliter

raliter perſeverans , id eſt, nec gratuitò condonatum , nec condignâ ſatisfactione quoad culpam expiatum : perſeverat enim peccatum præteritum moraliter in ratione maculæ per negationem gratuitæ condonationis , & condignæ ſatisfactionis in actu ſecundo efficacis.

5. In peccata carnalia , quæ delectatione carnis perficiuntur , ùt gula , luxuria ; & in peccata ſpiritualia , quæ internâ mentis delectatione conſummantur, ùt ſuperbia, invidia , avaritia , etſi circa objecta corporea verſentur.

6. In peccata ſpecialiter contra Deum , proximum, ſeipſum. Specialiter contra Deum dicuntur, quæ repugnant virtutibus ordinantibus nos rectè erga Deum ; ùt hæreſis, deſperatio, odium Dei, blaſphemia, quæ repugnant Fidei, Spei , Charitati,Religioni. Specialiter contra proximum ſunt , quæ repugnant virtutibus rectè nos ordinantibus erga proximum : ùt quæ repugnant juſtitiæ, pietati, miſericordiæ, charitati proximi, qualia ſunt furtum , detractio , odium proximi, &c. Specialiter contra nos ipſos ſunt, quæ repugnant virtutibus , quibus rectè ordinamur erga nos ipſos, ùt abſtinentia, ſobrietas , caſtitas. Talia ſunt peccata gulæ, ebrietas, luxuria, &c.

7. Dividitur in peccata merè interna, ſeu cordis, quæ actu interno conſummantur ; & peccata ſimul externa ſeu operis, & oris, quæ conſummantur actu ſimul externo.

8. In peccata infirmitatis, quæ ex tentatione ; in peccata ignorantiæ , quæ ex culpabili ignorantia ; in peccata malitiæ, quæ ſine tentatione, & ignorantia perpetrantur.

9 In peccata per excessum, quæ excedunt virtutis mediocritatem, ùt prodigalitas, temeritas; & peccata per defectum, quibus violatur virtus deficiendo ab ipsius mediocritate, ùt avaritia, pusillanimitas. Denique in peccata propria, quæ à nobis ipsis committuntur; & in aliena, quæ ab aliis quidem committuntur, nobis tamen tanquam causis moralibus imputantur, v. g. ratione consilii, adulationis, laudationis, conniventiæ, &c. Quanquam reatus noster non in alienis; sed in nostris actibus, vel omissionibus consistit.

QUÆSTIO III.

Quæ sint rationes secundariæ peccati, ex quibus ejus turpitudo magis elucescit?

331. *Turpitudo peccati.* Resp. Sunt sequentes. Omne peccatum mortale est offensa Dei, vilipensio, contemptus, aversio à Deo, conversio ad creaturam, irreverentia, impietas, rebellio, injuria, ingratitudo in Deum, inhonoratio, contumelia, inobedientia contra Deum, affectiva destructio, & contristatio, unicum malum Dei, &c. Qui enim mortaliter peccat, imò offendit supremam Dei Majestatem, quæ exigit à creatura rationali, ut caveat sibi displicere, ne amicitiam vilipendat, & profundat, sicque ad aversionem, & justam vindictam eum provocet.

2. Negligit, & vilipendit Deum, bonum infinitum vili bono, & inumbratili postponens, suum finem in eo constituens.

3. Avertit se à Deo, & ad creaturam se conver-

vertit ; quasi non in illo , sed in hac vera sit posita beatitudo.

4. Spernit supremam Dei authoritatem, quam pro lege sua interponit ; spernit præmia, quibus eum invitat ad servanda mandata ; spernit supplicia , quibus eum à transgressione illorum deterret , quasi illa non sufficiant ; spernit beneficia innumera , quibus eum hactenus Deus cumulavit.

5. Est irreverens , & impius in amabilissimum Patrem suum , Creatorem , & Conservatorem , à quo vitam accepit, & omni momento accipit , dum peccat in conspectu ejus, & eo tempore , quo paternè ab eo conservatur.

6. Est rebellis, & temerarius ; quia insurgit contra Dominum suum cum hoste ejus conspirans, & peccat inspectante Judice suo.

7. Est injurius in Deum , quia facultatibus sibi ab eo, & creaturis in gloriam ejus concessis abutitur, contra voluntatem Domini sui in ejus contemptum.

8. Est ingratus in suum Benefactorem maximum , à quo non solùm esse habet , sed eo momento , quo peccat , auxilio gratiæ etiam incitatur ad bonum, deterretur à malo, ut ruinam suam avertat : à quo toties accepit peccatorum veniam, & receptus in gratiam, numerumque filiorum Dei ; cum quibus, si expendantur beneficia cætera , ùt sunt Redemptio , Baptismus , vera fides, Sacramenta, &c. summa apparet turpitudo in peccato hominis Christiani.

9. Est inobediens inobedientiâ quâdam non formali quidem speciali , quâ violatur præceptum cum formali contemptu Superioris , sed

formali generali, quâ violatur præceptum Superioris cognitum, cui cùm subesse nolit, est superbus.

10. Est hostis animæ suæ, quam Deo facit abominabilem, dignam perpetuâ aversione Dei, & suppliciis æternis; spoliat hæreditate immensâ, &c. Unde peccatum continet malitiam quandam contra charitatem propriam, præsertim cùm peccator habeat animam unicam, quâ perditâ sunt perdita omnia.

11. Interpretativè, & quantum est de se, vult Deum destruere; quia vult non esse ejus legem sæpè necessariam, aut eâ non astringi, adeoque Deum non esse sapientem Gubernatorem, justumque malorum vindicem.

12. Quantùm est de se, Deum summè amabilem, summè beatum contristat; quia unici ejus mali, summopere ei displicentis, causa est, ità ut, si tristitiæ esset capax Deus, infinitam inde conciperet; quia quantùm amat suam bonitatem, & beatitudinem, tantùm abominatur peccatum. Mitto plures, quæ sunt in peccato formalitates, & turpitudines, addo solùm, eas in Confessione non esse necessariò explicandas, nisi directè sint intentæ; quia cùm in omni peccato saltem implicitè imbibantur, eo dicto, satis intelliguntur. Atque ex his, quæ suo modo, etsi imperfectè conveniant peccato veniali, ideoque ad mortale disponenti; patet, quomodo ex turpitudinis peccati consideratione concipi possit dolor de peccatis.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An ad omne peccatum formale actuale requiratur actualis aliqua advertentia rationis ad malitiam moralem objectivam, consensus actualis aliquis voluntatis in illam?

Resp. Affirmativè; requiritur aliqua actualis advertentia, aliquisque consensus voluntatis in illam. Est contra Baji, & Jansenii Sectatores, quibus favet Elizalde, Camargo 1. p. l. 2. contra 4. à n. 524. P. Gabriel Antoine hìc cap. 2. q. 4. *Ratio 1mæ partis est;* tum quia omne actuale formale peccatum est actuale exercitium libertatis, difforme legi Dei; ubi autem non est advertentia actualis aliqua ad malitiam moralem objectivam, non est exercitium actuale libertatis, difforme legi Dei; quia deest libertas actûs primi circa tale objectum; ergo & actuale ejus exercitium: tum quia formale peccati est formalis ejus malitia, ab objecto refusa in actum voluntatis; non potest autem in eum refundi, nisi proponatur ab intellectu, cùm nihil sit volitum, nisi cognitum.

332. *Requiritur aliqua advertentia actualis, atque consensus.*

Ratio secundæ partis est; quia sine consensu aliquo voluntatis in malitiam objectivam non est liberum exercitium libertatis circa illam, nec est ullâ ratione actu volita; ergo nec formale actuale peccatum adesse potest. Dixi: *Advertentia aliqua, & consensus aliquis voluntatis:* Nam 1mò opus non est advertentiâ formali expressâ, aut immediatâ malitiæ in se, nec opus est judicio; sed sufficit advertentia

formalis implicita, quæ & virtualis dicitur, mediata, & confusa ad periculum proximum. Item dubium practicum, & suspicio cum advertentia ad obligationem magis inquirendi, ùt alibi dictum. Deinde non requiritur consensus directus; sed sufficit indirectus, & interpretativus, quo quis velit, vel per complacentiam approbet objectum delectabile, vel utile, quod prosequi, vel per complacentiam approbare cognoscit esse prohibitum. Utì explicatum n. 43. Si autem homo, dum agit, quod illicitum est, nec malitiam, aut prohibitionem cognoscit, nec de ea dubitat, nec reflexè advertit se debere inquirere, aut meritò dubitari posse, num id liceat; non potest incurri actuale formale peccatum. Hæc est communis regula ex Arria T. 3. D. 13. L. 9. N. 3.

333. *Oposita soluta.* *Dicunt Adversarii* 1*mò.* Ad peccatum actuale sufficit advertentia virtualis, & interpretativa; hæc autem haberi potest absque actuali cognitione, cùm nempè quis potuit, & debuit advertere, & non advertit: sicut habetur consensus interpretativus, ad peccatum sufficiens, cùm quis tentationi potuit, & debuit resistere, & non restitit.

2. Aliqui peccant ex inadvertentia, ignorantia, putantes se obsequium præstare Deo, utì peccârunt persecutores Apostolorum: & dicitur, dari peccata inadvertentiæ, ignorantiæ.

3. Excœcati, & ex consuetudine peccantes, verè peccant, & tamen non adest semper actualis cognitio, & remorsus conscientiæ.

Resp. *Ad* 1*mum.* N. min. Virtualis enim advertentia non est sine omni actuali cognitione,

tione, nec potentia moralis proxima libera advertendi sine ea; adeoque sine hac non potuit liberè, nec debuit actu advertere, nec adest consensus interpretativus sine aliquo exercitio libertatis, sive hoc sit actus positivus, sive omissio pura, ad quod utrumque requiritur aliqua cognitio malitiæ.

Ad 2dum. Dicuntur aliqui peccare ex inadvertentia, quando advertunt se debere magis applicare animum, v. g. ad Horas Canonicas, & negligunt magis advertere. Ex ignorantia peccare dicuntur, qui peccant ex ignorantia culpabili, quæ, si actu adhuc vincibilis sit, peccant formaliter, secus materialiter tantùm, at peccârunt formaliter in causa, seu negligentia removendi ignorantiam. Similiter qui peccant putantes se obsequium præstare Deo, vel laborant ignorantiâ adhuc vincibili, & peccant actu formaliter vincibili errore, & ex passione putantes se obsequium præstare Deo; vel si error actu vincibilis non sit, peccârunt dando huic causam, jamque committunt peccata, aut materialia tantùm, aut solùm denominativè talia ab actu præterito, non retractato, à quo modò actiones illorum malæ procedunt.

Ad 3tium. Excœcati, obdurati, passionibus abrepti, ex consuetudine peccantes sufficienter agnoscunt malitiam, & bibunt illam velut aquam. Et quamvis ex defectu cognitionis clarioris fortè peccent quandoque minùs graviter, quàm alii; simpliciter tamen sæpè peccant graviùs; quia actus ponunt intensiores, suntque voluntatis in malo obfirmatæ.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Per quid compleatur peccatum internum in ratione peccati externi?

Cùm ex præcepto Christi non solus actus internus, sed etiam externus, qui internum complet in ratione peccati externi, sit in Confessione explicandus, utpote constituens cum interno actum humanum completum in genere moris, quem totum explicari in Confessione Christus voluit secundùm dicta N. 51. Hinc declarandum est per quid peccatum tam commissionis, quàm omissionis compleatur in ratione peccati externi. Pro quo

334. *Quodnam sit præceptum negativum, & quodnã affirmativum?*

Nota. Omne præceptum seu genericè seu specificè acceptum, quà tale, est vel negativum, vel affirmativum, ideoque omne peccatum, vel est commissionis, vel omissionis, sicut autem præceptum affirmativum primariò aliquid præcipit, & secundariò, vel indirectè aliqua prohibet; sic negativum primariò, & directè aliquid prohibet; secundariò autem, & indirectè sæpè aliquid præcipit, v. g. Præceptum affirmativum de audiendo Sacro directè præcipit auditionem Sacri; indirectè prohibet nolitionem id audiendi, & omnem actionem cum auditione ejus incompossibilem. Præceptum negativum: non mœchaberis, non concupisces, directè prohibet adulterium, fornicationem, concupiscentiam veneream; indirectè præcipit, ut excludantur turpes cogitationes, removeantur occasiones proximæ, & sic de aliis. Quòd præceptum directè & primariò præcipit, vel prohibet, dicitur ejus ob-

objectum primarium, & ab hoc simpliciter denominatur affirmativum, vel negativum; alia sunt objecta secundaria, & ab his præceptum, vel lex primariò affirmativa, secundariò negativa; & negativa primariò, secundariò affirmativa denominatur: unde ut decernatur, an lex vel præceptum sit affirmativum, vel negativum primariò, & principaliter; non verba, sed objectum, quod pro fine habet, spectandum est, v. g. lex jejunii constat verbis affirmativis, & tamen principaliter & primariò est negativum; quia prohibet esum carnis, & secundam refectionem.

Cæterùm, & hoc inter præceptum affirmativum, & negativum notabile discrimen est, quod hoc obliget semper & pro semper, ùt præceptum non odiendi, non blasphemandi Deum, non furandi, non detrahendi, &c. illud verò obliget semper, sed non pro semper seu non pro omni tempore, utì v. g. præceptum credendi, sperandi, amandi Deum, actu audiendi Missam, &c.

Nota 2. Circa peccata quatuor distinguenda sunt. 1*mum* est finis, seu causa, propter quam quis peccat, ùt si quis omittat Sacrum, ut possit ad venationem ire, vel studere; venatio, studium sunt causa omissionis Sacri, suntque denominativè peccata & prohibita, dum urget præceptum audiendi Sacrum; quia præcipiens Sacrum prohibet omne cum ejus auditione incompossibile, quod sit omissionis causa, seu Sacrum excludat. 335. *In peccatis quatuor distinguenda.*

2*dum* sunt actiones comitantes violationem præcepti, ut si quis ex tædio nolit audire Sacrum, & tempore Sacri occupet se, v. g. legen-

legendo hiſtoriam pro animi relaxatione: & hæc non ſunt denominativè etiam peccata; quia nec dependent à voluntate præceptum violandi, nec ejus ſunt cauſa.

3*tium* eſt complementum peccati interni, eſtque velut voluntatis internæ malæ executio, ùt omiſſio Sacri, & cauſa ejus proxima v. g. compoſitio ad ſomnum.

4*tum* eſt effectus peccati, qui ſequitur ad peccatum internè & externè completum v. g. complementum voluntatis occidendi eſt transfoſſio, vel lethalis percuſſio, propinatio veneni; effectus conſequens, eſt mors; complementum voluntatis ſe inebriandi, eſt potatio, proximè everſiva rationis; effectus eſt privatio rationis: & ſic de aliis. Hi effectus propriè non ſunt denominativè peccata, ſi ex omiſſione vel actione voluntaria eveniant, quando amplius impediri non poſſunt, vel non ſubſunt libertati; quia nemo dicitur peccare per id, quod vitare non poteſt, cùm omne peccatum actuale debeat ſaltem denominativè actu eſſe voluntarium, & liberum: adeoque procedere à principio intrinſeco libero, ſeu potente ponere, & omittere id, quod ei liberum actu dicatur. Idque verum eſt, ſive voluntas mala ſit retractata,, ſive non; quando enim retractata eſt, jam nec moraliter exiſtit, adeoque nec moraliter cauſat effectum; ſi autem retractata non ſit, non eſt actu libera in ſe circa talem effectum, adeoque nec hunc denominare poteſt actu liberum, ſeu liberè cauſari: ſicut cognitio non poteſt dici cauſare volitionem, niſi actu exiſtat, quia cauſat informando potentiam, ità hic. Aliud eſt de cauſa morali, quæ, ùt intentionaliter exiſtens cauſat

v. g.

v. g. causa meritoria. Nihilo minus tales effectus tribuuntur seu imputantur operanti, si intenti fuerint, vel prævisi in causa seu obligatione vitanda; quia verum est, quòd talis effectûs ille sit causa, etsi voluntatem, antequam evenerit, retractâsset; quia retractatio non facit, quo minùs sit voluntarius effectus in causa antè posita, ex qua nunc sequitur. Quando effectus ex omissione vel actione sequens imputetur ad culpam, dixi de Actibus humanis n. 10. & 11. His notatis

Resp. Peccatum internum Commissionis in ratione peccati externi completur in ordine ad Confessionem per actum suum externum, tum principalem, tum etiam minùs principalem, ratione suî prohibitum, actualiter ab actu interno dependentem; peccatum verò omissionis per omissionem actûs primariò, & ratione suì præcepti, suo modo pariter ab actu interno actualiter dependentem. Cætera, quæ nec de se mala sunt, nec ratione suî præcepta, vel prohibita, etsi denominativè sint peccata, non complent peccatum internum in ratione externi in ordine ad Confessionem. *Ratio est*; quia per talem actum & omissionem simpliciter ponitur executio actûs interni, legisque transgressio externa, hisque explicatis intelligitur tota malitia transgressionis seu peccati in æstimatione morali: v. g. qui omisit Sacrum die præcepti sive propter studium, sive ex tædio, malam suam voluntatem explevit per Sacri omissionem, vel causam, ejus proximè exclusivam, v. g. compositionem ad somnum. Et in Confessione satisfacit dicendo: omisi die præcepti Sacrum. Qui emit, alterique propinavit venenum, actum suum internum com-

336. *Completur præcipuè per actũ suum principalem.*

complevit per propinationem veneni in ordine ad Confessionem; nec opus est, ut emptionis fiat mentio; quia sine hac tota malitia intelligi potest, & operatio ejus completur per propinationem veneni.

Dixi 1. *Etiam per actum minùs principalem ratione suî prohibitum*: nam si actus principalis non sequatur, sit tamen aliquis ratione suî prohibitus minùs principalis; hic in ratione sua complet externè peccatum internum, & in Confessione explicari debet; utì si quis intendens fornicari, puellam per oscula, turpiloquia, vel tactus conatus fuisset inducere ad consensum: hæc autem non consensisset; peccatum internum fuisset completum in aliqua ratione per oscula, tactus, &c. non quidem in ratione fornicationis, sed osculi, deberetque confiteri, oscula, turpiloquia, tactus factos esse cum intentione inducendi ad fornicationem. Similiter, qui suadet alteri homicidium, aut volenti committere ministravit arma, complet suum peccatum per suasionem & armorum ministrationem, hocque tenetur confiteri, etsi mors non sequatur; quia suasio homicidii, & ministratio armorum volenti occidere, facta de se sunt prohibita, & suadens, armaque ministrans suam operandi intentionem complet per illas actiones; neque enim ipse occidere voluit. Econtra, qui volens hostem suum occidere iter suscipit, in eo comedit, hostem inquirit, & deinde occidit, peccatum suum internum complet per occisionem, & opus non est explicare in Confessione actiones de se indifferentes præmissas.

Dixi 2. *Per actum, vel omissionem actualiter ab actu interno dependentem*; quia effe-

ctus

ctus, qui actu non dependet à libera actuali voluntate, impedirique non potest amplius, peccatum internum propriè non complet; quia actu liberè ab eo non procedit, adeoque nec denominativè peccatum est.

Hinc speculativè, & per se loquendo, talis effectus non est necessariò confitendus; quia peccatum pro priori jam completum externè est, quod explicare in Confessione sufficit. 337. *An confitendus effectus peccati?*

Dixi: *Speculativè, & per se loquendo*: nam, si effectus jam sit secutus, ordinariè, & per accidens confitendus est, tum quia aliàs sæpè peccatum externè completum explicari non potest satis; vel Censura, aut reservatio illi annexa, aut obligatio, ex effectu secuto orta, non intelligitur; tum quia meliùs ordinariè intelligitur tota peccati malitia: hinc suaviter invitandi sunt pœnitentes, ut effectum jam secutum addant. Quòd si necdum secutus sit, dum quis suum peccatum confitetur, non est obligatio denuò confitendi illum: nisi fortè ratione Censuræ, si quæ incursa est. Si autem effectus malus sequatur ex peccato, dum adhuc adest status libertatis, compleatque actionem malam in ratione peccati externi, necessariò est confitendus, ùt si quis per turpiloquium, vel tactum causaret actu, & liberè in se pollutionem, hæc, utpote effectus complens voluntatem saltem indirectam pollutionis, foret confitenda; quia procedit ab actuali libera voluntate.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆSTIO VI.

Quænam excuſent à formali peccato?

338. *Quæ excuſant à lege.* Reſp. Omnia illa, quæ excuſant ab obſervatione legis, vel præcepti ſecundùm dicta num. 189. utì 1. Impotentia phyſica eam obſervandi. 2. Impotentia moralis, metus gravis mali, quando lex eſt humana, aut divina purè poſitiva, & bonum commune, aut Religionis aliud non exigit. 3. Ignorantia invincibilis. 4. Inadvertentia, aut oblivio inculpabilis. 5. Quandoque Epiikia, & præſumptio licentiæ. Vide dicta à n. cit.

QUÆSTIO VII.

Quinam Actus inhoneſti ſint peccata ſpecie morali diſtincta, vel ſpecie diverſam habeant malitiam in ordine ad Confeſſionem?

339. *Quæ in prædicato eſſentiali in genere moris differunt.* Reſp. Illi ſunt peccata ſpecie diſtincta, vel malitiam habent ſpecie diſtinctam, in Confeſſione explicandam, qui in genere moris differunt in prædicato aliquo eſſentiali: cùm enim ſpecies ſit id, per quod res eſt id, quod eſt, ſeu, per quæ res in ſuo primo conceptu conſtituitur, ſicut ſpecie metaphyſicâ differunt, quæ differunt in aliquo prædicato eſſentiali metaphyſico; ùt homo & brutum, ſic ſpecie morali differunt in ordine ad Confeſſionem, quæ differunt in prædicato eſſentiali in genere moris, ſeu inhoneſti; utì furtum, rapina, detractio,

tractio, contumelia, &c. quæ prædicata habent essentialia diversa, ùt patet expendenti eorum definitiones. Sed quia prædicata essentialia peccatorum, utpote intrinseca eis, nobis intueri non licet; hinc recurrendum est ad aliquod extrinsecum, ex quo dignoscatur distinctio specifica malitiæ tum in uno, tum in pluribus actibus. Unde sit

QUÆSTIO VIII.

Ex quibus colligatur malitia in peccatis morali specie diversa?

Resp. Colligitur 1mò ex objectis in genere moris specie diversis, & diverso in illa tendendi modo. 2. Ex legibus formaliter diversis liberè violatis. 3. Ex oppositione cum diversis virtutibus, vel cum eâdem virtute secundùm diversas rectitudines, aut modo notabiliter diverso. Unde ab AA. assignantur hæ regulæ, quæ ferè coincidunt.

340. *Colligitur ex tribus.*

Regula 1ma. Tunc reperitur in uno, vel pluribus actibus malitia specie diversa, quando voluntas tendit contra legem in objecta in genere moris notabiliter diversa, vel in idem, modo notabiliter diverso. Per objectum hìc intellige tum objectum primarium, quod est velut basis & fundamentum, tum circumstantias & finem, quæ hoc versu comprehenduntur:

341. *1. Ab objectis in genere moris specie diversis, seu oppositis diversis virtutibus, vel eidem modo diverso.*

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

Quibus particulis significatur qualitas personæ agentis, qualitas objecti, qualitas loci, auxilii, vel medii, finis, modi, & temporis secun-

 dùm

dùm dicta n. 35. *Ratio 1ma partis Regulæ est*; quia, cùm actus voluntatis, in quibus formale peccatum consistit, sint vitalis tendentia in sua objecta; hinc sicut desumunt speciem physicam ab objectis physicè consideratis; sic desumunt speciem moralem ab objectis consideratis in genere moris: unde sicut furtum equi, & bovis, vel pecuniæ differunt specie physicâ, etsi non morali; sic furtum, & detractio differunt specie morali. *Ratio 2da partis est*; quia, licèt voluntas tendat in idem objectum, ex modo tamen tendendi potest actui illius inesse inhonestas, diversæ rationis, ùt, si semel tendat in idem objectum ùt graviter prohibitum, semel cum plena, & semel cum semiplena advertentia rationis: adeoque semel offensam Dei simpliciter talem, semel solùm secundùm quid talem committat. Item, si semel complaceat in objecto turpi v.g. copulâ carnali, & semel desideret illam committere: vel semel ex contemptu formali, semel cum virtuali, & interpretativo solùm, legem transgrediatur.

342. *Diversa in genere moris* *Quæres.* Quæ objecta dicantur in genere moris notabiliter diversa? Resp. Illa, quæ substant legibus formaliter diversis, vel quod idem est, quorum persecutio vel fuga spectat ad diversas virtutes, vel ad eandem secundùm diversam rectitudinem, seu modo notabiliter diverso sunt ab eadem attingibilia in genere moris, ùt auditio Sacri, & abstinentia à labore servili die festo.

Objecta sunt in duplici classe. Ubi notandum, quòd objecta sint in duplici classe, In 1ma sunt actiones, ùt furtum, detractio, blasphemia, perjurium; in 2da sunt res, ùt bona fortunæ, fama, honor, perfectiones

ctiones divinæ, inter quæ hoc est discrimen, quòd res non cadant sub legem, sed actiones & omissiones tantùm, adeoque hæ solæ per legem constituuntur proximè objectivè malæ, vel bonæ: hæ enim solæ legi substant directè; res autem velut prosecutionis, aut fugæ objecta, à quibus tamen actus fugæ, & prosecutionis extrinsecè specificantur remotè, & fundamentaliter, sicut specificantur formaliter proximè à legibus formaliter diversis: res enim & actiones legibus diversis præbent fundamentum; quatenus remotè tales sunt, ut exigat rectus ordo, vel ad eum expediat, à Deo approbari earum prosecutionem, & fugam reprobari; vel fugam approbari, & reprobari prosecutionem: Et hinc objectum prosecutione dignum, ùt substat approbationi, refundit in eam honestatem, & in fugam inhonestatem, quando hæc substat legi. Et contra objectum, dignum fugâ, refundit in hanc honestatem, & in prosecutionem inhonestatem, si legi substet. Secundùm dicta n. 39. Solæ tamen actiones & omissiones, à libera voluntate dependentes, denominantur ab actu interno malo malæ, & ab actu bono bonæ, sic dum quis Deum blasphemat, dum furatur, Deus manet bonus, & res aliena bona; actio autem blasphema, & furtiva denominatur mala. Quæ sint leges formaliter diversæ, mox dicetur n. 345.

343. 2. Optimè ex legibus formaliter diversis violatis.

Regula 2da. Quotiescunque actu, vel uno, vel multiplici plures violantur leges, vel præcepta formaliter diversa, toties reperitur in uno, vel pluribus actibus malitia morali specie diversa; & contrà, quoties in actu uno, vel pluribus reperitur malitia specie diversa,

 toties

toties violantur leges, vel præcepta formaliter diversa. Hæc regula est universalis, & magis expedita cæteris. *Et ratio est;* quia malitia in genere desumitur ab oppositione cum lege, cùm omne peccatum ex conceptu suo essentiali sit transgressio libera legis; ergo & malitia specie diversa rectè desumitur proximè ab oppositione cum legibus formaliter, seu specie diversis: ità ut, sicut peccatum est exercitium libertatis legi oppositum, sic peccatum specie diversum sit exercitium libertatis, oppositum legi vel præcepto specie diverso: & sicut ubi non est exercitium libertatis, legi vel præcepto oppositum, ibi non est peccatum; sic nec sit peccatum specie diversum, ubi non est exercitium libertatis oppositum legi vel præcepto specie seu formaliter diverso. *Confirmatur.* Actus morales specificantur ab objectis consideratis in genere moris; ergo, sicut objecta non habent moralitatem objectivam completam, nisi à legibus, ità actus morales peccaminosi non habent malitiam formalem specie diversam, nisi à legibus formaliter diversis, velut suis terminis; per consequens ab his desumitur proximè specifica malitiæ distinctio; ab objectis autem solùm remotè.

344. *Non ex legibus tantùm materialiter diversis.* Dixi: *Quotiescunque violantur leges vel præcepta formaliter diversa:* nam solùm materialiter diversa, non inducunt specificam peccatorum distinctionem; quia leges vel præcepta solùm materialiter diversa sunt, quæ procedunt ex eodem motivo, suntque circa eandem materiam, licèt sint actus distincti Legislatorum diversorum, vel ejusdem, diverso tempore positi, proinde eandem inducunt obligationem, faciuntque præceptum specie, & nume-

numero morali unicum. Sic lex naturalis, positivaque divina, humana, Ecclesiastica, & civilis prohibentes furtum, homicidium, blasphemiam sunt specie & numero morali unicum præceptum; quia, circa eandem materiam ex eodem motivo latæ, unicam inducunt obligationem, cùm omnis obligatio sit voluntas Dei, & hinc committens homicidium, unicum specie peccatum committit, nisi fortè alia species ex circumstantia accedat.

Nec obstat, quòd formalis irreverentia contra Deum, & irreverentia contra hominem diversæ speciei sint: est enim clara disparitas, quia excellentia humana non constituitur per divinam, sicut authoritas humana præcipiendi per authoritatem Dei constituitur.

Quæres. Quænam leges vel præcepta sunt 345. formaliter seu specie diversa? Resp. Quæ ferun- *Quæ* tur ex diversis motivis immediatis, vel intrinse- *sint le-* cis, vel extrinsecis, aut ex mente Legislatoris ex *ges for-* eodem licèt motivo ferantur, diversam important *maliter* obligationem. *diversæ?*

Ratio 1mæ partis est; quia, si ferantur ex diversis motivis, id est, si diversam subditis intendant honestatem, vel arcere ab iis velint diversam inhonestatem, diversam important obligationem, quæ est forma, & veluti anima legum, cùm leges, utpote actus Legislatoris, specificentur ab objectis suis formalibus, adeoque tunc specie differant. Diversæ autem rationis est in prosecutione, vel fugâ honestas vel inhonestas, quando materiæ spectant, vel collocantur intra materiam necessariam diversæ virtutis, vel ad eandem quidem spectant virtutem, sed in diversa ratione, & diversimodè conducunt ad finem virtutis. Sic in fuga de-

tractionis, furti, homicidii, contumeliæ, etsi ad eandem virtutem Justitiæ spectent, est diversa honestas, & in eorum prosecutione diversa inhonestas. Similiter est diversa honestas in auditione Sacri, abstinentia à labore servili die Dominico, recitatione Horarum, uti est diversa inhonestas in oppositis. Idem est de aliis, ùt fornicatione, sodomiâ, bestialitate. Quòd si lex feratur ex motivo intrinseco, & extrinseco simul; non importat propter motivum extrinsecum diversam obligationem, nisi Legislator declaret, se velle objectum infra materiam necessariam istius virtutis ponere, uti dictum est à n. 147.

Ratio 2dæ partis est, quia, si Legislator velit obligare aliquos sub levi tantùm, alios sub gravi, v. g. puberes sub gravi, & impuberes sub levi ad audiendum Sacrum; diversa erit specie obligatio, adeoque specie diversa lex.

346. *Ab oppositione cum diversis virtutibus.* *Regula 3tia.* Actus seu unus, seu multiplex habet malitias specie diversas, si opponatur diversis virtutibus, aut eidem modo notabiliter diverso, seu secundùm diversas rectitudines vel honestates: quia, quando agitur contra diversas virtutum honestates, diversæ contrahuntur turpitudines: contrariorum enim par est ratio.

Ubi *Nota*, posse materias spectare ad diversas virtutes, & tamen eas non præcipi ex motivo illarum virtutum omnium. Quo casu non peccatur contra illas, sed contra illam tantùm, ex cujus motivo præceptum vel lex fertur: uti, si parens præcipiat liberis orationem, auditionem Sacri, eleëmosynam, prohibeat malam societatem; quia censentur pa-

rentes

rentes liberis tantùm præcipere ex motivo obedientiæ transgrediendo non peccant, nisi contra obedientiam, nisi tamen per quid aliud lædatur pietas. Vide p. 2. n. 230. in fine. Similiter Superiores Religiosi, etsi à Papa habeant jurisdictionem in suos in foro etiam externo; sibi tamen vi voti subjectis non solent imperare, nisi ex motivo obedientiæ, quod declarat consuetudo: Et hinc addunt sæpè, se præcipere in virtute obedientiæ, sicque in transgressione contrahitur tantùm malitia inobedientiæ, nisi opus esset aliunde præceptum. Alii autem Superiores censentur præcipere ex motivo illius virtutis, ad quam spectat materia præcepti. Ex his deduces sequentia.

1. Specie diversa peccata sunt hæresis,& omissio actûs fidei præcepti; desperatio, & omissio actûs spei; odium Dei, & amoris præcepti omissio. Idem dic de plerisque peccatis omissionis, & commissionis, quorum unum repugnat præcepto simpliciter affirmativo, & alterum simpliciter negativo. *Ratio est*, quia in iis reperitur diversa, & alterius rationis turpitudo, ùt expendenti patet. 347. *Exempla regularum.*

2. Desperatio & præsumptio, odium Dei, & proximi, scandalum formaliter & materialiter directum, & ab hoc etiam probabiliter indirectum.

3. Violatio personæ sacræ, & loci sacri.

4. Optare diversa mala proximo cum voluntate efficaci ea inferendi, si posses, specie diversa sunt peccata, ùt si jam mortem, jam paupertatem, jam infamiam optes. Si autem optes inefficaci voluntate, volens, ut eveniret aliunde, tendasque in rationem commu-

nem mali, imprecationes probabiliter ſpecie non differunt, utì nec triſtari de bono proximi, & gaudere de malo; quia unum in altero imbibitur.

5. Furta non differunt ſpecie ob diverſa bona fortunæ, quia hæc, cùm referantur ad idem commercium, uſumque humanum, ſunt moraliter eadem; rapina tamen, utpote inchoata violatio perſonæ, differt ſpecie à ſimplici furto.

6. Detractio, judicium temerarium, & contumelia differunt ſpecie; quia detractio famam etiam fundamentalem, contumelia honorem lædit, Judicium temerarium famam ſolùm formalem. Detractiones tamen (idem dic de contumelia & judicio temerario) ùt ſi dicas aliquem jam furem, jam injuſtum, jam impudicum, probabiliter ſpecie non differunt ratione materiæ; quia hæc inde malitiam habent, quòd lædant jus ad famam. Nec ſpecie differt in ordine ad Confeſſionem, ſi jam verum, jam falſum crimen reveles; quia mendacium non eſt grave ratione ſuî. Similiter ejusdem ſpeciei eſt diſcredere jam hunc, jam illum articulum fidei.

7. Injuria illata perſonæ parentum (quo nomine veniunt etiam avus & proavus, non tamen atavus) ſpecie differt ab injuria illata aliis, ùt occiſio, percuſſio, detractio, contumelia; quia repugnant pietati. Idem dic de injuria perſonali facta à parentibus liberis, à viro uxori, ab uxore viro, à fratre fratri aut ſorori. Facta aliis conſanguineis, non habet ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam; utì nec detractio facta Sacerdoti. Ità Lugo contra alios. Nec injuria illata benefa-

factori,

ctori, nisi esset atrox in benefactorem insignem; quia gratitudo est libera. Idem dic de furto, quo parenti vel fratri sua auferuntur, nisi ad inopiam sic redigerentur. Injuria facta Superiori, quà tali, differt specie; quia repugnat observantia; ùt si cum formali contemptu afficias contumeliâ, vulneres, &c.

8 Si occidens aliquem cadaver discerpat, vel cor evellat, contrahit speciem crudelitatis. Idem dicunt aliqui de eo, qui canem v. g. vivum assaret ad se oblectandum.

9. Injusta occisio, vel percussio personæ sacræ habet simul malitiam sacrilegii, utì & injusta percussio Laici in loco sacro cum atroci effusione sanguinis, secus, si fieret sine hac, etsi aliquot guttæ sanguinis funderentur: quia Canones loquuntur de percussione cum atroci sanguinis effusione.

10. Furtum rei sacræ, vel etiam profanæ ex loco sacro, in eo positæ per modum pignoris, depositi, mutui, commodati, speciem habet sacrilegii, secus, si res profana sit per accidens in loco sacro, ùt pecunia in sacco divitis in templo existentis.

Nomine loci sacri hìc veniunt Templum, Chori pensiles, Sacella intra Ecclesiam; non tamen Cœnobia. *Locus sacer.*

11. Violatio Jejunii per esum carnis, & violatio per multiplicem refectionem, diversæ sunt speciei; quia ille præcepto qualitatem, hæc præcepto quantitatem cibi temperanti repugnat. Quòd si quis ex voto, vel præcepto Confessarii simul teneretur ad Jejunium, nova accederet specie malitia.

12. Qui & non jejunus, & existens in mortali communicat, juxta Suar. duplicem,

juxta

juxta Lugonem unicam ſpecie malitiam contrahit. *Ratio* Suarez eſt, quia duo præcepta circa diverſam materiam violat: unum naturale præcipiens, ne Sacramentum cum irreverentia in Chriſtum ſuo fruſtretur effectu; alterum Eccleſiaſticum, quod ex reverentia vult cibum divinum corporali præferri. *Ratio* Lugonis eſt, quia præcepta illa ſunt ex eodem motivo, & circa eandem materiam: utrumque enim ex motivo Religionis prohibet, unum in mortali, & alterum à non jejuno Euchariſtiam ſuſcipi.

13. Sacerdos beneficiatus omittens Horas peccat juxta Suar. contra Religionem & Juſtitiam; juxta Sanch. & Caſtropalao contra Religionem tantùm. Partem autem fructuum tenetur reſtituere radicaliter ex præcepto Eccleſiæ, vi cujus illos non facit ſuos.

14. An peccata contra caſtitatem differant ſpecie, conſideranda eſt qualitas perſonæ, quæ, & cum qua, vel circa quam actus verſatur; objectum, in quod tenditur ultimatò, & quandoque locus, in quo admittitur, & reliquæ circumſtantiæ; nam ſi perſona peccans ſit voto obſtricta, copula, tactus turpis, &c. ſunt contra Religionem, vel fidelitatem, & ſacrilegium ſunt, ſi perſona ſit ſacra. Si perſona, cum qua peccatur, ſit conſanguinea, & affinis in gradu, in quo irritatur Matrimonium, eſt inceſtus repugnans pietati & reverentiæ, ſanguini debitæ. Si vis inferatur, eſt ſtuprum, repugnans Juſtitiæ ſimul. Si una perſona ſit conjugata, altera libera, eſt adulterium ſimplex: ſi utraque conjugata; adulterium duplex contra Juſtitiam. Copula illicita, vel pollutio in loco ſacro, uti eſt Eccleſia cum ſuis Sacellis, & Cœmiterio, ſepul-

pulchris destinato, non tamen campanile & sacristia, nec dormitorium Religiosorum; est juxta Lugonem sacrilegium, quod negat Vasq. si sit occulta. Si peccetur cum filia in Baptismo, vel Confirmatione, aut cum ejus matre, est incestus, ejusdem tamen speciei.

An incestus cum consanguineis, affinibus, conjunctis cognatione legali, differant specie; dubium est. Affirmant multi, quia debitum reverentiæ fundatur in diversa conjunctione. Negat tamen Lugo, Caj. ex S. Thoma. Negant quoque multi cum Diana, incestum in uno gradu conjunctionis ejusdem v. g. consanguinitatis differre specie ab incestu in alio gradu; eò quòd videatur turpitudo ejusdem rationis, etsi sit una alterâ major: sed aliis videtur turpitudo specie diversa, si filius cum matre, pater cum filia, frater cum sorore, consobrinus cum consobrina, patruelis cum sua patrueli peccet. Sed de his plura, ubi de castitate p. 2. à num. 188. Si pœnitens vovisset obedire Confessario, non obediendo, tantùm peccaret contra votum; quia Confessarius non habet jurisdictionem, vel potestatem præcipiendi, nisi quæ ad forum pœnitentiæ pertinent: potestas enim præcipiendi debet ab authoritate publica promanare.

QUÆS-

QUÆSTIO IX.

Quinam actus inhonesti sint peccata numero morali distincta, vel malitiam numero distinctam habeant in ordine ad Confessionem?

348. *Distincta specie, sunt numero distincta.* Certum est, quòd, ubi sunt actus inhonesti specie distincti, sit numero distincta malitia, in Confessione explicanda: nam cuivis prædicato specifico sua respondet individuatio. Certum quoque est, quòd coram Deo sint tot numero physicè distincta peccata, quot physicè distincta sunt exercitia libertatis contra legem: hinc, qui per horam fovet desiderium inhonestum, tot distincta physicè committit peccata, quot distincta physicè desideria elicit; verùm non omnes actus, qui coram Deo physicam pluralitatem faciunt, ùt plura numero peccata, in Confessione necessariò explicandi sunt; sed solùm quoad numerum moralem secundùm prudentem hominum æstimationem: quia enim nimis difficilè, imò sæpè moraliter impossibile homini est, physicum actuum suorum, præsertim internorum, numerum distinguere: hinc Christus Legislator sapientissimus, & clementissimus ferens legem confitendi speciem, & numerum peccatorum, accommodavit se infirmitati nostræ, voluitque nos tantùm obligatos ad confitendum numerum humano modo numerabilem, & nostro numerandi modo accommodatum. Unde resolvendum 1mò: Quando actus interni, physicè plures circa idem objectum, unum, aut plura faciant numero peccata, singulatim confiten-

fitenda ? 2. Quando actiones externæ complectant unum vel plura numero peccata ; 3. Quandonam idem actus plures habeat numero malitias, in Confessione explicandas?

Resp. 1mò. Actus merè interni physicè plures circa idem objectum faciunt plura numero peccata in ordine ad Confessionem, si absoluta efficax retractatio formalis, vel virtualis, & æquivalens, aut mora nimis longa intercedat ; secus unum tantum sunt numero morali peccatum. *Ratio 1mæ partis est*; quia tunc sunt plura libertatis exercitia, satis discernibilia, actusque priores censentur completi. *Ratio 2dæ partis est* ; quia, si nec retractatio talis, nec mora longa interveniret, censentur unum libertatis exercitium in æstimatione humana, secus plura : Nam 349.

Interruptio longa, & efficax retractatio multiplicat numerum moralem actuum internorum.

1mò. Si quis priorem actum retractaverit formaliter expressè nolendo efficaciter, & absolutè eum ultra continuare, is jam completus est, novoque opus est exercitio libertatis ad resumptionem ejus, quod proinde censeri non potest actus moraliter unus cum priore. Unde qui modò voluit grave damnum inferre proximo, & mox suæ perversæ voluntatis pœnitens eam formaliter expressè, & efficaciter retractat, ac dein resumit ; duo numero committit peccata, in Confessione explicanda; quia hoc modo satis sunt discernibilia : cùm quisque satis advertat, se ante positivè noluisse, & jam iterum positivè velle. Aliud foret, si voluntas tantùm fuisset retractata conditionatè, vel inefficaciter ; quia tunc habitualiter perseveraret, v. g. voluisti furari, & hanc voluntatem retractas sub hâc conditione, nisi majus emolumentum videatur secuturum, aut gra-

gravem molestiam debeas pati à Creditoribus. Item voluisti legere librum prohibitum; alius dissuadet, tu hæres suspensus, quid agas; dein resumis voluntatem, & legis: talis retractatio non multiplicat peccata.

2. Si quis priorem voluntatem retractet, virtualiter, quod fit, si animum convertat deliberatè ad aliquid cum priore voluntate incompossibile, non minùs videtur esse actuum moralis pluralitas, si voluntatem resumat, quàm si retractâsset eam formaliter. In exemplo: Odio ferebaris in Petrum: hic præstat tibi novum beneficium; tu vicissim ipsi exhibes sincerè signa communia amicitiæ: si dein resumas odium, novum facis numero peccatum; quia cum sinceris amicitiæ signis odium non potuit perseverare. Proinde si illud resumas, novum est libertatis exercitium, moraliter aliud à priore. Idem dicit Tannerus, si conatum tuum peregeris, vel ab eo cesses etiam imperfecto, & dein voluntatem resumas. Idem dicit Lugo, si hodie voluisti occidere Cajum, & hodie non exequaris voluntatem; hæc cessat cum hodiernâ die: sique cras eam resumas, novum numero peccatum facis, utì &, si voluisti occidere inimicum, pergensque ad locum, eum non invenias, & statuas dein occidere, ubi occasio erit. Atque idem est in aliis materiis. Dixi: *voluntatem priorem retractari virtualiter, si quis deliberatè animum convertat ad aliquid cum ea incompossibile*: Nam indeliberata distractio, vel actio, quæ stare potest cum priore voluntate, per se non facit actuum moralem pluralitatem circa idem objectum: ùt si quis turpe aliquid affectans mero casu distraheretur, & postea illam

illam voluntatem resumeret ; vel volens alium occidere, interim cum alio discurreret, v. g. de bello, & postea illam voluntatem post brevem moram resumeret ; quia mala voluntas per distractionem illam, vel discursum non interrumpitur moraliter.

3. Si mora satis notabilis inter actus merè internos physicè plures intercedat, meritò censentur carere morali unione actus etiam non retractati, ad constituendum unum moraliter actum : utì si hodie concepisti voluntatem furandi, & post dies aliquot eam renoves. Quæ autem mora in diversis materiis debeat intercedere inter actus physicè plures circa idem objectum, ùt sint plura numero morali peccata ; non potest unâ regulâ definiri, sed consideranda intensio actûs, natura occupationis, circumstantiæ. Cavendum autem, ne nimis laxè extendatur mora illa ad septimanas, menses, annos : aut nimis rigidè restringatur ad horas, vel horæ quadrantes : mediâ viâ hìc tutissimus ibis. Optimè faciet Confessarius, si jubeat pœnitentem explicare moram temporis, & consuetudinem, sæpè, aut non sæpè per diem, aut septimanam repetendi pravos actus v. g. odii in proximum &c. Sunt, qui putant, ad pluralitatem peccatorum internorum sufficere interruptionem actuum per somnum etiam indeliberatum, aut distractionem involuntariam ; verùm nisi actus saltem virtualiter retractetur, ità ut habitualiter non perseveret, aut mora nimis longa intercedat, ista unionem moralem actuum non tollunt ad constituendum actum, in hominum communi acceptione unum : ùt si quis volens furari incideret in

somnum, & evigilans illam voluntatem resumeret. Lugo de Pœnit. D. 16. n. 551. censet, si actus externè compleantur, etiam si prior esset retractatus; adhuc unum tantùm reputari peccatum, modò non nimia intercedat mora temporis, eò quòd tunc in opere satis uniantur ad constituendam unam moraliter actionem: Ut si quis die vetito comedat carnes: aut ex eodem iræ impetu sæpius percutiat alterum; & facti pœnitens statuat cessare, illato autem novo ferculo, vel novo convitio, pergat comedere, aut percutere. Meliùs Suar. censet, etiam tunc novum committi morali numero peccatum, nisi fuisset voluntas tantùm inefficaciter, aut conditionatè solùm retractata. Ratio data jam est supra.

350. *Actiones externæ, non minùs diu interruptæ, unum complent peccatum, si eundem finem principalem spectent.*

Resp. 2. Actiones externæ physicè plures, etsi diversæ, nec per retractationem, nec per moram nimis longam interruptæ, constituunt cum actu interno malo unum numero morali peccatum in ordine ad Confessionem, si ex natura vel institutione sua spectent ad eandem operis externi consummationem, tanquam media, dispositiones, aut complementa, & intendantur ex eodem fine principali. Nec sufficit quævis interruptio actionis externæ. Econtra constituunt plura numero peccata, quando de se non spectant ad unius operis peccaminosi consummationem, sed singuli de se complentur, vel de se ad eam spectantes diuturnè nimis interrumpuntur, vel non substant eidem moraliter actui interno. *Ratio est*, quia si contingat primum, faciunt unum moraliter actum cum actu principali, quem consummant; secus si contingat secundum. Dixi: *Nec sufficit quævis interruptio*; quia potest adhuc

adhuc ex iis conflari una moraliter actio totalis, sicut ex duabus partibus Sacri, mediâ Concione separatis, constituitur una Missa, & una constituitur Communio Sacerdotis, si sumptâ hostiâ sacrâ, distribuat Communionem populo, & dein sumat particulas reliquas in Ciborio. Una item turpis est confabulatio amasii & amasiæ, licèt aliorum interventu parum turbentur inter confabulandum, si postea sermones turpes resumant. Hinc deduco sequentia.

1mò. Qui optat hostem suum occidere, ideoque quærit arma, illum investigat, tandemque inventum occidit, unum numero committit peccatum, & satisfacit confitendo: occidi aliquem, exponendo tamen qualitatem personæ, v. g. an Sacerdos, an frater, conjugata fuerit. Si autem primùm intendisset solùm vulnerare, & dein, mutatâ voluntate, occidisset, duo forent numero peccata, singulatim explicanda; quia aliud malum est mors, aliud vulneratio, fuissentque duo illa mala intenta per actus, morali numero, & specie diversos. 351. *Corollaria.*

2. Si quis die jejunii intra tempus prandii carnes comedat, ex diversis ferculis, & si aliqua mora propter colloquium, adventum amici, &c. interveniat, unum numero morali peccatum facit, modò intentio non fuerit revocata; quia comestiones illæ unam moraliter refectionem constituunt.

3. Unicum numero peccatum committit, qui ex eodem æstu, vel impetu, & deliberatione alterum sæpius percutit, convitiatur, vel pejerat, detrahit, manendo in eadem materia; quia actus illi integrant unam injuriam

extensivè majorem, censeturque idem actus repeti. Idem est, ùt habet Aversa, si pluries eandem personam osculetur ex eodem affectu & impetu. Secus dicendum, si quis repeteret pollutiones, aut copulam etiam cum eadem persona; quia quævis ex his actionibus est completa & totalis; cùm una copula, vel pollutio subtrahendo semen, potiùs aliam impediat, quam integret, aut ad aliam ordinetur, atque ità sit ultimus terminus, non subordinabilis alteri, sicut plures occisiones. Secus est de osculis, percussionibus.

4. Qui in mortali existens plures pœnitentes successivè absolvit, etsi non interruptim, probabiliùs tot numero peccata committit, quot personas absolvit; quia, tot Sacramentalia judicia complet indignè; adeoque tot numero irreverentias committit. Idem dicunt multi de distribuente Communionem in mortali; quia Convivium sacrum respectu singulorum complet. Probabiliter contradicunt alii cum Lugone; quia absolutiones plures illæ unicum constituunt spirituale ministerium, sicut plures sententiæ à Judice, toto mane sedente pro tribunali, latæ unum constituunt judicium, quod dicitur Judex per eas exercuisse. Similiter distribuens pluribus Communionem, dicitur in uno Convivio spirituali ministrâsse; sicut pluribus serviens ad mensam dicitur uni mensæ ministrâsse. Fit quidem per singulas absolutiones, & distributiones injuria Christo, sed eadem censetur juxta illos repeti. Unde est extensivè major, & in Confessione explicari deberet juxta Lugo, quod pluribus Communionem, vel absolutionem dedisset in mortali.

5. Qui

5. Qui intendens copulam, fœminam turpiter tangit, osculatur, turpibus colloquiis allicit, fovet turpes delectationes, & tandem fornicatur; unum numero morali peccatum in ordine ad Confessionem facit: quia actus antecedentes ordinantur ad copulam, faciuntque cum ea actum moraliter unum. Unde satisfacit in Confessione exponendo copulam. At si actus illos non retulerit ad copulam, sed sine intentione copulæ sint admissi, dubium est. Vasquez, Lugo, Dicast. tenent, esse distincta peccata in Confessione explicanda, etsi copula dein sit secuta; eò quòd quando procedunt ex intentione copulæ, sint alterius speciei peccata, quàm si fiant sine illa intentione. Negant id probabiliùs Moya in selectis Tr. 3. D. 2. Q. 2. N. 2. Oviedo T. 2. Tr. 6. Contr. 5. Pu. 3. N. 63., si copula statim subsequatur; quia actus illi, utpote commoventes spiritus genitales, & semen ex natura sua ordinantur ad copulam, & ordinariè adest intentio interpretativa copulæ habendæ, si occasio esset, vel pudor, aut timor alterius mali non retraheret: nec intentio copulæ explicita mutat naturam actuum, adeoque nec malitiam magis, quàm implicita. Deinde delectatio, & desiderium copulæ antecedens distinguuntur specie, & tamen intellectâ copulâ satis intelliguntur. Aliud est de vulneratione sine intentione occidendi, & ipsâ occisione dein secuta; quia non quævis vulneratio per se ordinatur ad mortem saltem propinquè. Quòd si post habitam copulam, fiant tactus turpes & oscula, iterum dubium est, an faciant nova numero peccata in Confessione explicanda. Negat Lugo, eò quòd sint complementum

actûs prioris. Affirmat Suar. probabiliùs; quia sunt inchoatio novæ copulæ, quæ si intenderetur, certò nova essent peccata; uti & probabiliùs, si non intendatur explicitè; quia naturâ suâ ordinantur ad novam copulam.

6. Qui delectatur de osculis, tactibus, copulâ, vel ista facere desiderat eodem pravo affectu, unum numero morali peccatum facit, satisque est, si confiteatur delectationem vel desiderium copulæ: nam omnis voluptas concupiscibilis, inquit Card. Palavicinus in arte Christianæ perfectionis Cap. 8. pag. 235. provenit ab imaginatione vivaciore, aut obtusiore pravi finis, & actûs ultimi, ad quem naturà suâ tendunt omnes libidinosæ commotiones, sicut lineæ ad centrum magis aut minùs remotum.

7. Qui vult integrum officium hoc die omittere, probabiliùs unum numero peccatum committit; quia singulæ Horæ ordinantur ad complendum unum officium; si autem voluisset tantùm omittere Matutinum, & postea vellet quoque omittere Horas reliquas, videtur committere duo peccata; quia recedit à voluntate recitandi reliquas.

8. Qui pridie statuit, omittere die festo Sacrum, duo peccata committit, juxta Oviedo, si altero die illam voluntatem resumat; quia omissio necdum vesperi fuit prohibita: imò tot, quot sunt ante festum volitiones moraliter interruptæ, si nihil est, in quo volitiones illæ continuentur, & uniantur; si verò die festo mane statuat, omittere Sacrum, est unum numero peccatum, modò voluntas non fuerit retractata; quia à primo mane incipit peccare exteriùs per omissionem Sacri, illo die debiti,

&

& hæc omiſſio quaſi continuò producitur uſque ad tempus ultimum obligationem implendi, etſi ultimo, quo poterat Miſſa audiri, conſummetur omiſſio. peccat enim, quia toto mane non audivit Sacrum. Ità Oviedo. Aliud eſt, ſi antequam eſſet obligatio, ſtatuerit omittere; quia antè non incipiebat executio peccati, in qua potuerint illæ volitiones continuari: conſentiunt alii, ſi ſtatuens manè ipſo feſto omittere Sacrum, opus ſuſcipiat incompoſſibile cum auditione Sacri, v. g. venationem; ſecus tenent tot numero peccata committi, quot ſunt moraliter interruptæ, v. g. per ſomnum &c. volitiones.

9. Si quis injuſtè poſſideat rem alienam, & in voluntate illa retinendi perſeveret habitualiter, juxta Oviedum, Lugonem, Tann. Sporer, unicum peccatum committit, etſi longo tempore retineat; quia voluntas continuatur in retentione, pluresque volitiones repetitæ non reſtituendi, in ea uniuntur. Juxta alios tot peccata committit, quot ſunt volitiones ob moram temporis moraliter interruptæ. Si vellet jam reſtituere, & poſtea nollet, aut datâ occaſione non reſtitueret, novum peccatum committeret; quia voluntas bona retractaretur. Idem dicit Palao, ſi jam impotens reſtituere, poſtea fieret potens, & non reſtitueret; quia voluntas mala per impotentiam fuit interrupta, & poſtea reſumitur. Item ſi diu non cogitans de reſtitutione, poſtea recordaretur obligationis ſuæ, & nollet reſtituere. Tales pœnitentes expedit interrogare, quàm diu poſſederint rem alienam, aut neglexerint damnum reparare, an ſæpè iſtam voluntatem renovaverint, aut immemores fuerint obligationis

suæ, cùm Suar. Molina. Dicast. putent peccatum hìc multiplicari, si voluntas per somnum, aut omnimodam distractionem interrumpatur. Universim serviunt regulæ supra datæ, si attendas 1mò. An voluntas moraliter interrumpatur, aut retractetur, & dein resumatur, sicque de novo quasi ponatur omissio. 2. An omissio continuetur in aliquo exercitio libero. 3. An plurium actionum omissiones tendant ad eundem; vel diversos fines.

352. *Actus phisicè unicus plures sæpè habet malitias, in Confessione explicandas.*

Resp. 3. Actus malus licèt physicè unicus est moraliter multiplex numero peccatum, seu habet malitias moraliter plures in Confessione explicandas, quando tendit distributivè in plura numero morali objecta totalia, eâdem lege prohibita, quorum singula ad mortale sufficiant; secus malitiam moraliter unicam habet: nec, quod fortè repugnet legibus, vel præceptis solùm materialiter pluribus, præcisè ex eo plures malitias habet. *Prima pars* est communior cum Oviedo, Palav. Vasquez, Tannero contra Lugonem, Illsung, & alios, probaturque: nam quando actus physicè unicus tendit in objecta plura, specie morali objectivâ distincta, est multiplex specie peccatum, ùt fatentur omnes; & quando tendit in objecta ejusdem speciei moralis objectivæ, est unicum specie peccatum: ergo quando tendit in objecta plura totalia numero morali, est multiplex numero morali peccatum, secus si non sint plura totalia numero morali; quia sicut actus sumit ab objecto malitiam specificam, sic numericam. Sunt autem objecta plura numero morali totalia, si nullam inter se unitatem moralem, vel connexionem, aut subordinationem habeant, quâ ex natura sua,

vel

vel ex usu hominum ordinentur ad unum objectum totale integrandum ; unum verò numero morali , si referantur ad unum objectum totale integrandum. Sic quia oscula, tactus, amplexus unum cum copula integrant actum malum ; qui desiderat copulam, oscula, tactus committere, unum numero peccatum facit , etsi pluribus in continenti actibus id faceret : sicut enim actus externi physicè plures , ex una intentione finis principalis positi , facere possunt unam moraliter actionem , sic actus interni possunt facere unum moraliter actum , si subſtent intentioni unius finis principalis. Et hoc universaliter verum est, quoties desiderata media non habent malitiam completam specie diversam à malitia finis , seu actûs principalis. Econtra , quia unius & alterius bona , fama , honor non integrant bonum vel fortunas , famam , honorem unum ; qui tribus furatur , detrahit , contumeliam infert , unico etiam actu , tria numero morali peccata committit.

Dixi : *Quando tendit distributivè in plura objecta totalia :* nam si collectivè tendat , sumendo plura per modum unius corporis , vel collectionis , unum erit numero peccatum ; uti si oderit totam familiam , toti communitati malè precetur : quia tunc pravus affectus non in personas singulas , sed in communitatem ùt talem fertur , quæ est velut una moraliter persona , & hoc ipso , quòd quis à tali communitate se separaret , desineret esse objectum illius actûs , imò aliquis de communitate sæpè adhuc amatur ab eo , qui communitatem odit. Porro , ut actus censeatur ferri in communitatem ùt talem, & unicum esse peccatum , debet exercitè & signatè tendere in multitudinem ; non verò in singulos, nec

353. *Secus si tendat actus in plura collectivè.*

lædere jura particularia singulorum; sed unicum communitatis, quà talis. Unde si quis Monasterio detraheret, infamiâ redundante in singulos, tot peccata committeret, quot distinctè personas cognosceret: ùt si diceret, omnes esse adulteros, esse potationibus deditos, familiam habere originem ab adulteris, furibus &c. Imprecatio dira faciliùs cadit in communitatem, quà talem, quàm detractio; ejus autem signum est, si non fuisset imprecatus singulis, si non essent de illa communitate. Idem locum habere potest in aliis materiis.

354. *Præcepta tantùm materialiter plura non inducunt numerũ malitiæ in eundẽ actum.* *Pars 2da*, quæ est contra Arriagam, & respectivè paucos alios, probatur: quia, sicut specifica peccatorum distinctio non desumitur à præceptis solùm materialiter diversis: cùm non afferant speciè diversam obligationem; sic nec numerica distinctio desumitur à præceptis solùm materiali numero diversis: cùm distinctam numero obligationem non afferant, sed faciant præceptum moraliter unum. Aliud foret, si præcepta essent formali numero diversa, utì sunt, quando versantur circa jura ejusdem rationis morali numero distincta, ùt sunt, Jus Petri ad sua, & Jus Pauli ad sua, &c. quia præcepta, quæ vetant ista lædi, afferunt distinctam numero obligationem, id quod præsumendum non est, quoties objectum est idem numero morali, & ratio singularis non est, id, quod jam ante prohibitum, vel præceptum fuit, ex alio fine prohibendi, vel præcipiendi: ubi enim hæc ratio cessat, novum præceptum, vel lex novam inducens obligationem moraliter distinctam potiùs in communitatis detrimentum, quàm emolumentum vergeret; quia sine rationabili causa occasionem præberet peccati duplicis, ubi aliàs esset unicum, sicque

ſicque lex vel præceptum non eſſet in bonum ſubditorum quoad obligationem alteram. Unde ſi Pater & Mater, vel ſuperior Eccleſiaſticus & civilis idem ex eodem motivo præcipiant, transgrediens præceptum, unam tantùm contrahit numero malitiam. Dixi: *Præcisè ex eo*: quia, ſi adeſſet formalis contemptus, vel ſpecialis irreverentia contra v. g. patrem, & matrem, idem præcipientes, poſſet eſſe duplex malitia: cùm contemptus formalis, non verò virtualis, perſonas reſpiciat. Hinc reſolves

1mò. Qui uno actu dubitat circa tres articulos fidei, aut eos negat, aut culpabiliter eos ignorat, unum tantùm committit peccatum: quia in mente ejus eſt objectum unicum magìs falſum, vel magìs dubium, aut ignoratum, conſequenter ſatisfacit in Confeſſione dicendo: ſemel dubitavi in fide, vel ſemel diſcredidi Dei revelationi. Et hinc ſi circa tres res diverſas interrogatus, poſtea omnes uno actu falſo juret, unum numero peccatum committit.

2. Qui uno actu blaſphemat in tribus materiis diverſis, v. g. dicendo: Deum eſſe injuſtum, infidelem, ignorantem, probabiliter unum numero peccatum, etſi gravius committit; ſicut &, qui uni detrahit, vel eum calumniatur in diverſis materiis, ut docet Lugo, Dicaſt. & alii; quia perfectiones Divinæ conſtituunt unum ens perfectiſſimum, & famæ bonæ diverſæ, v.g. in materia caſtitatis, juſtitiæ, ſobrietatis videntur conflare unam famam majorem; ſed ſententia oppoſita videtur probabilior: quia ex eo, quòd Deus eſſet injuſtus, non ideo eſt infidelis, vel contra; nec ex eo, quòd quis ſit commendabilis à caſtitate, etiam commendabilis eſt à juſtitia, adeoque fama bona in una materia non videtur augere 355. Corollaria.

gere famam in altera; sicut existimatio bona apud unum non auget bonam existimationem apud alterum. Et hinc, qui uni detrahit coram tribus, probabiliùs tria peccata committit, id quod tamen multi etiam probabiliter negant.

3. Qui odit tres homines tria peccata committit: quia displicent tria diversa bona, & tria mala, quæ diversas personas afficiunt, non possunt constituere unum malum.

4. Si quis eidem optat quatuor mala, v.g. paupertatem, infamiam, mortem, æternam damnationem, sunt quatuor peccata specie etiam distincta, si diversitas specifica mali apprehendatur, & ùt talis optetur. Similiter, qui decem uno actu scandalizat, decem peccata committit; quia unius ruina spiritualis non facit unam cum ruina alterius.

5. Si quis uno actu occidat plures, auferat rem gravem à pluribus, unico actu concupiscat plures fœminas, tribus festis velit omittere Sacrum, vel Horas Canonicas, non jejunare totâ Quadragesimâ, tot sunt peccata, quot sunt personæ, vel dies. Si tamen uni velit auferre tres ducatos, vel equum, frumenta, &c. unum esset numero peccatum: quia hæc respectu unius apta sunt constituere unam majorem opulentiam, & actus in ea fertur collectivè sumpta.

6. Qui furatur hæredibus, vel communitati, unicam contrahit malitiam, utì &, qui furatur Monasterio, aut malitiosè impedit plures habentes jus cumulativum, præsentandi ad beneficium; quia lædit jus unicum indivisum.

7. Qui uno actu absolvit, vel baptizat tres homines indignè, probabiliter tria peccata committit secundùm dicta. Probabilis etiam est sententia opposita: quia Christo fit irreverentia,

non

non Sacramentis. Contra, qui indignè uno actu consecrat plures hostias, committit peccatum unicum; quia omnes habent se per modum unius hostiæ istius Sacrificii.

Dices 1mò. Qui pluribus uno actu vult benefacere, v. g. eleëmosynam dare, non contrahit plures honestates. Ergo à pari. 2dò. Unus physicè actus non potest esse multiplex peccatum, quia concreta accidentalia non multiplicantur, nisi multiplicato recto. 3tiò. Qui furatur tres ducatos uni, unum numero peccatum facit, facturus tria, si actibus diversis moraliter interruptis id faceret; ergo, qui uno actu tribus furatur, unum peccatum facit, etsi tria faceret, si diversis actibus furaretur. Hæc sunt fundamenta sententiæ oppositæ. 356. *Fundamenta sententia contraria.*

Resp. *ad 1mum.* Qui vult uno actu pluribus benefacere, participat plures bonitates, si singulas intendat, seu operetur, quia honestas est in beneficio singulis præstando; secus, si confusè, ùt communiter fit, tendat: quia honestum est benefacere proximo: nam honestas, ut participetur ab actu, debet intendi in se; ut autem participetur inhonestas, satis est, quòd sit cognita, & objectum, cui inest, ametur. Cæterum, sicut, qui vellet omnia possibilia peccata committere, vel infinitos homines occidere, non contraheret infinitas specie malitias, vel circumstantias aggravantes: quia actus esset inefficax, & tenderet collectivè in objecta utpote propositâ cognitione improportionatâ, & confusâ objecti impossibilis, sicque intenderet tantùm malitiam generalem sine respectu ad singula objecta; ità pariter, qui vellet totum mundum convertere, vel infinitis dare eleëmosynam, non participaret infinitas honestates: quia cognitione con-

confusâ propositas, & affectu inefficaci intentas.

Ad 2dum. Actus physicè unicus potest esse moraliter duplex numero, sicut potest esse moraliter duplex specie, prout sunt objecta, in quæ tendit; hìc autem actus consideratur secundùm esse morale.

Ad 3tium. Tres ducati spectantes ad unum faciunt unam majorem opulentiam ejus; non verò spectantes ad diversos faciunt unius majorem opulentiam.

Restat explicandum, quomodo peccata talia
357. sint explicanda in Confessione. Qui tenent cum Suar. in uno actu non posse esse plures numero malitias, in Confessione verò explicandas esse circumstantias notabiliter aggravantes, tenent eum, qui tribus detraxit, v,g. aut tres uno actu occidit, debere exponere numerum personarum: quia adsunt circumstantiæ notabiliter aggravantes; qui verò tenent, nec circumstantias aggravantes esse necessariò per se confitendas, nec plures esse in eodem actu malitias; tenent, non necessariò explicandum esse numerum personarum; quod Lugo verum putat, dato etiam, quòd plures in eodem actu sint malitiæ; eò quòd non omnis individualis malitia sit necessariò confitenda. Putat hic, fundamentum hujus haberi in Trid. Sess. 14. Cap. 5. ubi docet, Speciem & Numerum peccatorum in Confessione explicandum esse, & non meminit, quòd circumstantiæ & objecta, Numerum malitiæ multiplicantia; sint explicanda: ex quo, sicut multi arguunt, circumstantias intra eandem speciem aggravantes, non necessariò confitendas esse; sic consequenter infert, nec Numerum malitiarum in eodem actu explicandum esse; negat tamen cum aliis, satis esse, in

Quomodo plures malitiæ in eodem actu confitendæ?

in Confessione dicere, si actus tetenderit in plures personas, vel contra plurium Jura; semel detraxi, commisi homicidium, habui desiderium fornicandi, sed exprimere debere pluralitatem, saltem in confuso, v. g. dicendo: Detraxi uno actu pluribus, unâ explosione occidi plures, &c. quia aliàs excluderet pluralitatem personarum, vel objectorum, sicque non confiteretur suum peccatum, sicut, si excluderet circumstantias aggravantes, v. g. qui furatus centum diceret: furatus sum decem. Sententia Lugonis servire poterit, ubi difficulter Numerus malitiæ in uno actu haberi potest. Cæterum non video, si in uno actu non sint plures Numero malitiæ; vel vera sit doctrina relata Lugonis, cur, qui pluribus detraxit, furatus est, non satisfacit dicendo: Commisi gravem detractionem, grave furtum: in illa enim sententia non est ratio, cur potiùs Confessarius apprehendat, injuriam factam esse uni, quàm pluribus: cùm sit unica malitia, & verba non magìs unum, quàm alterum significent. Et idem est, si conjugatus cum conjugata commisisset adulterium: cùm juxta illos unica sit malitia Numero. Unde dicendum videtur, quod si personæ plures, vel jura plura fuerint distincta in mente peccantis, eorum Numerus determinatus sit explicandus; si verò confusè fuerint apprehensa, satis sit dicere: Pluribus detraxi, dedi scandalum uno actu, &c. quia peccata explicanda sunt, ùt fuerant in conscientia peccantis. Quòd si diceret simpliciter: Pluribus detraxi, intelligeret Confessarius, id factum per diversos actus. Denique rectè monet Haun. circa distinctionem specificam, & Numericam peccatorum plus tribuendum esse judicio naturali, sensui communi prudentum, quàm scrupulosæ speculationi Scholasti-

lasticorum. Id quod maximè in materia lubrica est notandum, in qua examen scrupulosum facilè erit scandalo. Ex dictis

358. *Synopsis dictorũ.* *Colliges*, Interroganti, unde colligitur distinctio Numerica peccatorum? Rectè responderi: à legibus vel præceptis numero morali formaliter diversis; sunt autem præcepta numero morali formaliter diversa, quæ circa idem objectum distinctam numero important obligationem. *Si quæratur:* Quando important Præcepta distinctam Numero morali obligationem? Resp. Quando sunt circa objecta ejusdem rationis totalia, Numero morali distincta, aut fit actuum moralis interruptio; secus non important Præcepta obligationem distinctam Numero morali. *Si quæratur:* Quandonam sunt objecta totalia Numero morali distincta, & fit interruptio moralis actuum? Resp. Objecta totalia sunt, si nec ex natura sua, nec ex usu hominum referantur ad eundem finem, vel integrandum unum objectum, vel actum, sed habeant in se suas rationes completas, ùt fama, opulentia, vita unius hominis, & alterius, unum, & alterum homicidium, una, & altera Missa, Communio, Confessio, Jejunium; si autem referantur ex natura sua, vel usu hominum ad eundem finem, vel integrandum eundem actum, vel objectum, possunt esse unicum objectum totale, ùt bona fortunæ ejusdem hominis &c. fit autem interruptio moralis actuum, tum per contrariam voluntatem, seu retractationem formalem, tum per retractationem virtualem, & interpretativam, tum per cessationem voluntariam ab actu, & ejusdem interruptionem non nimis brevem.

QUÆS-

QUÆSTIO X.

Quænam peccata ſint graviora?

Reſp. Univerſim ea peccata ſunt graviora, quæ repugnant legibus, vel præceptis, hìc & nunc gravius obligantibus: ſicut enim malitia deſumitur per ordinem ad legem, ſeu regulam obligantem, cui peccata repugnant; ſic malitia gravior deſumitur per ordinem ad legem, magis obligantem. At verò, quando lex hìc & nunc gravius obliget, non unâ regulâ definiri poteſt, ſed ex variis id colligendum eſt. 359. *Ex variis colligitur.*

Ac 1mò quidem ex objecto: ex hoc enim primaria ſpecifica malitia in actum derivatur, ut proinde eò major ſit peccati malitia primaria, quò objectum, cui opponitur, melius, & dignius eſt, magiſque inordinatus eſt tendendi modus, quo opponitur illi: peſſimum enim eſt, quod opponitur optimo; cùm oppoſitorum eadem ſit ratio.

2dò. Colligendum eſt ex circumſtantiis objectivis, quibus peccatum opponitur: cùm enim ab his in actum moralem refundatur malitia ſecundaria, quò illæ erunt meliores & digniores, eò major refundetur malitia in actum illis oppoſitum. Quæ ſint illæ circumſtantiæ, dixi ſuprà n. 37.

3tiò. Ex circumſtantiis formalibus, ùt eſt duratio, extenſio actûs, libertas major.

4.ò Ex eò, quòd magis repugnet rectæ rationi; hæc enim proponit legem, ejuſque vim obligandi majorem intimat.

5tò. Advertendum, an majus afferat detrimentum cultui divino, bonis animæ, corporis, vel

vel fortunæ proximi, vel propriis: quò enim id majus erit, eò majus ex hac parte erit peccatum.

6tò. Cui virtuti opponatur; quò enim virtus nobilior est, eò, cæteris paribus, gravius est peccatum, quod illi directè opponitur, aut modo magis contrario, excluditve actus virtutis nobiliores. *Ratio est*; quia, cùm contraria sint circa idem, sicut virtus nobilitatem desumit ex objecto, ità ab eodem suam malitiam desumit peccatum, consequenter peccatum est eò gravius, quò nobilior est virtus, cui adversatur.

Virtus autem nobilissima est 1. Charitas, utpote pro objecto habens Deum summum bonum, eumque prosequens propter se super omnia. 2. Fides, quæ Deo, primæ veritati revelanti, in obscuris ex pia affectione intellectum subjicit. 3. Spes, quæ Deum prosequitur, ùt bonum, finemque ultimum nostrum. Has dignitate sequuntur virtutes morales reliquæ, inter quas primæ videntur Religio, pœnitentia, & obedientia, &c. quæ, pro objecto indirecto immediatè magis habent Deum: Religio enim Deo, ut infinitæ excellentiæ, defert cultum; Pœnitentia eidem cooperatur ad destruendam ejus offensam; Obedientia conformat se ejus imperio, &c. Has sequitur prudentia, quæ intellectum, & reliquas virtutes morales dirigit, ideoque à S. Thoma prima post virtutes Theologicas ponitur. Prudentiam sequitur Justitia, quæ bonum commune magis attendit; tum fortitudo, quæ animum, demum temperantia, quæ appetitum sensitivum, & motus corporis moderatur, & simili modo procedunt virtutes his subjectæ.

Dixi 1. *Cæteris paribus*; quia malitia non solùm

solùm desumitur ex oppositione cum virtute, sed, ùt dixi, ex complexione omnium, ex quibus augeri potest. Dixi 2. *Per se*, seu ex natura sua: nam, quæ opponuntur nobiliori virtuti tantùm ex præcepto positivo, non ideo graviora sunt. Sic laborare serviliter die festo, etsi opponatur Religioni, minus tamen peccatum est, quàm homicidium Dixi 3. *Directè*, id est, quæ sunt circa idem cum virtute objectum: nam, quæ nobiliori virtuti opponuntur indirectè, possunt esse minora peccata, quàm quæ minùs nobili opponuntur directè. Sic ira, discordia, quæ repugnant charitati per se, sunt minora peccata, quàm homicidium; quia opponuntur charitati secundùm extensionem: quo enim virtus est perfectior, eò magìs hominem elongat à peccatis.

Porrò, ut hæc regula teneat, debent peccata commissionis, nobiliori virtuti opposita comparari cum peccatis commissionis virtuti minus nobili oppositis, & peccata omissionis ex una cum peccatis omissionis ex altera parte, & demum considerari omnia, ex quibus malitia augeri, vel imminui potest: nam omissio actûs fidei, hìc & nunc præcepti, minus esse potest peccatum, quàm adulterium, vel homicidium.

Hinc 1. Gravissima sunt peccata, quæ directè opponuntur Deo, seu divinæ alicui ejus perfectioni, ut odium Dei, infidelitas positiva, desperatio, blasphemia, perjurium; hæc enim opponuntur summo bono secundùm se. Opponuntur quidem Deo peccata mortalia omnia, at quæ feruntur in alia objecta, v. g. ob delectationem, vel utilitatem, Deo solùm opponuntur indirectè, quatenus ob voluptatem Deus vilipenditur exercitè, & lex ejus negligitur. 360. *Corollaria.*

2. Sacrilegium, cæteris paribus, gravius eſt peccatum, quàm furtum, detractio, contumelia; contumelia peccatum gravius, quàm detractio, & hæc gravius, quàm furtum; quia per ſacrilegium res ſacra, per contumeliam honor, per detractionem fama, per furtum bona fortunæ violantur; eſt autem res ſacra dignior cæteris, honor majus bonum, quàm fama, & hæc majus, quàm bona fortunæ.

3. Majus peccatum eſt odium Dei, quàm omiſſio amoris præcepti: hæreſis, quàm dubium negativum in fide, aut ignorantia culpabilis objecti credendi; quia magis contrario modo, & cum majori detrimento cultûs divini opponuntur priora Charitati & Fidei.

4. Gravius peccatum eſt homicidium, quàm fornicatio: hæc gravius, quàm tactus impurus, aut furtum, aut negatio debiti conjugalis: nam homicidium opponitur vitæ hominis jam nati, fornicatio hominis naſcituri, negatio debiti conjugalis tantùm juri ad actum illum, qui facilè aliàs reſtituetur, & minùs obeſt.

5. Gravius peccatum eſt delectatio turpis, ſi fiat cum majore libertate, intenſione, duratione, quàm quæ cum minore. Item, cæteris paribus, quod repugnat pluribus virtutibus, quàm quod uni tantùm. Sic gravius eſt furtum rei ſacræ, quàm profanæ, adulterium, quàm fornicatio. Item, quod violat duplex bonum, quàm quod unum. Sic gravior eſt rapina, quàm ſimplex furtum; quia illa eſt inchoata ſaltem perſonæ violatio.

QUÆS-

QUÆSTIO XI.

Quale ſit peccatum ſe exponere periculo, aut occaſioni peccandi, aut ea non vitare, vel non deſerere?

Nota ſequentia. 1. Periculum peccati eſt aliquid inclinans, vel alliciens ad peccatum, ùt pravus habitus; occaſio autem peccati eſt circumſtantia extrinſeca alliciens ad peccatum, ùt converſatio liberior cum altero ſexu. Unde poteſt quis eſſe in periculo peccati, nec tamen eſſe in occaſione; at, qui eſt in occaſione, ſimul eſt in periculo; ſic qui contraxit pravum habitum v. g. luxuriæ; qui habet vehementem iræ paſſionem, eſt in periculo peccati etiam extra extrinſecam circumſtantiam allicientem; aſt qui liberiùs converſatur cum altero ſexu, eſt in periculo & occaſione. 361. *Quid ſit periculum, & occaſio peccati proxima, & remota?*

2. Occaſio & periculum aliud eſt remotum, aliud propinquius, aliud proximum. Remotum eſt, quod vim non habet alliciendi ad frequentem lapſum, ſed hic potiùs ex fragilitate quandoque ſequitur. Periculum vel occaſio propinquior, quæ etiam communis & remota dicitur, eſt, quæ multos quidem per accidens allicit ad lapſus in peccata frequentia, poteſt tamen mediocriter timoratus peccata formalia cum ordinaria Dei gratia haud adeo difficulter vitare: talis occaſio eſt militia, mercatura, officium Judicis, Advocati, &c. Et hanc occaſionem, utì remotam, per ſe loquendo, non tenemur vitare: aliàs, ùt Apoſtolus ait, debuiſſemus ex mundo exire, & ceſſarent officia, negotiatio, & alia Reipublicæ neceſſaria. Periculum proximum & oc-

casio proxima est, cui talis inest vis alliciendi ad peccatum, ut quemcunque, qui ei se committit, plerumque pertrahat in frequentes lapsus, & hoc dicitur periculum, vel occasio absolutè per se, & intrinsece, & respectu omnium proxima, ùt aspectus fixus, & diuturnior rei valde turpis, tripudia juvenum cum puellis, in quibus fiunt amplexus, inverecundi gestus, aspectus fixi, & liberiores, conversatio frequens cum turpiloquis; si autem non plerumque omnes, sed unum vel aliquos ob specialem fragilitatem, inveteratam consuetudinem pertrahat ad frequentes lapsus, dicitur occasio proxima per accidens, & respectivè talis: qualis respectu alicujus esse potest colloquium cum muliere perditè amatâ.

3. Periculum proximum, si retineat vim suam pertrahendi in frequentes lapsus, dicitur formale proximum; si autem vim illam in se quidem retineat, attamen hìc & nunc ob specialem subjecti dispositionem non soleat conjungi cum peccato, vel vis ejus per specialia media imminuatur, ut meritò credatur cum peccato non conjungendum; dicitur periculum proximum materiale. Quòd si credatur cum peccato esse certò conjungendum, dicitur periculum formale proximum certum; si verò judicetur non quidem certò, sed probabiliter tamen cum eo conjungendum esse, erit periculum formale proximum probabile tantùm; si denique citra motivum prudens quis timeat, vel suspicetur lapsum futurum, erit periculum leve, & hoc contemni potest animo contra obfirmato.

4. Periculum est moraliter vitabile, si sine peccato & gravi incommodo vitari possit; inevitabile autem moraliter, si sine gravi malo

vi-

vitari nequeat, quod subire superet vires humanas respectivè ad talis conditionis homines; tale malum est mors, & quod morti in æstimatione morali æquivalet. Denique, si periculum per vires naturæ omninò superari non possit, erit physicè inevitabile, ùt, si quis cum persona perditè amata esset eidem inclusus carceri. His notatis

Resp. 1. Peccat pro quantitate materiæ mortaliter, vel venialiter imò, qui se exponit, vel inhæret periculo formali proximo, vel occasioni peccati, & quidem peccat peccato ejusdem speciei, & malitiæ Numericæ, cujus se periculo exponit. *Ratio est;* quia, qui vult tale periculum, censetur in illo, velut in causâ, velle peccatum, estque hoc periculum præsens malum animæ. Unde dicitur Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et Innoc. XI. damnavit hanc 62. *Occasio proxima peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi, occurrit.* Et 63. *Licitum est, directe quærere occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* 362. *Peccat se exponens periculo certo proximo peccādi.*

Dixi: *Periculo formali proximo:* nam remotum & propinquius in dicta acceptione non vitare, per se, illicitum non est: propriè enim periculum non est, quòd censeatur præsens malum animæ, & idem est de levi. Hinc licitè potest quis militiam sequi, Mercatorem, Advocatum agere. 363.

Resp. 2. Similiter peccat, qui se exponit determinato periculo formali proximo probabili, vel manet in occasione tali, in qua probabiliter est peccaturus, saltem si hæc moraliter sit vitabilis. *Ratio est;* quia tale periculum *Imò & probabili, moraliter vitabili, & determinato.*

culum eſt præſens malum animæ ob vim alliciendi in peccatum. Unde, ſicut nemo prudenter admittere poteſt tale malum corporis, ex quo probabiliter ingens malum eſt ſecuturum, niſi ratio gravioris mali, aliàs certò ſubeundi, ad id compelleret; ità multò minùs poteſt admittere tale malum præſens animæ, pro quo admittendo nulla ratio prudens eſſe poteſt.

Dixi: *Saltem, ſi hæc ſit moraliter vitabilis;* nam, ſi foret inevitabilis, fieretque periculum, ex proximo formaliter, remotum, vel materiale, illi ſe exponens excuſari poteſt à peccato ſecundùm dicenda.

364. *Etſi eſſet periculum peccati tale indeterminati.* Reſp. 3. Similiter peccat, qui exponit ſe periculo formali proximo determinato peccati alicujus indeterminati; quia vellet peccatum in communi cum indifferentia ſive hoc, ſive illud eſſet inde conſecuturum, quod majus malum eſt.

Dixi: *Periculo formali proximo determinato:* nam non eſt obligatio vitandi periculum, vel occaſionem communem non determinatam ad peccatum, etiam indeterminatum. Sic ex eo, quod quis meritò timeat, quòd ſæpiùs ſit peccaturus graviter, ſi maneat in ſæculo, vel exerceat Mercaturam; quam ſi iniret religionem, aut aliud officium ſuſciperet; non peccat præcisè ex eo, quòd maneat in ſæculo, aut mercaturæ ſe addicat; quia illa eſt occaſio & periculum commune, poteſtque, ùt dixi, Deum timens peccata formalia in mercatura vitare, & periculum remotum reddere, cùm hoc proveniat ex inordinata cupiditate, & aliis ad mercaturam impertinenter ſe habentibus. Videri poteſt Lugo de Pœnitentia D. 15. S. 4.

365. *Secus, ſi* Reſp. 4. Si periculum formale proximum peccati gravis ex occaſione inevitabili haud ità diffi-

periculum facilè possit fieri, & velit facere materiale, & remotum.

difficulter possit fieri materiale, & moraliter remotum, non peccat se illi exponens; tenetur tamen sub mortali in eo constitutus, periculum reducere ad materiale, & moraliter remotum. Est communis & certa teste Viva in damnatam 41. ab Alexandro VII. *Ratio 1mæ partis est:* quia nemo tenetur ad impossibile etiam moraliter, si aliter peccatum vitare possit, & periculum peccandi non est peccatum, neque tunc voluntarium, sed potiùs homo id patitur. Et ratio à priori est: quia lex tunc obligans ad id vitandum potiùs cederet in detrimentum reipublicæ humanæ, quàm in utilitatem. *Ratio 2dæ partis est;* quia nulli ex quacunque causa licet se exponere periculo formali proximo peccati: cùm hoc sit velle peccatum. Proinde tenetur id tollere, seu vim alliciendi elidere, aut, quantum satis est, infirmare, quod est facere materiale.

Si periculum non facilè tolli possit, occasio facilè vitabilis, est deserenda.

Resp. 5. Si occasio externa cum cæteris constituens periculum formale proximum peccati 366. gravis possit sine valde gravi incommodo tolli, per se loquendo, peccat graviter illam non vitans, aut deserens, præsertim, si periculum difficulter possit fieri remotum. Est communis contra Joannem Sanchez. Colligitur ex damnata 41. ab Alexandro VII. quæ sic habet: *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectationem Concubinarii, vulgò regalo, dum, deficiente illâ, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia ancilla nimis difficilè inveniretur.* Et *Ratio est:* quia periculum est voluntarium, quando non adest moralis impossibilitas illud vitandi, ùt constat ex damnatis 62. & 63. supra relatis. Unde dicitur Matthæi 18. *Si oculus tuus scandali-*

dalizat te, erue eum, & projice abs te. Id eſt, ſi ea, quæ maximè diligis, & pro oculis habes, ſint tibi cauſa ruinæ ſpiritualis, abjice à te: *Melius enim eſt cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Dixi in reſponſione 1mò. *Per ſe loquendo:* quia, ut ſit tunc obligatio vitandi occaſionem, 1mò debet illius vitatio tollere probabilitatem peccati futuri, aut ſaltem minuere certitudinem: 2. debet, manente occaſione peccatum probabiliter eſſe futurum: 3. debet vitatio occaſionis non inducere in majus periculum peccati, quàm ejus retentio, nec debet eſſe difficilius vitare peccatum ſublatâ occaſione, quàm eâ retentâ; quia lex naturæ jubet vitare occaſionem, ut minuatur periculum. Proinde, ſi hoc non fiat, non obligat, quanquam tunc obliget, ut fiat periculum remotum. Hinc Confeſſarius, antequam jubeat deſerere occaſionem, attendat, an inde non ſequantur plura peccata; aut non faciliùs ſit perſuadere, ut pœnitens efficacia adhibeat media, & ſe emendet, quàm ut occaſionem deſerat, ubi valdè difficulter deſeri poteſt. Dixi 2. *Præſertim, ſi periculum difficulter poſſit fieri remotum*, uti ſi occaſioni conjuncta ſit vehemens paſſio, vel habitus v. g. iræ, luxuriæ, avaritiæ valdè inclinans; quia tunc cum ordinariis gratiis actus boni non niſi valdè remiſſi, & tepidi elici poſſunt; extraordinarias autem gratias expectare is non poteſt, utì poteſt, qui eſt in occaſione ex neceſſitate. Hinc ordinariè periculum, manente occaſione, non poteſt fieri remotum. In cæteris autem, ubi non eſt paſſio vehemens, nec habitus valdè intenſus, nec tentatio multùm urgens, poteſt quandoque propoſitum firmum ſufficere, ut periculum-

riculum fiat remotum, utì, si quis per conversationem cum amico aliquoties omiserit Sacrum. Cæterùm vitanda est occasio, ne anima, toti mundo præferenda, pereat.

Resp. 6. Qui nullo modo potest facere, ut cum occasione externa non sit conjunctum periculum proximum peccandi, peccat, si illam non deserat, vel vitet, etsi non posset, nisi cum jactura omnium bonorum, fortunæ, famæ, & vitæ. Itá nunc communior, & probabilior contra Lugonem de Pœnit. Disp. 14. N. 132. Castrop. Palav. Oviedo, Gobat, Sporer de Sacram. N. 327. *Ratio est*: quia velle tale periculum est velle peccatum, quod homo cum jactura vitæ tenetur vitare. Dein vitatio tunc est medium unicum necessarium ad vitandum peccatum; ergo est obligatio illud adhibendi. *Nec dici potest*, quòd tantùm permittat peccatum; quia nemo tantum permittere potest suum peccatum: *Nec* juvat moralis impossibilitas: quia cum ea stat libertas ad peccatum sufficiens, ùt patet in eo, qui deberet mori, nisi mentiretur. *Nec* lex illa, utì nec lex nunquam mentiendi, ideo inutilis est; quia licèt, ubi est moralis impossibilitas eam servandi, plures eam essent transgressuri, quàm servaturi; obligatio tamen vitandi occasionem proximam peccandi, & nunquam mentiendi plus boni affert, quàm ejus negatio: quia casus moralis impossibilitatis rarus est: & si leges illæ in aliquo casu non obligarent, facilè sibi homines fingerent casus, in quibus sibi persuaderent moralem impossibilitatem: unde damna sequerentur plurima. Lex esset inutilis, si haberet pro objecto, quod esset obvium, vel frequens, simulque moraliter impossibile.

367. *Si periculum formale & proximum non possit fieri remotum deserenda est occasio etiam cum jactura omnium hujus mundi.*

Colli-

Colliges. Qui ſcit experientiâ , quòd ſoleat
368. mortaliter peccare deſiderio,vel cogitatione aut
Corollarium. opere, quando loquitur cum certa puella, converſatur cum certo ſocio, adit certas ædes, bibit ad rationis aliquam turbationem , &c. peccat mortaliter, quoties iſta repetit, etſi tale peccatum re ipsâ non faceret ſemel, & iterum, nec poteſt abſolvi, niſi iſta vitet. Excipe, niſi eſſet neceſſitas tale quid repetendi , & jam ſic obfirmâſſet animum, & ſe Deo conjunxiſſet, ut meritò judicaret, ſe non peccaturum. Idem eſt de aliis v.g. Confeſſario, Medico, Chirurgo, ſi experientiâ ſciant, quòd audiendo , medendo, ſoleant peccare.

CAPUT II.

De peccato mortali, & veniali.

QUÆSTIO I.

Quænam ad mortale, & veniale peccatum requirantur?

369. *Nota* 1. Peccatum mortale eſt averſio à Deo
Mortale, & veniale qualis à Deo receſſus. ſimpliciter ; quia Deus non habetur amplius pro fine ultimo, ſed hic ponitur in creatura ùt fine. Et hinc eſt contemptus, & offenſa Dei ſimpliciter. Veniale eſt averſio à Deo & offenſa ſecundùm quid tantùm : quia per id receditur à Deo, ùt Legislatore in mediis non neceſſariis, & diſponit ad mortale , ſicque diſpoſitivè receditur per id à Deo, ùt fine ultimo.

370. *Nota* 2. Deliberatio alia eſt formalis , alia
Requiritur virtualis. 1ma eſt Conſultatio intellectûs, ex qua pro-

procedit voluntas ad operationem, altera est advertentia ad id, quod agitur. Hic notatis.

Resp. 1mò. Ad peccatum mortale requiritur 1mò per se loquendo materia vel in se, vel ex circumstantia aliqua gravis. 2. Deliberatio seu actualis advertentia plena rationis ad malitiam objectivam gravem, vel in se, vel in periculo cognitam. 3. Consensus voluntatis in illam plenè, perfectèque liber. *Ratio est*; quia peccatum mortale tam grande malum est, ut peccantem privet amicitiâ Dei, ab ejus visione, & fruitione æterna excludat, obnoxiumque faciat æterno Dei odio, & abominatione, & cruciatibus æternis addicat gravissimis; alienum autem videtur à justitia, clementia, & bonitate Dei tantis malis hominem addicere propter transgressionem in materia undequaque levi, cognita ùt tali, vel ob non plenè, perfectèque voluntariam, & liberam, qualis non est, si ad malitiam gravem non sit advertentia plena, plenùsque in illam consensus. *materia gravis, plena deliberatio, consensus plenus ad mortale.*

Dixi 1. *Per se loquendo requiritur materia gravis*: quia, si quis per errorem apprehenderet malitiam, levem ùt gravem; per accidens, peccaret graviter plenè consentiendo in illam: esset enim materia gravis, ut ejus conscientiæ substaret. Quæ autem sit materia per se gravis, dictum est de Leg. n. 149.

Dixi 2. *Requiritur actualis advertentia rationis*; quia cognitio phantasiæ est improportionata ad constituendum actum primum liberum voluntatis: cùm hæc sit potentia spiritualis, illa materialis, & deliberationis incapax, constatque à posteriori: quia aliàs peccaret, & mereretur puniri, qui invitus patitur motus concupiscentiæ, consensum voluntatis præveniem-

nientes, quod falsum est, ut constat ex damnatione propositionis Bajanæ 50mæ, quæ hæc erat: *Prava desideria, quibus homo non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: Non concupisces.* Et 51mæ: *Concupiscentia, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis violatio.*

Deliberatio, seu advertentia plena, & semiplena exponitur.

Dixi 3. *Advertentia plena ad malitiam objectivam gravem:* quia, sicut, ubi nulla est advertentia, nulla est libertas; ità, ubi non est plena, & perfecta advertentia, non est plena & perfecta libertas. * Est autem advertentia plena & perfecta cognitio quoad modum cognoscendi sufficiens ad plenam deliberationem, seu, quæ sic advertit ad malitiam objectivam, ut plerumque homines vigiles advertere solent ad negotium alicujus momenti, vel qualiter homo vigilans, sibique perfectè præsens ad negotia sua solet advertere.

Advertentia semiplena est cognitio quoad modum cognoscendi obscura, confusa, incerta, & ad perfectam deliberationem insufficiens: qualis reperitur in semi-sopito, & necdum plenè vigilanti, reperirique solet etiam in aliis, vel propter sensus externos ex parte ligatos, vel propter vehementem alterius objecti apprehensionem, vel passionem fortem, aut qualitatem morbidam, vel appulsum vaporem ad cerebrum, aut naturalem imperfectionem judicii, vel ejus defectum, aut animi anxietatem: Talis reperitur in semifatuis, semiebriis, in pueris, senibus repuerascentibus, & in valde scrupulosis; quibus ex parte turbata est phantasia, vel impedita, ità, ut firmum, constansque judicium de rebus ferre non possint. Non stat tamen imperfectio considerationis in sola remissione

ſione cognitionis: quia hâc libertas perfecta conſtitui poteſt.

Dixi 4. *Conſenſus voluntatis plenè; perfectèque liber in illam:* tum quia actus appetitûs ſenſitivi, quo rapitur citra deliberationem in objectum delectabile, cùm liber non ſit, ad peccatum non ſufficit; tum quia, ſi conſenſus non ſit plenè, perfectèque liber, non agit quis perfectè ùt homo, adeoque pœnam gravem non poteſt incurrere; aliàs ſemifatui æternam poſſent incurrere damnationem, cum ſemiplena libertate operantes, quod videtur repugnare æquitati, & Dei bonitati.

Conſenſus autem plenus cenſetur ordinariè, ſi quis perfectè advertens ad malitiam, eam liberè acceptet vel in ſe, vel in alio, ſive id fiat per actum poſitivum, ſive per omiſſionem, & interpretativè, ſive per actum abſolutum, ſive conditionatum. Dixi: *Ordinariè:* nam dubitant AA. an, ubi eſt plena advertentia, conſenſus poſſit eſſe tantùm ſemiplenus? negant aliqui, tenentque, ſi voluntas præeunte advertentiâ perfectâ ad malitiam gravem poſitivè conſentiat, conſenſum ſemper fore plenum, ſufficientemque ad mortale, etſi admittant, poſſe peccari venialiter tantùm, per negligentiam reſiſtendi tentationibus. Affirmant aliqui; eò quòd videatur poſſe fieri, ut in tentatione voluntas propendeat, & imperfectè conſentiat in objectum delectabile prohibitum. *Conſenſus plenus.*

371.

Reſp. 2. Ad veniale peccatum requiritur quidem advertentia aliqua rationis ad malitiam objectivam, conſenſuſque voluntatis aliquis, ùt per ſe patet; ſufficit tamen advertentia *Ad veniale ſufficit ſemiplenus.*

ventia semiplena, consensusque imperfectus in illam. *Ratio est;* quia advertens semiplenè ad malitiam, & in eam consentiens aliquo modo ad illam advertit, eamqne vult; ergo aliquo modo peccat: non mortaliter; ergo saltem venialiter, sive jam malitia objectiva sit in se gravis, sive levis. Ex dictis resolves.

372. *Corollaria. Advertens malitiam præcisivè.* 1mò. Qui cognoscit malitiam, nec ùt gravem, nec ùt levem, etiam exercitè; consentiendo non peccat graviter; si nec periculum, nec obligationem magis advertendi agnoverit: quia malitia sic cognita est negativè levis in ejus mente. Si autem advertit periculum gravis peccati, aut obligationem magis advertendi, aut exercitè apprehendit malitiam gravem, peccat graviter consentiendo, id est, si malitiam apprehendat, utì gravem solet apprehendere ad eam reflectens. Vide dicta N. 78.

Deliberans de consensu dando. 2. Qui deliberat, an velit in objectum graviter malum consentire, peccat graviter; tum quia, licèt in objectum, de quo deliberat, necdum immediatè consentiat; consentit tamen in periculum consentiendi proximum, cui se exponit, sicque interpretativè consentit in objectum, malitiamque peccati contrahit, cujus se periculo exponit; tum, quia sic hærens appretiat peccatum cum Deo, à quo jam ad creaturam inchoativè recedit. Unde, sicut dubius negativè in fide peccat mortaliter, quia hæret, velitne plus tribuere authoritati Dei revelantis, an suo judicio, vel apparentiæ rationis pro opposito; ità multò magis hærens, an velit Deo, an creaturæ potiùs adhærere,

quæ

quæ gravis est vilipensio Dei. An consensus negativus sufficiat, dicitur infra.

3. Motus Concupiscentiæ primò primi, id est, prævertentes omnem rationis ad malitiam objectivam advertentiam, & libertatem, peccata non sunt: quia actuali libertati non subsunt. Nec sufficit, quòd eorum causa, peccatum originale, nobis fuerit voluntaria: quia non fuit voluntaria voluntate physicè propriâ & personali, sed tantùm voluntate alienâ physicè, & originali; ad peccatum autem personale requiritur voluntarium personale, ùt constat ex Damnata II. ab Alexand. VIII. relatâ N. 192. Motus autem secundò primi, id est, prævenientes quidem perfectam deliberationem & advertentiam, non tamen omnem imperfectam, possunt esse venialia, non tamen mortalia; motus verò secundò secundi, seu absolutè secundi, id est, qui procedunt, vel continuantur ex plena libertate, & advertentia, possunt esse mortalia, vel venialia pro quantitate materiæ. Ut autem sit plena advertentia, non opus est reflexione tali, quâ advertat operans se advertere; sed sufficit cognitio directa, quâ re ipsâ advertat malitiam, in eamque consentiat. *Motus primò primi &c.*

Malitia verò hoc ipso advertitur esse gravis, quòd advertatur inductiva esse inimicitiæ Dei, vel pœnæ æternæ: aut quòd ab operante apprehendatur ad eum modum, quo solet apprehendere alias graves, quando ad has se reflectit: utì &, quòd advertat periculum graviter peccandi, & obligationem magis advertendi, & istâ cognitione monitus negligat magis advertere: quæ cognitio quandoque adest, licèt quis non recordetur postea, se *Quando advertatur malitia gravis.*

eam habuisse. *Cujus ratio est* ; quia, ubi deest cognitio se reflexè manifestans, potest deesse facilè recordatio. Et hinc in homine sunt quandoque peccata etiam mortalia, quæ peccata inadvertentiæ dicuntur, quamvis horum non recordetur. Cæterùm in pueris, semiebriis, semisopitis, quia plerumque semiplena tantùm est advertentia, vel saltem consensus non plenè deliberatus, communiter motus illi non sunt nisi venialia, quod maximè valet in eo, qui primum è somno evigilat. Denique in pleno somno non peccari, dixi in Neo-Confessario, ubi & de usu rationis. N. 100.

QUÆSTIO II.

Quibus indiciis in dubio de sufficiente consensu ad mortale cognosci possit, eum fuisse, aut non fuisse datum?

373. *Signa non dati consensus.* Resp. Traduntur à Doctoribus hæ Regulæ: 1ma. Si dubitans de consensu præstito sit homo probus, & timoratæ conscientiæ, neque plenè advertens soleat consentire, sed serium, sæpeque repetitum propositum habuit non peccandi mortaliter, aut habitualiter sic se sentiat constitutum, ut potiùs vellet mori, quàm mortaliter peccare; hic in dubio censeat, se non consensisse: quia ex communiter contingentibus prudens est præsumptio, sique plenè consensisset, non adesset amplius talis animi comparatio; sed illam mutationem ità advertisset, ut non dubitaret.

Econtra, si homo non sit timoratæ conscien-

ſcientiæ, parum ſollicitus de bona conſcientia, & peccatis aſſuetus; meritò in tali dubio cenſet ſe conſenſiſſe: quia ex communiter contingentibus iterum prudens eſt præſumptio: ſique non conſenſiſſet plenè, non dubitaret; ſed ſciret aliter ſe repugnâſſe, quàm ſoleat, & non conſenſiſſe plenè. Notant tamen Authores, ſi quis cœperit ſeriò ſe convertere, ſæpè fieri, ut diu inhæreat cogitationibus, nec tamen conſentiat: quia habitus acquiſiti naturaliter producunt primas malas cogitationes, & nec poteſt homo aliis intentus ſemper tam citò animum advertere ad illas ejiciendas.

Contingit etiam, ut timorati, & anxii ſe putent conſentire, vel velle, ad quod tentantur, nec tamen conſentiant, ſed conſenſus objectivè ſolùm in apprehenſione exiſtat: Dæmon enim quandoque tentationes injicit ſub enuntiatione, ſignificante conſenſum. V. g. Volo hoc facere; vellem hoc facere; non curarem, ſi hoc eſſet peccatum; volo facere, ſive ſit peccatum, ſive non; cùm tamen longiſſimè abſit voluntatis conſenſus, ſed potiùs ſit homo mori paratus, quàm peccare. Sciunt quoque timorati, quòd inſurgente tentatione appetitus ſubitò abripiatur naturaliter ad propoſitum objectum ſenſibile, videanturque ſibi conſentire, ſed ſe recolligentes horreant, deteſtentur, mortemque offensâ Dei præoptent; quo caſu conſenſus non adfuit ſaltem ad mortale ſufficiens, imò ſæpè nec ad veniale: nec enim tentatio repelli poteſt, niſi ſentiatur, nec ſenſus peccatum eſt, ubi deeſt conſenſus liber voluntatis. *Fraus Dæmonis.*

2da. Si poſtea, quando magis advertit ti-

moratus homo, terreatur, & ſtatim repellat; Signum eſt, defuiſſe plenum conſenſum ; quia, ſi hic adfuiſſet, non ità terreretur, nec tam facilè mutaretur.

3tia. Si ſtatim poſt actum advertat, ſe jam cognoſcere malitiam gravem, quam non ità ante adverterat, tunc ſignum eſt, defuiſſe plenam advertentiam.

4ta. Si ſubortâ tentatione de re mala facienda non fecit, cùm facilè potuiſſet ; in dubio ſignum eſt, conſenſum in opus non fuiſſe perfectum ; quia potentia executiva voluntati omninò obtemperat, niſi fortè pudor, aut timor incommodi, vel infamia retraxerit ab opere externo.

5ta. Si dubitat, an vigilans, an dormiens ſuî plenè compos, aut impos quidquam voluerit, aut fecerit, indicium eſt non plenæ deliberationis ; quia hæc regulariter hominem de ſuis actibus certiorem reddit, & perfectè vigilans ſatìs novit ſe vigilare, & ſuî compos de hoc non dubitat; cùm experientia doceat, quòd alios nos vigiles, alios ſemidormientes experiamur.

6ta. Si ſtatim poſt dubitet, an conſenſerit ; quia plenus conſenſus in peccatum mortale eſt tanta iniquitas, ut ab homine timorato ignorari non poſſit, inquit Jacobus Alvarez apud Oviedum, hîc controv. 1ma num. 39. Porro dolor præcisè de peccato, ſtatim conſequens actum peccati, non eſt ſignum imperfecti conſensûs, ſed mutatæ voluntatis. Hæc indicia prudens fundant judicium conſensûs non pleni. Pro quiete tamen conſcientiæ expedit, dubia illa confiteri, per ſe loquendo, eos, qui non ſunt conſcien-

tiæ

riæ nimis anxiæ, & scrupulosæ. Quid verò scrupulosis agendum, habetur in Neo-Confess. à num. 162.

QUÆSTIO III.

Quænam peccata ex genere suo, & quæ ex toto genere sint mortalia, vel venialia?

Nota. Peccatum per se mortale est, intra cujus objectum proprium, & materiam manendo, potest esse gravis malitia; estque aliud ex toto, aliud ex genere non toto mortale. Per accidens mortale est, quod non ex objecto proprio, sed ex circumstantia aliqua habet malitiam gravem. Per se veniale est, intra cujus objectum manendo non datur gravitas materiæ. Per accidens veniale est, quod ex defectu advertentiæ vel consensûs pleni solùm est veniale, aliàs futurum mortale. Hoc notato. 374. *Peccata per se & per accidens mortalia, & venialia.*

Resp. 1mò. Peccata per se, & ex genere suo tantùm mortalia sunt, in quorum materia notabili per se potest esse objectum peccati mortalis; stando tamen intra eandem, potest dari materiæ parvitas. Talia sunt 1mò. Quæ repugnant charitati propriæ, & Proximi. 2. Quæ repugnant justitiæ, ùt furtum, detractio, judicium temerarium. 3. Quæ repugnant religioni: potest enim cultui Divino multum & parum detrahi. 4. Quæ reverentiæ, & pietati in parentes. 5. Quæ humilitati: per superbiam enim graviter, & solùm leviter peccari potest. Utì si quis nolit Deo subesse, quæ- 375. *Mortalia ex genere non toto.*

 rat

tat vanam gloriam. 6. Quæ adverſantur temperantiæ, moderanti guſtum, & tactum. 7. Quæ repugnant fortitudini, ùt temeritas, & puſillanimitas.

376. *Ex toto genere mortalia.* Reſp. 2. Peccata ex toto genere, vel objecto mortalia ſunt, in quorum materia, per ſe loquendo, ſemper peccatur mortaliter. Talis ſunt 1mò. Quæ directè fiunt contra aliquam Dei perfectionem, vel contra Deum: hæc enim ſi leviter tantùm eſſent prohibita, cederet id in grave Dei vilipendium; ùt ſunt poſitiva infidelitas, quâ res etiam minima propoſita ſufficienter, tanquam à Deo revelata, diſcreditur; Deſperatio, præſumptio, odium Dei, quo malum minimum ei optatur, vel intenditur; blaſphemia in Deum, quâ imperfectio illi tribuitur, aut perfectio negatur; perjurium in re minima, quo Deus in teſtem falſi vocatur; Simonia ſaltem Juris naturalis, utpote derogans Divinæ munificentiæ; ſuperſtitio, divinatio, ſortilegia, magia, ſi per illam, quod ſoli Deo proprium eſt, tribuatur creaturæ directè, v. g. Scientia futuri liberi, potentia ad aliquid ſupernaturale: hoc enim graviter derogat ſcientiæ, & potentiæ Divinæ ſuper omnem ſcientiam, & potentiam naturalem eminenti. Et ſi quæ plura ſunt ejusmodi. 2. Illa, quæ, ſi reciperent parvitatem materiæ, ob quam à mortali excuſarentur, vergerent in graviſſima detrimenta generis humani, ùt homicidium, fornicatio, pollutio, delectatio Venerea deliberatè quæſita, vel admiſſa. 3. Quæ ſunt circa rem gravem nullius capacem latitudinis, ſed velut in indiviſibili conſiſtentem; ùt ſuſceptio Sacramenti vivorum extra ſtatum gratiæ,

irri-

irritatio vel simulatio Sacramenti, fractio Sigilli Sacramentalis, defectus aquæ in Sacrificio Missæ, Jejunium naturale ante Communionem, &c.

Resp. 3. Peccata ex toto genere suo, vel objecto venialia sunt, in quorum materia manendo, quantùm præcisè est ex parte objecti, per se loquendo, non potest peccari mortaliter. Talia sunt, quæ repugnant 1mò Veracitati, uti mendacium, & simulatio; quâ quis se alium exhibet exteriùs, intendens, ut talis habeatur, quàm sit interiùs: hypocrisis, quâ quis sanctitatem simulat.: illa enim culpam venialem non excedit, nisi quis sanctitatem, quam simulat, contemnat, aut mendacium sit perniciosum. 2. Liberalitati, ùt prodigalitas, tenacitas, avaritia, quæ possunt esse mortalia, si simul contra aliam virtutem, v. g. Justitiam peccetur, aut charitatem; per se tamen tantùm venialia sunt. 3. Modestiæ, cujus est, externos motus corporis, actionesque componere ad honestatis decorem, ùt nimia cura, vel neglectus vestium, inconditi gestus, joci, excessivus risus, scurrilitas, &c. 4. Quæ repugnant eutrapeliæ, quæ moderatur lusum & jocos ad animi recreationem subinde necessarios, contra quam per defectum & per excessum peccari potest. 5. Gratitudini: vix enim in hujus materia peccatur graviter, nisi ad aliam simul materiam veniatur, 6. Studiositati, cujus est moderari sciendi cupiditatem: vix enim nimia sciendi aviditas aut neglectus erit mortale, nisi simul alia virtus lædatur graviter. 7. Etiam plerumque venialia tantùm sunt adulatio, pertinacia, incon-

377. *Venialia ex toto genere.*

ſtantia, ira, quæ in paſſione eſt, & inmodico vindictam quærit. Univerſim, quando appetitus alicujus de ſe licitus eſt, peccaturque ſolùm per exceſſum vel defectum, in ea materia veniale non exceditur, niſi contraveniatur alteri virtuti.

QUÆSTIO IV.

Quâ ratione peccatum de ſe mortale poſſit fieri per accidens veniale; & per ſe veniale, per accidens fieri mortale?

Non quæritur, an idem actus poſſit jam eſſe mortale, jam veniale; ſed, ubi veniale tantùm peccatum fuiſſet ex objecto, quâ ratione alio accidente peccari poſſit mortaliter, & contra.

378. Reſp. 1mò. Per ſe mortale per accidens fieri poteſt veniale, ſeu, ubi aliàs fuiſſet ex objecto mortale, peccatur tantùm venialiter 1mò. Si deſit advertentia plena ad malitiam objectivam gravem. 2. Si deſit conſenſus plenus in malitiam gravem. 3. Si materia, quæ poſſet eſſe gravis, hîc & nunc ſit levis, ùt in materia furti reſpectu diverſorum: ſic materia, quæ reſpectu extranei poteſt eſſe gravis, reſpectu filii poteſt quandoque eſſe levis. 4. Si Legiſlator in materia aliàs gravi velit obligare tantùm leviter, quod quandoque poteſt in materia de ſe non mala, aut indifferente, aut juris purè poſitivi.

Mortale fit per accidens veniale.

Reſp.

Resp. 2. Peccatum . de se veniale tantùm, potest per accidens fieri mortale variis modis. 1mò. Ratione conscientiæ erroneæ, uti si quis putet, aliquid de se leve, esse grave, & in id consentiat. 2dò. Ratione mutatæ legis, antè leviter, nunc graviter obligantis. 3tiò. Ratione affectus mali, seu finis ultimi, ùt si quis ità afficeretur erga rem levem, ut ob illam paratus esset, Deum graviter offendere, & in ea poneret finem ultimum. 4tò. Ratione finis extrinseci, ùt si quis mentiretur ad alium inducendum in grave peccatum, vel damnum. 5tò. Ratione scandali, vel gravis mali, uti, si quis prævideret sibi, vel alteri grave malum animæ, vel corporis, aut famæ ex suo veniali secuturum. 6tò. Ratione materiæ vel effectuum levium coalescentium ad constituendum aliquod grave, uti, si quis multa levia furta committat, quibus perveniat ad materiam gravem; si multa parva noxia comedat, quibus graviter noceat valetudini; si die Jejunii multa parva frusta comedat, quæ constituant materiam gravem; multa parva omittat in Horis Canonicis; multas parvas confabulationes committat in eadem Missa; si multa parva vulnera eidem infligat, quæ multùm disponant ad mortem. *Ratio est*: quia hæ materiæ, & effectus coalescunt in aliquid grave, quod operans complet per actum suum, uti suppono, ultimum. Hinc pauper, etsi priora parva furta non possit restituere, peccat, per se loquendo, graviter, advertenter complendo materiam gravem, etsi successivè à diversis furaretur tantùm quid leve: quia graviter noceret communitati, respectu cujus tamen plus ad mortale requiritur. Imò, si quis

379. *Octo modis veniale transit in mortale.*

quis poſt completam materiam gravem, hujus memor pergeret furari quantitatem etiam levem, ſingulis vicibus peccaret graviter: quia adeſt voluntas habendi rem alienam gravem toties renovata. 7timò. Ratione periculi, utì, ſi quis peccando venialiter v.g. jocando, vel ex levitate converſando cum puella, exponeret ſe periculo formali proximo peccati gravis. 8. Ratione contemptûs formalis Legislatoris, quà talis, aut legis quà talis, ſeu ùt procedentis à poteſtate legislativâ; quia, ſi quis legem vel præceptum leviter obligans transgrediatur ex tali contemptu, directè vilipendit authoritatem Dei, ſive lex ſit divina, ſive humana, aut Legislator humanus: Lex enim humana vim habet obligandi, & Legislator humanus poteſtatem imperandi à Deo, quæ vis & poteſtas dum contemnitur, ipſe Deus comtemnitur. Unde ex formali contemptu talia operari peccatum eſt ex toto genere mortale.

Cōtemptus formalis quid?

Dixi 1. *Ratione contemptûs formalis;* qui ex adverſa voluntate plerumque procedit, & ſignatâ intentione vilipendendi: nam contemptus materialis, quo aliquid poſtponitur alteri, cui præferri deberet, ſed ſine ſignata intentione vilipendendi, poteſt eſſe veniale tantùm: ùt, ſi quis ex joco: vel ob malum aliquod declinandum mentiretur, quanquam in materia gravi, poteſt eſſe mortale.

Dixi 2. *Legislatoris quà talis*: nam, licèt Deus nunquam ſine mortali formaliter contemni poſſit; perſonam tamen Legislatoris humani qui talis eſt, contemnere formaliter v.g. ùt imprudentem in tali lege ferendâ, vel urgen-

urgendâ, poteſt eſſe peccatum grave vel leve, vel nullum, prout ſunt motiva ſic judicandi, quæ ſi gravia ſint, nullum; ſi non omninò levia, non tamen ſufficientia ad prudens judicium, leve peccatum erit; ſi autem nulla, mortale eſſe poterit.

Ratio eſt; quia in hoc caſu non contemnitur poteſtas legislativa, ſed improbatur imprudentia, & modus ferendi legem, quæ improbatio poteſt eſſe temeraria, vel prudens, ùt judicium de labe proximi; quanquam ob reverentiam, quam majorem debemus Superiori, quàm perſonæ privatæ, faciliùs poſſit peccari graviter, præſertim, ſi exteriùs manifeſtetur.

Dixi 3. *Legis ùt talis*: nam, ſi lex contemnatur, ùt lata tali modo, in talibus circumſtantiis; poteſt eſſe leve, grave, vel nullum peccatum ſecundùm dicta, eamque ex tali contemptu transgredi, etiam erit peccatum pro ratione materiæ, niſi ab obſervatione quis legitimè excuſetur. Deinde, ſi non lex ut talis, ſed materia contemnatur poſitivè & formaliter, eſt peccatum mortale, vel veniale, pro diverſitate judicii, quo contemnitur. Si contemnatur res levis, aut gravis à Deo præcepta vel conſulta, tanquam inutilis & vana, eſt blaſphemia detrahens divinæ Sapientiæ; ſi verò levis contemnatur ſine affectu averſæ voluntatis, quia levis eſt, & facilè recuperabilis, ſicque negligatur, ordinariè tantùm erit veniale: cùm enim ſic ſtare poſſit judicium de obligatione & obedientia præſtanda, voluntaſque obediendi conditionata, ſi materia gravis eſſet; non apparet, ex quo capite peccatum mortale foret, niſi fortè ratione

tione periculi, vel propinquæ dispositionis ad mortale, quod posset aliquando contingere. Similiter contemptus formalis, ac positivus, seu directa vilipensio materiæ levis ab homine præceptæ, vel prohibitæ, potest esse peccatum mortale vel veniale pro diversitate judicii: nam, si contemnatur, quia levis est, & non obediatur, peccatum veniale est; si verò, quia materia hujus virtutis vel præcepta, vel prohibita ex hujus virtutis motivo, est mortale ex toto genere suo: quia grave est, contemnere virtutis in se supernaturalis, utpote summæ dignitatis, honestatem. Si denique clarum esset, rem ab homine præceptam nullius momenti, & inutilem esse, nullum foret peccatum, modò absit scandalum. Verùm, cùm id raro clarum sit, possitque Superior habere motiva subdito ignota, vix contemptus ille omni temeritate carebit, quæ tamen etiam levis esse poterit.

380. *Inobedientia formalis.* *Petes.* In quo contemptus formalis differt ab inobedientia formali? Resp. In eo, quòd contemptus formalis, seu directus possit esse circa consilia, & materiam virtutis: inobedientia autem formalis excludat specialem honestatem, repertam in eo, quòd quis Superiori se subjiciat, quæ est honestas specialis obedientiæ, id quod fieri potest sine formali contemptu, ùt, si quis diceret: Nolo hac in re subesse, & obedire Superiori; agnosceret tamen potestatem imperandi, paratus obedire in aliis, esset formalis inobedientia, non tamen ideo præcisè formalis contemptus; si autem universim nollet subjici Superiori, esset contemptus formalis, saltem negativè talis. Similiter, si ideo nollet obedire, quia Superior vult,

vult, facilè erit contemptus formalis; si autem diceret: Nolo obedire v. g. quia Superior importunus est, aut subditum graviùs, quàm par erat corripuit, vel punivit, foret inobedientia formalis, sed non necessariò contemptus formalis, possetque esse in materia levi veniale tantùm; uti, si quis ex levi amaritudine animi nollet in re levi Superiorem suum humanum afficere solatio, ex obedientia proventuro: secus, si ità erga Deum esset affectus. Vide Oviedo hìc Tr. 3. Controv. 3. p. 5. Castrop. Tr. 2. D. 2. p. 9. §. 2.

QUÆSTIO V.

An peccata venialia multiplicata, quorum materiæ non coalescunt, possint præcisè ratione numeri constituere peccatum mortale?

Resp. Non possunt præcisè ratione numeri unum mortale constituere. Est communis & certa. *Ratio est* 1. Quia peccatum mortale est offensa Dei simpliciter, dissolvens amicitiam Dei, statque in ordine superiori, imò supremo mali moralis, in quo non stat veniale; quod autem est in ordine superiore, non potest constitui per individua etiam infinita ordinis inferioris; sic infiniti homines nequeunt constituere unum Angelum. 381. *Venialia ratione suî non faciunt mortale*

2. Veniale & mortale differunt specie morali completâ; individua autem speciei inferioris infinities multiplicata, non possunt

ſunt conſtituere individuum ſpeciei ſuperioris.

3. Per venialia, ùt docet Trid. Seſſione 14. Cap. 5. non excludimur à gratia Dei; ergo mortale, quod expellit gratiam, non poſſunt conſtituere venialia.

Nihilominus, qui vellet omnia venialia committere, quæ poſſet; is vel manſurus non eſſet diu ſine mortali, vel peccaret mortaliter, non præcisè ratione objecti, ſed volendo periculum proximum peccati mortalis, id quod facilè adeſſet; quia vellet omnia pericula ſaltem remota peccandi mortaliter, redderetque ſe indignum ſpeciali Dei auxilio, ſine quo diu omnia mortalia moraliter vitari non poſſunt. Similiter juxta Oviedum peccaret mortaliter, qui nulla vellet Dei ſervare conſilia; quia eâ voluntate præcluderet aditum omnem divinis Spiritûs S. inſpirationibus, quod graviter repugnat rectæ rationi, quamvis præcisè ratione objecti cadentis ſub conſilium, vel præceptum leviter ſolùm obligans, peccatum mortale non eſſet; ſicut Religioſus nullam volens regulam ſervare, non peccaret graviter ratione objecti, cadentis ſub regulam, non obligantem ſub peccato, ſi nec objectum caderet ſub votum; poſſet tamen peccare mortaliter ratione ſcandali, periculi, ne ex Religione expellatur, & damni diſciplinæ

382. religioſæ.

Quomodo venialia diſponāt ad mortalia?

Dixi: *Multa venialia* ratione numeri non poſſunt conſtituere unum mortale: nam multa venialia, ſi continuentur, ſenſim diſponunt ad mortale, ac imò quidem negativè, & indirectè; tum quia impediunt ſpecialem Dei pro-

protectionem, quâ tentationes & pericula removeat, & liberalitatem, quâ uberes, & fortiores gratias largiatur; tum quia minuunt timorem Dei, & fervorem charitatis: quò enim animus magìs afficitur terrenis: eò minùs Deum amat. Deinde disponunt etiam ad illud positivè: quia frequentata præsertim plenè deliberata transgressio legis, leviter obligantis, propensionem generat ad transgressiones etiam graviores, & ad sensibilia inclinationem auget; quod magìs valet, si frequenter fiant venialia circa materiam similem, aut ejusdem rationis; quia tunc pariunt similem habitum. Sic, qui assuescunt levibus furtis, detractionibus, contumeliis, facilè labuntur in gravia. Et idem est in aliis, præsertim, ubi objecta graviora vehementiùs alliciunt. Et hinc Ecclesiastici 9. dicitur: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et Lucæ 10. *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Et hoc est, quod volunt PP. quando subinde dicunt, ex multis levibus fieri unum grave, &c.



CAPUT

CAPUT III.

De Peccatis merè internis.

QUÆSTIO I.

An, & quale peccatum sit Delectatio morosa, seu simplex complacentia in objecto prohibito?

383. *Quid sit delectatio?* NOta 1. Quamvis delectatio morosa possit esse bona, vel mala pro diversitate objecti, in quod tendit; communiter tamen accipitur pro delectatione malâ liberâ, potestque describi: complacentia libera in objecto malo, cognito, ùt malo. Differt 1mò à desiderio tum efficaci, tum inefficaci; quia præscindit objectivè affectivè ab omni sui objecti existentiâ præsenti, præteritâ, & futurâ; desiderium autem efficax est, quo quis fertur in objectum, ùt à se physicè vel moraliter causandum; inefficax verò, quo quis afficitur erga objectum, velletque sibi, vel alteri evenire, absque eo, quòd velit illud ponere, aut ad id ponendum cooperari. 2dò differt à gaudio, quod est simplex complacentia in objecto jam posito; ùt, complacentia in damno proximi jam caussato absque affectu, ut iterum eveniat. Complacentiæ in objecto malo æquivalet displicentia simplex in objecto bono; desiderio inefficaci mali, metus, ne eveniat bonum; desiderio efficaci mali, voluntas impediendi bonum; gaudio de malo respondet tristitia de bono præsenti.

Nota

Nota 2dò. Simplex libera complacentia in objecto malo, vel prohibito dicitur morosa; quia per eam post sufficientem advertentiam rationis in objecto malo se voluntas detinet, eique immoratur, cùm respuere mox deberet: vel, quia sistit in eo, non ultra volens tendere ad opus. Proin non dicitur morosa à mora temporis, quam requirat, ut sit plenè libera: quia, licet plena deliberatio communiter requirat aliquam moram temporis; tamen, suppositâ deliberatione libera complacentia seu consensus potest haberi in instanti. 384. *Quæ dicatur morosa?*

Nota 3tiò. Cui proponitur objectum malum, potest delectari 1. Vel de ipso objecto malo, ùt si res cogitata sit ratio delectandi. 2. Vel de ipsa cogitatione, eò quòd sit utilis ad bonum finem, clara, ingeniosa, subtilis. 3. Vel de modo, quo res facta est, aut fieri potest, ùt si quis delectetur de ingenioso modo, quo alter est deceptus, aut modo tremulo, quo ebrius incedit, vel quo quis naso cecidit in lutum, aut quo mulieres rixantes se impetunt, &c. 4. De artificio, quo res turpis describitur. 5. De effectu, qui ex peccato sequitur, ùt si quis gaudeat de hæreditate secuta ex homicidio. His notatis. 385. *Potest esse de re, modo, artificio, cogitatione, effectu.*

Resp. Delectatio deliberata de objecto, vel opere, secundùm se malo, est peccatum mortale, vel veniale pro gravitate, vel levitate malitiæ ejus objectivæ, sumitque suam speciem & malitiam à tali objecto. Ità S. Thom. 1. 2. Q. 74. a. 8. Suar. & alii communiter. *Ratio est*; quia, qui delectatur de 386. *Delectatio de objecto malo mala est*

objecto malo secundùm se cognito; approbat illud sibi uniendo, & quodammodo conformando ei affectum suum, sicque illud gratum, & acceptum habet: nemo enim delectatur, nisi in eo, quod illi placet, & quod re ipsâ amat; ergo, si objectum cogitatum sit malum, delectatio quoque erit mala secundùm malitiam objecti: quia malitia formalis desumitur per ordinem ad objectum malum, juxta illud Oseæ: C. 9. v. 10. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Sic lætari de gravi malo proximi, quatenus ipsi malum est: tristari de magno ejus bono, quatenus ipsi bonum est, peccatum est mortale. Secus, si malum, vel bonum sit exiguum: tunc enim solum veniale est. Item delectari de esu carnis, sibi vetito, quasi nunc procedente contra Legem, peccatum est pro quantitate materiæ.

Dixi 1. *Delectatio de objecto secundùm se malo*: nam si objectum de se malum non sit, sed solâ Lege positiva prohibitum, ùt esus carnis die vetito; de eo præcisè cogitato delectari, quantùm est ex parte objecti, peccatum non est: quia delectatio simplex non fertur in objectum, prout à parte rei est, sed ùt est in apprehensione. Proinde fertur in illud, ùt præcisum à malitia; propter bonitatem aliquam physicam; adeoque malitiam ex objecto non contrahit. Est quidem illa delectatio propensio quædam in esum carnis, sed, cùm adsit voluntas servandi præceptum, & hoc solùm prohibeat actus tendentes ad opus ùt ponendum, qui repugnant fini præcepti, objectumque sit separatum à malitia, ex eo peccatum non est.

est. Potest tamen esse veniale, si in delectatione sensibili sistatur, & ad finem debitum non referatur.

Dixi 2. *Delectatio deliberata*: nam indeliberata, & prævertens advertentiam rationis, peccatum non est, ut constat ex dictis: neque enim nocet sensus, si desit consensus. Id quod rudibus bene exponendum est, qui sæpe dicunt, se delectatos turpibus cogitationibus, dum etiam contra voluntatem senserunt delectationem, naturaliter ortam. Pro quo intelligendo.

Nota. In peccatis internis ordinariè hoc ferè modo proceditur. 1. Mediante sensu externo, v. g. visu, auditu, tactu, commotione humorum naturaliter, vel à dæmone, aut aliunde excitatâ, nascitur in phantasia imaginatio naturalis, seu non libera objecti sensibilis. 2. Ex hac sequitur in appetitu sensitivo pro varietate objecti sensibilis amor, vel odium, aut tristitia, vel gaudium. 3. Sequitur agnitio intellectûs objecti & affectûs sensitivi. 4. Ex hac complacentia, vel displicentia simplex in voluntate, quæ si feratur in objectum secundùm rationem inferiorem seu sensibilem sine advertentia ad legem, culpâ vacat; si verò feratur liberè in illud secundùm rationem superiorem, seu cum advertentia ad legem prohibentem, motus ille est peccatum, & dicitur consensus, qui, si plenè sit deliberatus, in malitiam objectivam gravem, erit peccatum mortale; si verò ratio præoccupet, & resistat, peccatum non erit; si resistat languidè, veniale erit. Do exemplum in materia delectabili: Delectatur quis de fur-

387. *Modus, quo proceditur in peccatis internis.*

to ; primus actus est imaginatio circa illud; secundus delectatio appetitûs sensitivi , causans delectationem cordis ; tertius actus intellectûs repræsentans furtum , v. g. ùt utile , delectationemque appetitûs sensitivi habitam , vel adhuc præsentem. Quartus est actus voluntatis , quo voluntas sibi complacet in eo, qui si prævertat rationem omnem , culpâ vacat ; secus peccatum est. Exemplum do aliud in materia molesta : Titius contumeliosè loquitur contra Paulum , hic audiens contumelias 1. sibi imaginatur ùt molestas. 2. Appetitus irascibilis insurgit adversus Paulum per iram. 3. Intellectus exhibet voluntati atrocitatem injuriæ , & vindictam. 4. Voluntas fertur in illam. Quòd si fiat sine advertentia rationis ad malitiam , necdum peccatum est ; si autem fuit proposita simul , ùt, mala , adest consensus liber in malitiam. Rudes expedit interrogare ; an statim , ubi adverterunt malitiam, tentationi restiterint :

QUÆSTIO II.

An , & quale peccatum sit gaudere , vel gloriari de malo , aut tristari de bono?

388. *Gaudium de malo etiam materiali malum est.* REsp. Est peccatum grave , vel leve pro diversitate materiæ liberè gaudere, vel gloriari non solùm de peccato formali, sed etiam de actu malo , seu retinente malitiam objectivam , excusato à culpa ob defectum inculpabilem advertentiæ , seu libertatis v. g. quòd quis inculpabiliter , violaverit jeju-

jejunium, omiserit Horas, in ebrietate alium occiderit, blasphemaverit, nisi gaudium feratur in id solùm, quòd Deum non offenderit peccato formali. *Ratio est:* quia gaudium illud est approbatio transgressionis legis, & est complacentia in objecto, ùt contra legem posito, quod repugnat rectæ rationi. Similiter liberè tristari de objecto, vel actu necessariò ponendo, vel juxta legem posito, peccatum est pro quantitate materiæ: quia non minus repugnat rectæ rationi, quàm gaudere de malo; tristari tamen de objecto non necessariò, ut molesto in sensu diviso legis v. g. de molestia Jejunii, auditionis sacri tempore frigoris, mortale non est. Vide dicta in Neo-Conf de acèdia, n. 96. Quando actus externus sine advertentia ad malitiam objectivam positus, hanc retineat. Dixi suprà n. 52.

QUÆSTIO III.

An, & quando peccatum sit deliberata Delectatio de modo ingenioso, inexspectato, &c. patrandi malum, vel, quo peractum est, aut peragitur?

RESp. Delectatio libera de modo mirabili, ingenioso, inexspectato, qui de se malus non est, potest vacare culpâ, ùt, si quis delectetur de modo, quo ebrius incedit, quo quis de equo decidit, quo fur subtiliter crumenam alterius evacuavit. Idem est de aliis circumstantiis de se non malis actuum malorum, 389. *Gaudium de modo non malo per se culpâ vacat.*

rum, modò hic quoad substantiam non placeant. *Ratio est*; quia dum modus in se malus non est, delectatio non est de objecto malo, sed accidenti actionibus, bonis, & malis communi.

Dixi 1. *Potest vacare culpâ*: nam potest Delectatio talis esse veniale ratione otiositatis, curiositatis, aut similis inordinationis. Potest etiam esse mortale ratione scandali, vel periculi consensûs in objectum: ùt, si quis delectetur de modo ingenioso, quo proferuntur obscœna verba.

Dixi 2. *Qui de se malus non est*: nam delectatio de modo, in se malo, peccatum est; ùt si gauderes, quòd alter tam insigniter sit percussus; tam audacter vindictam sumpserit. Quod dixi de modo, idem dic de cogitatione objecti mali, ùt si quis delectaretur de cognitione objecti turpis, quatenùs clara, utilis est ad Confessiones audiendas, ad alios docendos veritatem, quia talis cogitatio eatenùs mala non est: Similiter potest quis licitè delectari de effectu bono, ex peccatis secuto, modò affectus non feratur in ipsum peccatum; Sic potest quis licitè gaudere de præclaris talentis filii, ex fornicatione nati; de secuta hæreditate, ex alterius morte; gaudere autem de peccato, non secundùm se, sed ùt occasio fuit boni alicujus, etsi multi putent innuente S. Th. 2. 2. Q. 70. a. 1. quandoque licere; id tamen periculosum est, nec verum universaliter; unde à tali gaudio abstinendum est.

399. Unde Petes: unde dignoscam, quòd Delectatio fuerit non de objectis malis, sed de modo,

cognoſcatur, quod delectatio fuerit de ſolo modo?

do, vel cogitatione tantùm. Reſp. Sicut periculoſum eſt delectari de modo, quo proferuntur, aut conſcripta ſunt turpia, ità difficile eſt diſcernere, an Delectatio fuerit de ſolo modo in ea materia. Sanch. & Caſtrop. dant has Regulas. 1*ma*: Si quis de modo, vel cogitatione ſua reflexè non cogitârit, cenſere non poteſt, ſe illis delectatum eſſe; quia nihil non præcognitum poteſt eſſe objectum Delectationis. 2*da*: Si non perinde delectet artificium, vel ingenium in cantu, narratione, vel deſcriptione rei piæ, aut indifferentis, quàm rei turpis, vel illicitæ, ſignum eſt, Delectationem eſſe ſimul de objecto illicito. 3*tia*: Si Delectationi occaſionem dedit lectio vana, vel curioſa, aut colloquium inutile, vel affectus malus, meritò timeri poteſt, ne Delectatio fuerit de objecto malo; Si autem occaſionem dedit occupatio honeſta, utilis, vel neceſſaria v. g. Lectio Caſuum pro ſcientia, Confeſſario neceſſaria acquirenda; auditio Confeſſionum, Doctio, Delectatio faciliùs erit de cogitatione tantùm. Quanquam & hîc ſiniſter affectus ſe inſinuare poſſit, contra quem proinde animus per ſinceram intentionem, & vigilem cautelam muniendus, & cuſtodiendus eſt. 4*ta*: Qui libenter loquuntur de rebus turpibus, partibus occultis corporis, earum ægritudinibus, vel gaudent de rerum turpium metaphoris, aliorum dicta, vel facta detorquere amant ad ſenſus turpes, & hinc erumpunt in riſus incompoſitos, ſatis produnt ſe delectari de objectis inhoneſtis. In aliis materiis gaudere de modo tantùm, v. g. quo ebrius incedit; quo quis lapſus eſt in lutum; quo mulieres rixantes ſe impetunt, &c. animo non ſiniſtrè affecto facilè

erit discernere, & quisque se inspiciens id advertet haud difficulter.

QUÆSTIO IV.

An, & quale peccatum sit Desiderium absolutum mali moralis, aut physici?

391. *Non licet desiderium absolutũ mali moralis.*

RESP. 1. Desiderium absolutum quodcunque mali moralis est peccatum mortale, vel veniale pro quantitate mali; Quia repugnat præcepto: *Non concupisces*: & rectæ rationi: nam desiderare malum morale est illud approbare, & diligere. Unde Prov. 15. dicitur: *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Et Psalm. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

392. *Nec per se mali physici absolutè proximo desiderati.*

Resp. 2. Est quoque, per se loquendo, peccatum mortale, vel veniale pro quantitate mali Desiderium absolutum mali physici, proximo desiderati; quia repugnat charitati, & principio lumine naturæ noto: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Per consequens nec optaveris.

Quandoque licet.

Dixi: *Per se loquendo*: nam velle inefficaciter malum physicum proximo, aut de eo gaudere ob majus ejus bonum spirituale, vel bonum commune v. g. pacem, & incolumitatem Ecclesiæ, vel Reipublicæ, potest culpâ vacare, sic potest Paterfilio adhuc innocenti optare mortem, ne ob malam indolem, quam in eo notat, dein perversè vivat, Deum offendat, & pereat. Potest optari hosti Ecclesiæ internecio, ne eam vastet, &c.

Ordo

Ordo tamen charitatis hic servandus est, ad quem spectat, ut bonum majus non postponatur minori; ut bonum, propter quod alteri optatur malum, præponderet bono, quo per malum privatur; ut malum illud sit utile ad bonum præponderans; nec majus optetur, quam eò sit necessarium. Hinc non licet ob bonum temporale proprium alteri, vel sibi absolutè optare mortem v. g. ob miserias temporales, morti non æquivalentes; quia gravis inordinatio est optare mortem ob malum notabiliter minus, nisi fiat cum resignatione, & conditionatè sic v. g. si Deo placeat, vel ex desiderio fruendi Deo.

Ordo charitatis servandus in optando malum physicum proximo

393. *Discrimen inter desiderium, & complacentiam simplicem.*

Nota hîc discrimen inter actum desiderii, & inefficacem complacentiam voluntatis: Cùm enim per actum desiderii quis tendat in objectum, ut ponendum, necessariò tendit in omnia, quæ requiruntur ad ejus existentiam, vel ipsam necessariò comitantur, aut consequuntur; per actum autem inefficacem complacentiæ cùm non tendat in objectum ùt ponendum; sed sistat in eo, ùt proposito per intellectum; hinc, ùt hic potest præscindere ab una formalitate; sic potest quoque ab una affectus voluntatis præscindere, & tendere tantùm in unam propositam. ùt siquis delectetur de occisione inimici facta in templo, & non moveatur circumstantiâ loci.



QUÆSTIO V.

An, & quale peccatum sit Desiderium inefficax conditionatum objecti mali ponendi, si liceret?

394. *Quandoque licet.* RESP. 1. Desiderium rei vetitæ conditionatum, per se loquendo, peccatum non est, si conditio auferat omnem ab opere malitiam, nec desiderium illud procedat ab affectu malo; quia desiderare præcisè objectum, à quo separata est omnis malitia, per se peccatum non est, si & desiderium non procedat ab affectu præsente malo. Aufert autem conditio ab objecto malitiam, si possibilis sit, eâque positâ objectum, vel actio non sit amplius mala, ùt contingere potest in iis, quæ solo jure positivo prohibita sunt, & in prohibitis Jure naturali non absolutè, & pro omni casu, sed in certis tantùm circumstantiis. Hinc non peccat, per se loquendo, dicens: comederem hodie carnes, laborarem, si non esset prohibitum: Item, occiderem te, si ad justam meam defensionem esset necessarium; suspenderem istum furem, si esset legitimè condemnatus, & ego essem carnifex; modò absit sinister affectus. Qui, cùm in materia periculosa, & lubrica facilè adesse possit, cavendum est ab ejusmodi in ea desideriis. Dixi: *per se loquendo*: quia talia desideria sæpe saltem sunt otiosa, & inutilia, ideoque non carent omni culpa.

Resp.

Resp. 2. Si conditio non auferat ab opere malitiam, delectatio & desiderium tale peccatum est pro gravitate materiæ: quia tendit in objectum malum absolutè, cùm conditio non tollat ab objecto malitiam, etiam ùt repræsentato. Quare tota refunditur in actum internum; tunc autem conditio non tollit ab objecto malitiam, si ea posita adhuc Legi repugnet, rectæ rationi, & ordini: uti, si diceres: Vellem furari, si non esset infernus; te occiderem, si non essem Christianus; blasphemarem, si liceret: talis enim conditio non purgat exercitè à malitia objectum: Cùm non separet rationem blasphemiæ à blasphemia, in quam tenditur. Multò minùs purgat affectum in opus, nunc intrinsecè malum, & prohibitum. Imò vellet, ut, quod per se malum est, foret licitum, & à Deo non prohibitum, ac proinde, ut rectus Ordo pervertetetur, & lex Dei æterna necessaria non esset; per consequens, ut natura rationalis non sapienter à Deo gubernaretur, quæ est gravis inordinatio.

395. *Non licet, si non auferat malitiam ab objecto conditio apposita.*

Resp. 3. Etsi conditio casu, quo impleretur, auferret malitiam ab objecto; si tamen adsit affectus prohibitus appetitûs sensitivi, culpâ non vacat. Sic volens cum tali affectu copulam carnalem, si esset junctus matrimonio, peccat graviter; quia affectus talis soluto est graviter prohibitus, & phantasia nihil conditionatè, sed omnia absolutè repræsentat; adeoque delectatio appetitûs sensitivi tenderet in copulam absolutè spectatam; sic autem soluto est illicita. Proinde talis conditio non removet malitiam: quia relinquit delectabilitatem.

396. *Uti nec, si adsit affectus sinister.*

rem. Idem eſt de aliis intrinſecè malis. De peccatis Capitalibus habetur in Neo-Confeſſario à num. 56.

QUÆSTIO VI.

Quæ præterea de peccatis ſint notanda?

397. Reſp. Sequentia. 1. In omni peccato eſt reatus culpæ, qui eſt condignitas ad odium Dei ſuſtinendum, ſi mortale eſt; vel diſplicentiam, ſi veniale eſt;& reatus pœnæ, qui eſt condignitas ad pœnam.

Reatus, & multiplex pœna peccatorum.

2. Pœna eſt aliquod afflictivum in vindictam culpæ propriæ, naturæ rationalis inclinationi contrarium.

3. Pœna alia eſt damni, quæ eſt privatio boni, in vindictam culpæ negati, vel ſubtracti; alia ſensûs, quæ eſt afflictio diſconveniens ſenſui.

4. Pœnæ in hac vita peccati mortalis perſonalis ſunt privatio ſanctificantis gratiæ, & amicitiæ Dei, ſuccedenſque Dei inimicitia, mortificatio meritorum antecedentium, privatio Juris ad gloriam, non rarò ſubtractio gratiæ efficacis, permiſſio plurium peccatorum, negatio ſpecialis protectionis, inflictio malorum temporalium in corpore, & bonis fortunæ, famæ, &c. In altera vita æterna pœna damni, quæ eſt privatio viſionis Dei æternæ ſummè afflictiva, demum pœna ſensûs æterna apud inferos.

5. Pœna peccati venialis in hac vita ſunt, ſæpe negatio gratiæ efficacis, ſpecialis protectio-

ctionis, donorum merè gratuitorum, mala temporalia, & quandoque ipsa mors: in altera vita pœna damni ad tempus, & pœna sensûs in Purgatorio, nisi hîc sit peccatum plenè expiatum. Pœna peccati Originalis in hac vita sunt privatio Justitiæ originalis, ignorantia, & cæcitas intellectûs, propensio voluntatis in malum, infirmitas ad bonum arduum, rebellio appetitûs sensitivi, morbi, aliæque corporis miseriæ; in altera vita privatio visionis, beatificæ, non tamen ità, ùt in damnatis, afflictiva, nec pœna ignis.



CAPUT

CAPUT IV.

De merito Supernaturali, seu Theologico.

398. *Quid & quotuplex sit gratia?* CUm ad meritum supernaturale requiratur gratia, de ea hæc pauca præmitto.

1. Gratia est donum DEI naturæ rationali indebitum, eam specialiter ordinans, vel disponens ad beatitudinem Supernaturalem.

2. Dividitur, quantùm huc pertinet, in habitualem, & actualem. Habitualis est, habitus supernaturalis elevans suum subjectum ad esse quoddam Divinum, idque reddens sanctum, amicum, filium Dei, & hæredem vitæ æternæ; Vel: donum DEI permanens Supernaturale, quo consortes naturæ Divinæ, justi, amici, & filii, hæredesque DEI, cohæredes autem Christi constituimur. Gratia actualis est auxilium DEI supernaturale transiens, elevans, & inclinans naturam rationalem ad actus honestos supernaturales. Dicitur transiens; quia non manet constanter, ùt habitus, consistitque in supernaturalibus illustrationibus intellectûs, & in motionibus voluntatis, quibus, quid agendùm, & omittendùm, ostenditur, & ad bonum afficimur.

3. Gratia actualis pro diverso respectu varia sortitur nomina: nam dicitur: Excitans, quatenùs potentias nostras velut è somno excitat ad benè operandum. Dicitur vocans, quatenùs

tenùs est vox interna Dei vocantis, & invitantis nos à malo ad bonum, à terrenis ad cœlestia. Dicitur præparans, quatenùs nos disponit ad usum bonum liberi arbitrii. Dicitur operans, quatenùs DEUS operatur in nobis pro priori ad actus nostros liberos, & hinc dicitur vocatio, tractio, tactus, illustratio, pulsus, &c. Item, Dicitur præveniens, quatenus præcedit consensum nostrum liberum; concomitans, quatenus eum perseveranter comitatur, & continuare juvat; Subsequens autem, quatenus quandoque perseverat post consensum, voluntatem demulcens, & exstimulans ad perpetuò benè operandum. Dicitur adjuvans, quatenus nos confortat, & nobiscum operatur. Quanquam gratia adjuvans propriè magìs est concursus Dei supernaturalis in actu secundo ad actus nostros supernaturales.

4. Gratia actualis alia est efficax, & alia inefficax, & purè sufficiens. Efficax in actu secundo est, quæ obtinet consensum nostrum. Efficax in actu primo est, quæ dicit infallibilem habitudinem ad consensum futurum, seu, quæ si detur, infallibiliter obtinet consensum. Hinc dicitur dare non tantùm posse, sed etiam operari. Gratia inefficax, & purè sufficiens est, quæ dat posse operari, sed vitio nostro non obtinet consensum.

5. Gratia actualis præveniens, & excitans in præsenti providentia est homini etiam justificato necessaria ad actus quoscunque supernaturales, & salutares; quia habitus supernaturales non influunt in actus, nisi præeunte excitatione proportionata, adeoque supernatu-

rali

rali intellectûs, & voluntatis, ùt habet communissima TT. & PP. Dat autem Deus omnibus adultis gratiam sufficientem, saltem remotè ad salutem: nam vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; per consequens dat etiam media necessaria, illustrationes, & pias affectiones, quibus, si cooperentur, dat ulteriores, tandemque justificationem, in qua si perseverent, dat vitam æternam. Quod si fideli quandoque non adsit sufficiens proximè ad actum v. g. contritionis, adest gratia eam petendi, quâ si rectè utatur, ulteriorem Deus non negat. Sed de his fusiùs Scholastici. Mihi sufficit aliqua suggessisse pro instructione rudium.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit meritum Theologicum?

599. *Meritum in genere.* Sicut causa meritoria dicitur, cujus præmiandi, vel puniendi causâ aliquid fit; ità meritum in communi dicitur actus præmio, vel pœnâ dignus. At quia actus malus est potiùs demeritum, hinc nomine meriti, usitatiùs venit tantùm actus bonus, definiturque meritum in genere sic acceptum: Opus bonum in obsequium alteriús factum, per se aptum ad aliquid obtinendum per modum præmii; Estque aliud naturale, quod præmio naturali; aliud supernaturale, quod præmio supernaturali dignum, vel congruum est. De hoc solo hìc sermo nobis est. Pro quo

Resp.

Reſp. Meritum Theologicum ſeu ſupernaturale eſt opus honeſtum ſupernaturale viatoris factum in obſequium Dei, aptum movere illum ad conferendum præmium ſupernaturale v. gr. gratiam ſanctificantem, gratias actuales ulteriores, gloriam. Differt tum à ſatisfactione ùt tali, quæ eſt redditio æquivalens injuriæ, & debitum reſpicit; tum à ſatispaſſione, quæ eſt pœnæ promeritæ tolerantia, & ſubjicit offenſorem offenſi poteſtati; tum ab impetratione præcisè ùt tali: quia hæc eſt humilis, & efficax petitio facta majori pro ſublevatione indigentiæ propriæ, vel alienæ, poteſtque fieri à beatis, qui meriti non ſunt capaces; Idem tamen actus honeſtus poteſt eſſe meritum, ſatisfactio, ſatispaſſio, impetratio, v. g. oratio, jejunium, eleëmoſyna habet vim meriti, ſatisfactionis, ſatispaſſionis, & impetrationis: Sunt enim actus honeſti, obſequioſi, difficiles, & humilis deprecatio ſaltem interpretativa. Unde per eundem actum poſſum mihi mereri, pro animabus Purgatorii ſatisfacere, aliis bona impetrare. 400. *Quid ſit meritum ſupernaturale ſatisfactio, ſatispaſſio?*

Porrò meritum Theologicum aliud eſt de condigno, aliud de congruo. Meritum de condigno eſt actus liber, honeſtus in obſequium Dei factus, condignus, ſeu æqualis præmio. Ac proinde connaturaliter exigit præmium, hocque accedente Dei promiſſione debetur ex Juſtitia quadam. Meritum de congruo eſt actus liber, honeſtus, non quidem condignus, & æqualis præmio; attamen habens vim aliquam ad movendum præmiantem, & congruentiam ad præmium, ſpectatâ conditione operantis, 401. *Meritum de condigno, & de congruo.*

& liberalitate præmiantis Dei. Unde non exigit præmium; sed potiùs hoc dare liberalitati congruit præmiantis, in cujus obsequium actus ponitur.

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur ad meritum, tum condignum, tum congruum præmii supernaturalis?

402. *Requisita ad meritum, supernaturale omne.* Resp. 1mò, Ad omne meritum præmii supernaturalis requiritur 1mò. Ut sit actus honestus: nam sine honestate non est valor ad præmium. 2. Ut sit actus liber; quia ad meritum coronæ, seu præmii requiritur quædam in actu laudabilitas victoriæ; talis autem non habetur sine libertate. 3. Ut sit supernaturalis non solùm extrinsecè à gratia sanctificante, vel imperio supernaturali charitatis; sed etiam intrinsecè, & entitativè; quia meritum, & præmium debent esse in eodem ordine. Hinc actus naturales hominis justi non sunt meritorii præmii supernaturalis, sed naturalis possunt esse de condigno. 4. Ut actus sit aliquo modo arduus, seu contemptivus alicujus commodi temporalis in gratiam præmium proponentis: nam ad meritum coronæ requiritur aliqua victoria, & non datur compensatio, si non præcesserit toleratio alicujus jacturæ. Atque etiam ex hoc capite beati amando Deum non merentur. 5. Ut actus fiat in statu viæ, id est, in statu, in quo actibus bonis præmia, & malis proponantur pœnæ: nam sicut, qui currunt in stadio, & pugnant in agone, ut mereantur bravium,

debent

debent currere, pugnare tempore, quo sit proposita retributio. Ità hîc. Quare in Scriptura dicitur: *Dum tempus habemus, operemur bonum. Venit nox, quando nemo potest operari.* Hinc nec Beati, & animæ purgatorii merentur, nec damnati in actu secundo demerentur. Tempus autem viæ nobis à Deo statutum est decursus vitæ, usque ad sententiam Judicis statim post mortem. Ratio enim providentiæ Divinæ exigebat, ut statueretur terminus meriti, & demeriti, ne in infinitum extenderentur, sed beati essent tandem in statu quietis: nosque in via excitaremur ad ferventiùs operandum. Et verò convenienter nobis statutus est pro tempore viæ decursus vitæ; tum quia natura humana, utpote valde debilis, & paulatim perficienda, longius tempus requirebat, quàm Angelica, quæ in statu perfecto est condita; tum ne, si in tempore vitæ nostræ finiretur tempus merendi, tepore corriperemur. Quare Eccl. Cap. 18. dicitur: *Ne verearis usque ad mortem justificari.*

Hinc patet, cur Beati, & animæ purgatorii nobis possint impetrare beneficia, etsi non mereantur: Impetratio enim maximè spectat ad statum amicitiæ, nec auget eorum meritum. Habent quidem Beati novum gaudium accidentale, v.g. de peccatoribus redeuntibus ad Deum; sed id profluit ex beatitudine essentiali, non ex merito. Sunt quoque Dæmones capaces novæ pœnæ accidentalis, dum vident peccatores redire ad pœnitentiam; sed & illa ex damnatione, non ex novo demerito procedit. An sint capaces alicujus gaudii accidentalis, dum perversi illis sui conatus succedunt ex vo-

403. *Beati possunt bona impetrare, non mereri.*

to, dubium est. Gaudii positivi saltem veri capaces non sunt, sed negativi solùm, seu carentiæ illius pœnæ accidentalis, quâ cruciarentur, si homines non peccarent. Vide Suar. de Angelis.

404. *Requisita ad meritum de condigno.* Resp. 2. Ad meritum de condigno præmii supernaturalis requiritur 1mò. Ut sit actus honestus, liber, supernaturalis aliquo modo arduus à Viatore procedens; ùt constat ex jam dictis. 2. Ut sit in æstimatione morali valoris cum præmio æqualis, non quidem arithmeticè, ùt pretium cum merce; sed saltem geometricè, id est, ut, licèt non habeat tot gradus valoris, quot præmium, habet, tamen spectatâ personâ præmiantis, & conditione operantis proportionem ad præmium velut semen in corde liberalissimi remuneratoris, quem magna decet largiri præmia. 3. Ut quis mereatur de condigno præmium supernaturale, v. g. augmentum gratiæ, & gloriæ, requiritur in eo status gratiæ: Apostolo enim teste 1. ad Cor. 17. non prosunt reliqua opera, puta condignè, sine charitate. Et ratio est; quia deficiente statu gratiæ in hac providentia sumus inimici Dei, & rei pœnæ æternæ; reus autem pœnæ æternæ, & inimicus Dei condignè mereri non potest dona naturæ indebita, jusque ad gloriam, & hæreditatem Dei. 4. Requiritur, ut Deus operanti proposuerit, & promiserit præmium; quia, licèt meritum de condigno pro priori ad promissionem debeat habere condignitatem; attamen in actu secundo, & proximè non potest exigere præmium, nisi accedat Dei acceptatio, & promissio: potest enim aliis titulis à nobis Deus omne

ne obſequium exigere; factâ autem promiſſione, præmium debetur ex juſtitia quadam; ſicut, ſi quis à me conductus laboret in mea vinea, mercedem ei debeo ex juſtitia ; non verò ſi ſuâ ſponte laboravit.

An necesse, ut procedat ab imperio charitatis.

Controvertitur, an actus de condigno meritorius augmenti gratiæ, & vitæ æternæ debeat vel eſſe in ſe, vel ſaltem procedere ab actu perfectæ charitatis. Negat id communior : tum quia Script. Matthæi 25. & alibi actibus honeſtis ſupernaturalibus, in Deo factis, ſine exceptione vitam æternam promittit ; tum quia filio, & amico per actus ſupernaturales ſe ſubmittenti amico, & patri debetur præmium conſentaneum amico & filio ; hoc autem eſt vita perpetua cum amico, & hæreditas Patris. Sunt tamen, qui, ut mereamur de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, requirunt, ut opera noſtra procedant ab imperio charitatis vel formali, vel virtuali ; quia, inquiunt, ut motus voluntatis in finem ultimum cum ejus merito feratur, proportionato, debet ferri per modum unionis, quæ propriè eſt actus charitatis.

Imperium virtuale, quod ajunt ſufficere, ponunt in virtute, à præcedente actu charitatis, opus intendente, relictâ, ùt ſi ex motivo charitatis intendiſti dare eleëmoſynam, & dein de Deo non cogitans ex virtute prioris intentionis eam des. Sed non ſatis apparet, ſi nec implicitus adſit actus charitatis, in quo virtus illa conſiſtat, & quid ad meritum conferre plus poſſit, quàm ſi ex honeſtate ſupernaturali operetur : hujus enim amor eſt inchoata charitas ſecundùm dicta N. 54. cùm-

que gratia ordinet hominem ad Deum, & velut proprietates ejus sint reliquæ virtutes per se infusæ; quando justus ex motivo virtutis operatur, rectè dicitur operari ex imperio, seu inclinatione charitatis. Nihilominùs sollicitè curandum, ut operemur ex motivo charitatis omnia: hoc enim maximi, & certissimi est meriti.

Requisita ad meritum de congruo. Resp. 3. Ad meritum congruum præmii supernaturalis requiritur, ut sit actus liber honestus, supernaturalis Viatoris, non tamen status gratiæ, nec promissio Divina; quia sine his potest esse congruitas actûs ad præmium, ùt constabit ex dicendis.

QUÆSTIO III.

Quid homo justus in hac Dei providentia sibi mereri possit, & mereatur?

405. *Augmentum gratiæ, & gloriæ.* Resp. 1. Potest mereri, & de facto meretur homo justus, cooperando divinæ gratiæ auxiliis, augmentum gratiæ sanctificantis, gloriæ, & vitam æternam de condigno. Constat ex Scriptura CC. & PP. nam Sapientiæ 5. dicitur: *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Matthæi 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis, &.* Trid. autem Sess. 6. Can. 32. Anathema dicit neganti, hominem justificatum bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque etiam augmentum gloriæ; verè autem, pro-

propriè, & simpliciter mereri, est mereri de condigno. Et ratio est; quia bona opera justi sunt opera filii in obsequium munificentissimi Patris, cujus retributio debet esse hæreditas, & conspectus patris. Atque sic spectatâ præmiantis personâ, & operantis conditione, opera sunt proportionata tali præmio.

406. *Non tamen gratiam efficacem, nec finalem perseverantiam de condigno.*

Resp. 2. Non potest homo justus de condigno sibi mereri auxilium gratiæ efficacis, nec donum perseverantiæ finalis: nam Deus nullis justi operibus ista tanquam præmium meriti de condigno proposuit, vel promisit; sed hujus vim totam insumi voluit in augmentum gratiæ & gloriæ operantis, nosque cum timore & tremore operari salutem nostram: ùt enim ait Apostolus ad Philippenses 2. Ipse operatur in nobis velle & perficere, monetque 1. ad Cor. 10. ut, *qui existimat se stare, videat, ne cadat.* Unde nec mereri potest gratiam resurgendi, si cadat in mortale: nam lapsum resurgere plus est, quàm non cadere; si ergò gratiam efficacem ne cadat mereri de condigno non potest, nec mereri sic poterit gratiam efficacem resurgendi, si contingat eum labi in mortale.

Bene tamen de congruo.

Dixi: *de Condigno*: nam ista mereri potest de congruo, non tamen infallibiliter. Ratio 1mi est; quia vita Deo devota, & frequens horum petitio, quatenus est humilis Confessio infirmitatis nostræ, & imploratio auxilii divini vim habet impetrandi; quatenus autem est honor, & obsequium Dei, vim habet Deum movendi quandam, ut ista largiatur. Ratio

2di eſt, quia Deus iſta non promiſit noſtris meritis.

407. *Non bona temporalia.* Reſp. 3. Non poteſt homo juſtus per bona ſupernaturalia opera de condigno mereri bona temporalia, poteſt tamen de congruo, quatenus ad finem ſupernaturalem conducunt: vis namque bonorum operum ſupernaturalium ordinatur tantùm ad finem ſupernaturalem, & tota inſumitur ad augmentum gratiæ, & gloriæ.

408. *Nec primam gratiam.* Reſp. 4. Nemo poteſt ſibi mereri primam gratiam actualem; quia ad omne meritum ſupernaturale præerequiritur gratia actualis: nam opus merè naturale non eſt diſpoſitio proportionata ad illam.

QUÆSTIO IV.

An, & quid Peccator ſibi mereri poſſit?

409. *Præmium ſupernaturale de congruo, nempe ulteriores gratias actuales, & ſanctificantem.* Reſp. Peccator, adjutus divinæ gratiæ auxilio, poteſt ſibi mereri præmium ſupernaturale non de condigno quidem; quia eſt inimicus Dei, de congruo tamen. Ac 1mò quidem ulteriora gratiæ actualis auxilia. nam congruum eſt, ut Deus, qui omnes vult ſalvos fieri, homini, per gratiam facienti quod in ſe eſt, non deneget gratias. 2. Sic mereri poteſt per actus ſuos ſupernaturales primam gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccati mortalis; & immediatè quidem per actum, qui eſt ultima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, uti eſt perfecta contritio, & amor

amor Dei super omnia ; mediatè verò per actus alios bonos morales supernaturales , ex fide & gratiæ auxilio factos. Prima pars probatur ; quia actus ille est bonus , liber , supernaturalis , habens Dei promissionem ; & nullus alius actus inter eum , & infusionem gratiæ mediat. Ratio à priori est , quia convenit divinæ misericordiæ , ut per gratiam Christi ex toto corde ad se redeuntem recipiat. Quod & Deus promisit : ait enim Christus apud S. Joan. 14. *Qui diligit me , diligetur à Patre meo , & ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus* : unde & meritum id infallibile est. Pars 2da etiam probatur : nam Danielis 4. dicitur, peccata tua eleëmosynis redime. Matth. 5. *Beati misericordes , quoniam ipsi misericordiam consequentur* , ad Hebræos 13. *Beneficentiæ & communicationis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus* , vel placatur Deus , ut intelligit August. qui etiam ait fidem mereri justificationem. Ratio autem est ; quia actus illi sunt boni , liberi , procedunt ex fide , aliquo modo disponunt ad unionem cum Deo ; quia ex se ad illum ordinati ; maximè si peccator eos referat ad obtinendam veniam peccatorum. Itaque Peccator per actus bonos orationem , jejunium , eleëmosynas, &c. meretur gratiæ auxilia , ut peccata vitet , occasiones fugiat , tandemque obtineat auxilium uberius vel proximè sufficiens ad ultimam dispositionem pro justificatione. Dixi : *Sufficiens* : quia videtur probabiliùs , quòd Peccator non possit de congruo mereri auxilium gratiæ efficax ad perfectam conversionem ; quamvis id interdum possit impetrare : impetratio enim magìs,

quàm quodvis meritum nititur purâ Dei misericordiâ ac liberalitate.

410. *Peccatores animãdi ad bona opera* Ex his patet Peccatores consuetudinarios animandos esse, ut instent orationi, aliaque bona opera frequentent ad merendum, & impetrandum divinæ gratiæ auxilia, non verò terrendos, quòd relapsi nihil mereri possint: hoc enim esset eos potiùs in interitum, & desperationem præcipitare, quàm ad vitæ correctionem adducere, utì rectè monuit P. Layman.

QUÆSTIO V.

Quid in statu viæ mereri possimus aliis Viatoribus?

411. *Non potest etiam justus de condigno.* Resp 1. Nemo justus, utcunque sanctus, alteri de condigno mereri potest. Est communis TT. Probatur ex Scriptura, quæ, loquens de præmio justorum, dicit unicuique dandum secundùm opera sua 2. ad Cor. 5. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Apocal. 14. Ergo ad beatitudinis præmium nulli prosunt opera bona de condigno, nisi ipsi operanti; illa autem gloria, quæ respondet gratiæ ex opere operato, non nostris, sed Christi meritis referenda est. *Ratio autem est*; quia meritum de condigno radicatur in gratia sanctificante; hæc autem ex natura sua solùm tendit ad subjecti sui beatitudinem, idque solùm constituit filium Dei, & hæredem; in alios non influens. Unde Deus ordinavit, ut quisque sibi tantùm possit mereri præmium essentiale beatitudinis, solique operanti id promisit; nemo autem, in stadio

ſtadio currens, poteſt mereri bravium, niſi ùt ſupremus Gubernator vincentibus propoſuit, ac promiſit. Quare gratia ſanctificans non poteſt eſſe principium merendi de condigno vitam æternam niſi perſonæ, cui ineſt. Hinc generatim non poteſt juſtus alteri mereri de condigno augmentum gratiæ, vel gratiam aut gloriam, vel charitatem, aliaſve virtutes infuſas, ac dona connexa illi, habitum fidei, ſpei, aut gratiæ auxilia: hæc enim omnia vel pertinent ad ſubſtantialem juſtitiam, vel poſtulant recipientis diſpoſitionem, vel non dantur, niſi ad gloriam conſequendam. Ac præcipuè; quia Deus non ordinavit ejuſmodi merita ad tale præmium. Aliud eſt de ſatisfactione, quam alius pro alio præſtare poteſt: nam ſatisfactio pro pœna temporali non pertinet ad majorem minoremve animæ ſanctitatem, ſicut juſtificatio. Chriſtus nobis mereri potuit; quia miſſus erat ùt Redemptor, & Sanctificator noſter habens meritum infinitum, adeoque dando nihil amittebat, ſed augebat gloriam ſuam &c.

Reſp. 2. Quamvis homo juſtus non poſſit ſibi de congruo mereri primam gratiam auxiliantem; poteſt tamen eam alteri de congruo mereri etiam efficacem, ulterioraque gratiæ auxilia, & alia beneficia, v. g. parvulo applicationem Baptiſmi, adulto congruam vocationem ad fidem, & contritionem, relapſo recuperationem gratiæ; imò quod poteſt de congruo ſibi mereri, id poteſt & alteri: datur enim communio inter fideles, & mèritum de congruo non ſupponit primam gratiam in altero, ſed in merente. 421. *Poteſt mereri alteri de congruo.*

413. *Corollarium.* Ex dictis jam patet, quid prosit aliis, qui pro iis orat, aut alia bona opera peragit, & Deo offert: nam mereri de congruo iis potest, & impetrare gratias, aliaque beneficia, ut consequantur justificationem, attamen fructu primario, seu augmento gratiæ sanctificantis, & gloriæ se privare non potest, quod respondet ejus operibus, multò minùs gratiâ, quæ in Sacramentis provenit ex opere operato: unde, qui dicunt se pro animabus in purgatorio velle communicare &c. non possunt iis prodesse, nisi devotionis suæ vi satisfactoriâ, & impetratoriâ, ut excitentur à Deo, qui satisfactoria opera pro iis peragant.

Finis primæ partis.

O. A. M. D. G.



Emen-

Emendanda in 1ma parte.

Pag. 15. Lin. 1. Sectarii pro *sectari.*
Pag. 80. lin. 3. ex falso pro *& falso.*
Pag. 84. lin. 16. à fine Concil. pro *Concilii.*
Pag. 89. lin. 2. à fine postponamus pro *postponimus.*
Pag. 117. lin. 12. lanâ nentes pro *lananentes.*
Pag. 121. sub n. 100. lin. 7. specie pro *species.*
Pag. 250. lin. 4. à fine ab hac non nisi remotè.
Pag. 301. lin. 2. à fine præparata pro *reparata.*
Pag. 512. lin. 7. pravo pro *parvo.*
Pag. 608. lin. penultima personale particulare.
Pag. 717. lin. 4. à fine gaudere se.



CASUS CONSCIENTIÆ EX PRIMA PARTE Resolvendi.

De Actibus humanis.

CASUS I.

ABaudius, solitus singulis mensibus confiteri, primâ Januarii adit suum Pastorem (quem scit esse malæ vitæ, eò quòd habeat ancillam salacem, ob quam malè audit, nec tamen scandalum tollit; sed pergit cum illa scandalosè vivere) cupitque confiteri illi.

Quæritur 1mò. Quando effectus, qui prævidetur ex causa voluntaria secuturus, ponenti causam imputetur ad culpam? *2dò.* An Abaudius peccet, petens confiteri suo Pastori, quem vel prævidet, vel meritò timet, Sacramentum Pœnitentiæ administraturum in statu peccati mortalis?

lis? à n. 14. ad 17. Videri etiam potest p. 2, n. 133.

CASUS II.

Abelus ex curiositate legit casus de materia venerea, conversatur liberiùs cum altero sexu, apprehendendo manus, jocando, imò & osculando, ex quibus consequuntur turpes motus.

Quæritur imò. An, quando istiusmodi agit sine honesto fine, & justá causâ, tales motus ipsi imputentur ad culpam, & quam? *2dò.* An, si tales actiones ponat ex rationabili causa, peccet contra castitatem? *3tiò.* Quid dicendum, si experientiá sciat, esse periculum consensûs in delectationem veneream? sub n. 15. & 16.

CASUS III.

Abilinus gravibus minis à Patre suo adigitur, ut adeat certam domum, amoremque filiæ in ea prædivitis sibi reconciliet, offerat munuscula à patre malè acquisita, ut ità illam inducat ad contrahendum secum matrimonium. Abilinus prævidet à puella illa, & conversatione cum ea imminere sibi pericula peccatorum, munusculaque illa scit, à patre esse malè acquisita, obedit tamen gravi metu compulsus, conversatur cum puella, ùt proci solent, offert munuscula, osculatur, &c.

Quæ-

Quæritur 1mò. An, quæ fiunt ex gravi metu, ſint voluntaria, & imputabilia ad culpam? *2dò.* Quomodo Abilinus in Confeſſione ſit examinandus, & peccâſſe cenſendus? *3tiò.* Ad quid obligandus? à n. 18. ad 21.

CASUS IV.

Aboldus Adoleſcens ab anno 15. ætatis cœpit delectari cogitationibus venereis, ſe turpiter cum delectatione tangere, dein perſuaſus à ſuo conſodali, mollitiem non eſſe peccatum, eam exercuit per tres annos frequenter, poſtmodum audit ejusmodi actus eſſe peccata gravia; omittit tamen confiteri, quia intellexit, ignorantem non peccare; tandem Confeſſionem facit generalem, & aperit peccata ignoranter facta.

Quæritur 1mò. Quæ ignorantia excuſet à peccato? *2dò.* Unde dignoſcatur, an ignorantia culpabilis, vel inculpabilis fuerit? *3tiò.* An detur invincibilis ignorantia legis naturæ? *4tò.* Quid agendum, & judicandum de Aboldo? à n. 22. ad 25. n. 133. 192.

CASUS V.

Abundius Sacellanus, approbatús pro excipiendis Fidelium confeſſionibus, experitur ſcientiam ſuam ad id officium ritè

obeundum tenuem, & insufficientem esse, pergit tamen audire confessiones, eò quòd de idoneitate sua authenticum habeat Episcopi testimonium: & quia negligit studium, varios committit errores, tum circa numerum, & speciem peccatorum inquirendam, tum circa obligationem restituendi.

Quæritur 1mò. Quomodo Abundius negligendo studium peccârit, & quoties? 2dò. An singulis vicibus errorem talem committendo graviter peccaverit? P. 1. n. 24. 192. Neo Conf. n. 50. 3tiò. Quomodo errores admissi sint corrigendi, & an teneatur ad restitutionem? in Neo-C. n. 48.

CASUS VI.

Abundia, in speciem devota, videns alias suæ conditionis mulierculas frequenter confiteri, & ad sacram synaxin accedere diebus etiam operariis, & pluribus interesse Missis, cupida æstimationis humanæ, & vanæ gloriæ, ne videatur aliis minùs devota, frequentat sæpe eadem Sacramenta, audit devotè plura Sacra.

Quæritur, An Confessio censenda sit valida ob dolorem fortè non supernaturalem, & an reliqua opera de se bona, procedentia ex affectu vanæ gloriæ, sint fructuosa, & quid ei dicendum? à n. 58.

De Conscientia.

CASUS VII.

Achatiùs Clericus confitetur sequentia: 1mò. Semel cum aliis seriùs bibi, necdum dictis Vesperis, & Completorio; interrogans socios meos, quæ esset hora? duodecimam esse præteritam affirmabant aliqui, alii negabant: affirmantibus credidi, & omisi Vesperas cum Completorio, cogitans præceptum non posse ampliùs impleri. 2dò. In domo Titii inveni horologium rotatum portatile, quod, quia videbatur esse meum, clam mihi subductum, illud sustuli. 3tiò. Semel bene potus, de nocte in platea domum rediens, aliquem percussi baculo meo; in actu percussionis, subiit mihi: fortè est Clericus; perrexi tamen percutere, & jam rescire non possum, an fuerit Clericus.

Quæritur 1mò. Unde dignoscatur, pro quo stet possessio? *2dò.* An lex obligans ad horas non fuerit in possessione, adeoque Achatius, omittens Vesperas, non peccaverit? *3tiò.* An ob probabilem suam opinionem potuerit licitè auferre illud horologium? *4tò.* An debeat se gerere, ùt irregularem, ob percussionem dubiam Clerici? n. 81. & 89.

CASUS VIII.

Aubedius petit à Dno suo Pastore testimonium Baptismi, exhibendum Episcopo, ut ad Subdiaconatûs ordinem promoveatur; Pastor diem & mensem Baptismi non invenit annotatum, dubiumque manet, an annum vigesimum primum compleverit? Aubedius ordinatur Subdiaconus, at statim post angitur, an non sit suspensus ab ordine suscepto?

Quæritur, quid dicendum? sub n. 89.

CASUS IX.

Agatha, ancilla devota, emisit votum, singulis diebus Sabbatinis jejunandi, & dicendi Rosarium in honorem Bmæ Virginis, dubitat autem, an illud emiserit ante, vel post annum duodecimum ætatis suæ: dein inserviens in domo hospitibus peregrinis in seram noctem, modestè tamen, ut altero die possit accedere ad sacram Synaxin; manè dubitat, an non post mediam noctem aliquid deglutiverit violans Jejunium; Adit suum Confessarium, exponit suum votum, quod ait sibi servatu in alieno obsequio valde difficile esse, exponit & dubium de Jejunio fortè violato.

Quæritur 1mò. An pater ipsius adhuc in vivis possit illud votum irritare? 2dò. An

An non possit ipsi permitti accessus ad Communionem? sub n. 89.

De Legibus & Præceptis.

CASUS X.

Agilinus Mercator prohibuit filio suo, ne frequentet certam domum ob periculum seductionis à procace ibidem puella, & pro majore benedictione domûs mandat, ut certo studioso pauperi det singulis mensibus ex lucro medium florenum quamdiu studebit: filius adit aliquoties domum illam, & imperatam eleëmosynam non dat, moritur pater tres post annos.

Quæritur 1mò. Quomodo peccârit filius frequentando domum illam, & non dando eleëmosynam imperatam? *2dò.* An post mortem patris adhuc teneatur præcepto, prohibente accessum ad illam domum? *3tiò.* An teneatur eleëmosynas neglectas adhuc, & deinceps dare medium florenum singulis mensibus studioso, usque ad finem studiorum? P. 1. à n. 126. ad n. 128. Item n. 149.

CASUS XI.

Agritius, Decanus ruralis, celebrato nuper Capitulo, mensæ præsidet, cumque duo ex congregatis post jocos acerbio-

res jurgare, & altercari inciperent, jactis in se mutuò contumeliis, cum non levi præsentium offendiculo; jubet eos tacere, cumque non parerent, ex triclinio facessere, demum, cùm neglectis ejus jussis persisterent in reliquorum consortio, dictat singulis mulctam unius aurei, cassæ Capitulari inferendam; altero die mittit, qui eam exigat: sed illi renuunt solvere, nuntiantes Decano, ipsi nullam in se competere jurisdictionem, officium illius solum esse, ut, si quid contra se habeat, referat ad Ordinarium, vel ejus Vicarium.

Quæritur, an Decanus ruralis habeat potestatem præcipiendi membris Capituli, adeoque duo illi obligati fuerint obedire, & solvere mulctam? V. n. 141.

Consultus super hoc casu Theologus respondit: Cùm Decanus ruralis sit Vicarius Episcopi forensis, ejusque officium sit gubernare Clerum, populumque certi districtûs; hoc autem sine omni jurisdictione efficaciter non possit, necesse est, ut ei competat aliqua jurisdictio in suos Capitulares, etiam in foro externo, licèt Episcopo subjecta, & minor, non extendens se ad graviora delicta, & pœnas, ùt foret, ferre censuras. *Sumitur ex Cap. finali, Titulo 24. de Officio Archipresbyteri.* ubi vocatur Vicarius Episcopi extra civitatem constitutus, & comparatur Vicario Ci-

Civitatensi, & Archi-Diacono Cathedralis Ecclesiæ: quòd autem ibi jubeatur referre ad Episcopum, intelligitur de rebus gravioris momenti, & ut nihil ordinare præsumat contra decretum, & præceptum Episcopi. Si verò & minora deberet eò referre, ejus officium esset valde odiosum, & authoritas inanis nominis umbra. Potest ergo exercere jurisdictionem in suos Capitulares in rebus minoribus. Ex quo sequitur, duos illos in casu nostro fuisse obligatos ad parendum Decano, & ad mulctam, dictatam ob contumaciam, exsolvendam, nisi fortè sit in aliqua Diœcesi Decanus ruralis Vicarius Episcopi merè umbratilis, & purus denuntiator.

Quæritur, an bene sit responsum?

CASUS XII.

Alexander, Parochus regularis, confitetur 1mò. Ex præcepto mei Superioris non licet mihi bibere vinum in publico diversorio, quod tamen feci aliquoties. 2dò. Die jejunii excessi in vespertina collatione. 3. Semel in Missa omisi aquam affundere vino in calicem, ejus postea recordatus cogitavi, esse rem levem, & neglexi infundere ante consecrationem. 4tò. Semel renovaturus hostiam in Monstrantia, ut vocant, consecravi unicam, & sumpsi illam, quæ fuerat in Monstrantia.

Quæritur 1mò. Quæ sit censenda materia gravis legis, vel præcepti? *2dò.* Quomodo Alexander examinandus, ut dignoscatur, an in vino, & collatione vespertina excesserit graviter, & quid judicandum? *3tiò.* Quomodo peccârit non affundendo aquam vino, & sic renovando Venerabile? à n. 149.

CASUS XIII.

Alexius inter cætera in Confessione aperit Confessario hunc casum: Cùm in Ducatu nostro crescat copia frumentorum, Princeps noster statuit, ut minore pretiò venderetur triticum, & insuper nullus sub pœna 30. aureorum frumenta ex nostro ducatu transferret sine expressa sua licentia ad aliud territorium; ego à Consiliario intelligens, statutam jam esse imminutionem pretii, ante promulgationem legis, vel statuti, frumenta mea, & præsertim triticum, majori pretio adhuc currente vendidi ex parte, dein factâ legis, vel statuti promulgatione, emi alia, & aliquot plaustra, seu currus tritici curavi avehi ad vicinum territorium, ibique vendidi pretio majore, istic tamen communi.

Quæritur 1mò. An lex humana civilis obligare possit in conscientia, etiam sub culpa gravi? n. 151. 153. *2dò.* Quibus lex verbis efferri debeat, ut intelligatur obli-

obligare sub peccato immediatè ad actum, vel omissionem, & quid dicendum in dubio? n. 152. *3tiò*. An lex obliget ante promulgationem, & illicitè vendiderit Alexius sua frumenta currente adhuc majore pretio ante eam? n. 158. *4tò*. An peccârit avehendo in alienum territorium?

CASUS XIV.

Alipius contraxit matrimonium, non præmissis proclamationibus, sciens non esse impedimentum inter se, & sponsam, dein intelligit ab uxoris patre, bona esse gravata ære alieno 100. Imperialium, qui debebantur Alberto, numerat huic 100. apocham non petit, sed solùm monet Albertum, ut debitum deleat in libro rationum: promittit id Albertus, sed priusquam id faciat, moritur, hæredes Alberti producunt librum, & exigunt debitum; Alipius à Judice comdemnatur ad solvendum.

Quæritur 1mò. An lex fundata in præsumptione obliget per se in conscientia, si actio, vel omissio præsumpta non sit facta? *2dò*. An sit obligatio, matrimonio præmittendi proclamationes, si certò nullum adsit impedimentum? *3tiò*. An Alipius teneatur in conscientia iteratò solvere 100. sique ratione scandali, vel à Judice compulsus

pulsus solverit, an possit uti occultâ compensatione? sub n. 255. & sub n. 156. §. 2.

CASUS XV.

Amandus emit ab Aniceto 8. vineas bis mille imperialibus. Anicetus tradit Amando litteras de singulis, quo loco sitæ sint, & quot numerent stipites: acquiescit fidens Aniceto Amandus. Postea circa tempus culturæ quærens vineas, intelligit, duas ab Aniceti avo esse alteri venditas. Amandus adit Judicem: hic audiens, quod Amandus sit tantùm deceptus infra dimidium justi pretii, repellit Amandum, & pronuntiat Anicetum liberum. Amandus Anicetum monet, ut consideret, quid justum sit in foro conscientiæ, reponit Anicetus, lex justa in foro externo est etiam justa in interno, nihil proinde *debeo*.

Quæritur jam, an Anicetus in conscientia sit securus? V. sub n. 156. §. *Dices.* & P. 3. n. 209. 311.

CASUS XVI.

Antonius Sacerdos, ob infirmitatem non potest sine gravi difficultate, & periculo diuturnioris morbi recitare totum Officium

cium Canonicum, poteſt facilè recitare Primam, & Completorium.

Quæritur 1mò. An, qui non poteſt ponere totum opus præceptum, poteſt tamen ponere partem, ad hanc teneatur? *2dò.* An Antonius licitè omittat Primam, & Completorium? n. 163. 164. & P. 2. ſub n. 271.

CASUS XVII.

Apodiſius opifex, famulis ſuis Lutheranis diebus vetitis apponit carnes, liberis etiam ſuis parvulis de iiſdem porrigit, & hos, dum imprecatoria, & juratoria verba proferunt, non reprehendit; putans lege non teneri.

Quæritur 1mò. Quinam teneantur legibus humanis? *2dò.* An pueri ante uſum rationis teneantur legibus naturalibus? *3tiò.* An & quomodo peccet Apodiſius? à n. 166.

CASUS XVIII.

Arnoldus Sacerdos, perſuaſus, Eccleſiaſticos non teneri legibus civilibus, vendit ſua frumenta, aliqua ſupra pretium à Magiſtratu taxatum, alia evehit è patria contra interdictum Regis, nec ſolvit vectigalia, ſed per fraudem ſubterfugit.

Quæritur 1mò. An Eccleſiaſtici teneantur legibus civilibus? *2dò.* In quibus ex

præ-

prædictis peccet Arnoldus, & quomodo? à n. 168.

CASUS XIX.

Arsenius Canonicus, absens à suo territorio, & loco beneficii requirentis residentiam, Festis sui territorii specialibus non audit Sacrum, mandanti Episcopo suo sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ut omnes Canonici adsint in loco beneficii, non obedit. Ludit chartis, frequentat popinas contra præceptum Episcopi sui, sibi ea ob malos mores prohibentis.

Quæritur 1mò. An peregrini, absentes à suo territorio, teneantur specialibus ejus legibus? 2*dò.* An Arsenius absens incurrat suspensionem? 3*tiò.* An absens teneatur præcepto prohibente lusum chartarum, & popinas? à n. 172.

CASUS XX.

Athanasius, manè abiturus à suo territorio, ubi est jejunium, ad locum, ubi jejunium non est, sumit jentaculum, & in itinere adhuc existens in suo territorio postea prandet, vesperi in alio loco, ubi jejunium non est, vescitur carnibus.

Quæritur, an Athanasius obligatus ad jejunium sic agendo peccaverit? n. 176.

CASUS

CASUS XXI.

Bantus, exiguo intervallo, à ſuo domicilio, in quo eſt jejunium ſpeciali ex lege, exiens manè à loco, ubi jejunium non eſt, veſcitur carnibus, etſi prævideat, ſe circa meridiem fore in loco ſui domicilii: adeſt, ùt prævidit, prandet, & veſperi cœnat, etſi iter haud difficile fuerit, nec aliunde ſit à jejunio excuſatus.

Quæritur, an licitè fecerit? n. 176, Corollario 2do.

CASUS XXII.

Baſilius manè negotiorum causâ abit à ſua Parochia, in qua celebratur feſtum Patrocinii, ad locum, ubi aliud eſt ſpeciale feſtum, ſed in neutro loco audit Miſſam.

Quæritur 1mò. An Baſilius non fuerit obligatus ad audiendam Miſſam in ſua Parochia, antequam abiret? 2*dò*. An ſaltem præcepto alterius non fuerit aſtrictus ad Miſſam audiendam? Ibidem n. 176, Coroll. 3. & à n. 177.

ÇASUS XXIII.

Beda Diœceſis Metenſis, habitans in confinibus Diœceſis Trevirenſis, tempore Quadrageſimæ deſcendit ad Diœceſin Trevirenſem, in qua, secùs ac in Diœceſi Metenſi,

tensi, dispensatum est in abstinentia à carnibus, eâ intentione, ut possit vesci carnibus, & absolvi à casu in Metensi, non verò in Trevirensi reservato. Vescitur carnibus, & absolvitur à casu reservato, quia Confessario non constabat, illum in fraudem legis venisse.

Quæritur, an licitè potuerit vesci carnibus, & validè sit absolutus? n. 177.

CASUS XXIV.

Benedictus die festo in Sacro non oravit, distractus fuit, attamen attendit ad partes principales Sacri, sed cum intentione audiendi aliud, putans, eo audiendi modo non satisfieri præcepto. Postero die Dominico venit ad Sacrum paulò ante consecrationem: hâc peractâ exivit arbitratus, se Sacrum jam non posse audire, & ad partem non teneri.

Quæritur imò. An, ut præcepto satisfiat, requiratur intentio illi satisfaciendi? *2dò*. An non debeat abesse intentio non satisfaciendi? *3tiò*. An Benedictus satisfecerit præcepto? *4tò*. An obligatus non fuerit ad partem illam Missæ post consecrationem? n. 182. 183. 163.

CASUS XXV.

Benitius Parochus, multis occupatus per diem, dixit manè Matutinum cum Laudi-

Laudibus & Primâ, sed valde distractus. His absolutis dubitat, an satisfecerit: reflectens ad sententiam eorum, qui docent, non requiri aliam attentionem, quàm ut quis voluerit orare, & ordinatè omnia persolverit, cogitat, se satisfecisse: pergit in suis negotiis usque in seram noctem, necdum dictis horis reliquis. Tandem in uno horologio auditur duodecima, sed necdum in altero: quia autem utrumque ordinariè bene procedit, cogitat, probabile est, quòd tempus sit elapsum, & amplius lex impleri non possit, proinde omittit horas reliquas: mediâ horâ post, duodecima auditur in altero horologio, itaque angitur, quia potuisset adhuc horas dicere, & præcepto satisfacere.

Quæritur 1mò. An, cui probabile est, quòd legem impleverit, adhuc teneatur? 2dò. An rectè Benitius se accommodaverit horologio primo? à n. 186.

De causis excusantibus.

CASUS XXVI.

Bernardus Sacerdos in magnâ festivitate inter alios pœnitentes audit aliquos, qui diversas leges non implêrunt metu gravis mali. Primus ait: Semel die Dominicâ non audivi Sacrum ex metu, ne relaberer in tertianam febrim. 2dus ait: Ante mensem in confessione oblitus confiteri mortale, cùm essem inter alios prope mensam

communicantium, recordatus illius peccati, timens, ne infamarer, communicavi. 3tius: Dominus meus provocatus ad duellum, jussit, ut comitarer, & deferrem ipsi arma; ego timore gravis indignationis obedivi.

Quæritur, quando metus gravis mali excuset ab observatione legis tum humanæ, tum divinæ, & naturalis? Et quid dicendum de illis pœnitentibus? à n. 189.

CASUS XXVII.

Bertrandus, Pater-familias pauper, audito die Dominico Sacro, laborat serviliter, clam, magnâ diei parte, sine licentiâ Parochi: die jejunii cum suis comedit cibos, conditos adipe, vel sagimine: putavit, sic laborando, se non peccâsse, eò quòd aliàs non habuisset, unde sequentibus diebus cum suis viveret, & Pastor sit difficilior in dandâ licentiâ: putavit quoque, edere tales cibos sibi licere, eò quòd durum foret, de solo pane, & jusculo ex solâ aquâ vivere.

Quæritur 1mò. An Epiikia excuset ab observatione legis, & peccato? *2dò.* An censendus sit Bertrandus rectè processisse? à n. 193.

CASUS XXVIII.

Bonifacius, Sacellanus, non obstante præcepto Episcopi, sub pœnâ suspensionis vetantis Clericis lusum chartarum in alienis ædibus, ludit in arce cum nobili infirmo,

mo, ad mitigandam molestiam, præsumens licentiam Episcopi in tali casu.

Quæritur 1mò. Quando præsumptio licentiæ excuset ab observatione legis, & peccato? *2dò.* An Bonifacius excusetur à peccato, & suspensione? à n. 195.

CASUS XXIX.

Bublerus Canonicus, obligatus ad Missam, ex fundatione die Lunæ dicendam, Sabbato exit venationis causâ ad locum remotiorem prævidens fore, ut non possit die Dominicâ audire, nec die Lunæ legere Missam; præterea, cùm sit liberalioris genii, sua cum aliis consumit, & quia illa non sufficiunt, contrahit debita, quibus solvendis se fore imparem eâ ratione vivendo, facilè cogitare potest, pergit tamen in incertum vivere.

Quæritur 1mò. Quando excusetur à legis impletione, qui illi impedimentum ponit? *2dò.* An Bublerus peccârit tum non audiendo Sacrum, tum non legendo? *3tiò.* Quomodo peccet eâ ratione vivendo? à n. 196.

CASUS XXX.

Cabalinus, vir doctus, & in fide Catholicâ solidus, sine licentia Superioris legit libros Hæreticos, eâ ratione ductus, quod nullum sibi inde immineat perversionis periculum, adeoque finis legis Ecclesiasticæ, id prohibentis, respectu suî cesset, & desinat se obligare.

Quæritur 1mò. An, cessante fine legis immediato respectu particularis personæ, cesset lex eam obligare? *2dò.* An Cabalinus licitè processerit? à n. 201, 287. & in Analysi n. 52.

CASUS XXXI.

Cæsarius percussit Clericum, sed dubium est, an sit percussio enormis, adeoque casus Pontifici reservatus?

Quæritur 1mò. Quæ lex dicatur favorabilis, quæ odiosa? *2dò.* Quo respectu lex prohibens percussionem Clerici sit favorabilis, adeoque in favorem Clericalis statûs extendenda, & quo respectu sit odiosa, & restringenda? *3tiò.* An in tali dubio percussio Clerici sit Papæ reservata? à n. 203.

CASUS XXXII.

Cæcilius in domo sua nobili habet Oratorium privatum, eâ lege, ut possit singulis diebus una in eo dici Missa, diebus tamen Dominicis intersit illi in Ecclesiâ Parochiali, sed ob auræ intemperiem difficulter potest se conferre ad Parochialem Ecclesiam.

Quæritur 1mò. An teneatur uti suo privilegio, & audire Missam in suo oratorio, si adsit, qui legere velit? *2dò.* An teneatur stipendio conducere, qui eam dicat diebus, quibus ad Parochialem Ecclesiam accedere non potest? à n. 208. vide etiam P. 2. n. 286. & P. 4. n. 202.

CASUS XXXIII.

Cæſidius privilegium habet, in certâ Parochiá percipiendi omnes decimas : partem ab omni onere liberam, pro congruâ ſuſtentatione aſſignat Paſtori, Eccleſiæ verò nihil, quæ jam neceſſariis proventibus eſt deſtituta : Princeps dein fructibus ex decimis imponit contributiones annuas. Hæ exiguntur à Paſtore, convenit hic Cæſidium, petitque augeri ſuam portionem congruam ab eo, aut ſolvi contributiones, utrumque recuſat Cæſidius.

Quæritur 1mò. Quando privilegia ceſſent? *2dò.* An privilegia, ſeu exemptiones, per contractum onerofum conceſſa, revocari poſſint? *3tiò.* An Cæſidius ſit in conſcientia tutus? à n. 209.

CASUS XXXIV.

Calaminus, Archi-Presbyter in Decanatu rurali, ab Epiſcopi Sede longo locorum intervallo diſtante, habuit facultatem delegatam, cum rudibus diſpenſandi in votis, quæ quandoque re minùs perpenſâ emittunt : nunc ob reſcriptum aliquod Epiſcopi dubitat, an adhuc ſalva ſtet ſua facultas?

Quæritur, an poſſit in dubio pergere? n. 210.

CASUS XXXV.

Calimerius, Archi-Diaconus, Archi-

Episcopo charus, impetrat facultatem, Cajo clienti suo conferendi Parochiam in mense Papali, vel Archi-Episcopi, primò vacaturam, vel aliam, ùt maluerit; vacat primâ Januarii Parochia pinguis, sed antequam Cajo conferatur, moritur Archi-Episcopus.

Quæritur 1mò. An, & quæ gratiæ exspirent morte concedentis? *2dò.* An Calimerius adhuc conferre post mortem Archi-Episcopi Cajo Parochiam possit? à n. 211.

CASUS XXXVI.

Princeps territorii supremus legem tulit sub pœna unius aurei, ne quis de nocte in civitate suæ residentiæ armatus incedat, nec ullus post horam noctis nonam sine lumine exeat per plateas, ut vitentur rixæ, periculaque mutilationis, & furtorum; Cajus, existimans respectu suî nullum esse periculum, neutram legem servat.

Quæritur, an leges pœnales obligent sub peccato, & sub quali? Proinde an Cajus peccaverit coram Deo? à n. 215.

CASUS XXXVII.

Callistus commisit adulterium cum nepte suæ uxoris, cui peccato in pœnam à Jure statuitur privatio Juris, petendi debitum conjugale.

Quæritur 1mò. Quæ pœnæ incurrantur ante omnem Judicis sententiam? *2dò.* An

An Callistus teneatur abstinere à petitione debiti ipso facto ? *3tiò.* Quid dicendum, si ignoraverit, pœnam illam esse annexam? à n. 218. & 222.

CASUS XXXVIII.

Candidus confitetur : soleo vehere tum navi, tum curru frumenta, vina, aliaque victualia, & merces : & quia vectigalia gravia sunt, & frequentia, impenduntúrque non rarò magis luxui, quàm bono communi, ego, quando sine periculo mulctæ potui, ea non solvi, an malè feci?

Quæritur 1*mò.* Quid requiratur, ut vectigalia, pedagia, & ejusmodi exactiones sint justa? 2*dò.* An leges vectigalium, certò justæ, obligent in conscientia ad solutionem eorum ? 3*tiò.* An etiam, dum prudens dubium est de justitia ? 4*tò.* Quid dicendum Candido? An obligandus ad restitutionem ? à n. 227.

CASUS XXXIX.

Consuetudo habet, ut de certâ Parochiâ ex singulis domibus aliquis adsit processioni quot annis ad S. Wendelinum, quæ à majoribus cœpta, ab immemoriali tempore obtinet ; sed fervor devotionis paulatim remisit, incipitque esse minùs frequentis populi processio : Et, cùm nonnunquam in ejusmodi supplicationibus à junioribus diversi sexûs fiant insolentiæ, & pe-

riculosæ conversationes; Parochus ex consilio alicujus Missionarii abrogat supplicationem illam, proceditque cum Venerabili ad certam Christi effigiem, intra suam Parochiam, invitatque omnes, ad audiendum Sacrum, in honorem S. Wendelini, pro eorum necessitate dicendum.

Quæritur 1mò. Quæ requirantur, ut consuetudo obtineat vim legis, & obliget in conscientia? *2dò.* An peccârint patresfamilias, qui aliquo tempore nullum de sua domo cum supplicatione miserunt? *3tiò.* An Parochus rectè fecerit, sic commutando processionem illam? n. 236. & P. 2. n. 340.

De dispensatione, & interpretatione Legis.

CASUS XL.

Candidius, ex morbo adhuc debilis, petit, & impetrat dispensationem in Jejunio Quadragesimali, ut etiam carnibus vesci ipsi liceat: post elapsas tres septimanas sentit, se plenè ex morbo confirmatum.

Quæritur 1mò. Qualis causa requiratur, ut licitè peti, & dari possit dispensatio? n. 242.

2dò. An cessante causâ dispensationis, Candidius adhuc possit vesci carnibus, sitque dispensatus à jejunio? n. 249.

CASUS

CASUS XLI.

Canutus ex fornicatione cum consanguineá suá in tertio gradu suscepit prolem, ad hanc legitimandam, petit dispensationem, ut possit cum illa consanguinea contrahere matrimonium: conceditur, & expeditur dispensatio; sed priusquam matrimonium contrahatur, moritur proles.

Quæritur, an, cessante causâ dispensationis indivisibili, usus dispensationis adhuc licitus, & validus sit; possitque matrimonium Canutus licitè, & validè contrahere cum illa consanguinea? n. 249. Coroll. 4.

CASUS XLII.

Caprasius, dispensatus fuit in voto simplici castitatis, ut posset cum Caprasia inire matrimonium: post annos aliquot, à matrimonio contracto, moritur Caprasia.

Quæritur, an Caprasius vi dispensationis primæ possit transire ad secundas nuptias? n. 250

CASUS XLIII.

Carpus & Carponia, in secundo gradu consanguinei, petunt Româ dispensationem, ut possint invicem contrahere matrimonium, addunt in libello supplici, se hactenus abstinuisse ab omni copula: Roma committit Parocho loci, ut cum iis dispenset, si preces veritate nitantur. Ex-

ponens illis Parochus dispensationem, petit, an vera sint, quæ Romam scripserunt, respondent, se non antè quidem, attamen postquam scriptum fuit Romam, habuisse copulam; eò quòd audivissent, tunc faciliùs impetrari dispensationem.

Quæritur 1mò. An possit Parochus in hoc casu exequi dispensationem? *2dò.* An jam possit dispensare Episcopus? *3tio.* Quid agendum Parocho? n. 241. 246. 249.

CASUS XLIV.

Vicarius generalis Episcopi, habens potestatem, dispensandi in quibusdam legibus, impedimenta dirimentia matrimonium statuentibus, peregrè abiturus, formulas dispensationis, adscripto eis suo nomine, tradit suo Secretario, eique committit, ut, si quæ petatur, eam expediat. Venit Cajus, petit dispensationem in tertio affinitatis gradu cum Sempronia, expedit eam Secretarius sine ullo examine causæ.

Quæritur 1mò. An sine examine causæ licitè & validè detur in talibus dispensatio? n. 239.

2dò. Quid dicendum in dubio de valore dispensationis factæ? n. 251.

CASUS XLV.

Carolus, Neo-Presbyter, nuper ad excipiendas confessiones approbatus quidem, sed sine facultate absolvendi à casibus, Episco-

Episcopo reservatis, quærit à suo Pastore 1mò: Cùm inter casus reservatos habeatur commixtio carnalis Sacerdotis cum filia spirituali, quid veniat nomine filiæ spiritualis? Respondet Pastor: Quamvis in rigore filia spiritualis non sit, nisi filiatio proveniat ex Baptismo, vel Confirmatione, usitato tamen loquendi modo etiam venit pœnitens, solita confiteri isti Sacerdoti. Quare dubium est, donec mentem suam declaret Ordinarius reservans. Quærit Carolus 2dò: Cùm semper reservetur peccatum complicis, quid per illud intelligitur? Respondet Parochus: Per id intelligitur peccatum contra sextum præceptum à Sacerdote commissum cum persona alia: hanc ipse non potest absolvere: & quamvis, præscindendo à declaratione Superioris aliâ, non intelligatur, nisi actus luxuriæ consummatus, cùm reservatio sit odiosa; tamen nunc intelligitur omne mortale peccatum contra castitatem cum alia persona, quod in actum externum inhonestum, gravem prodiit. Ità enim declaravit modernus Pontifex in Constitutione de Sacramento Pœnitentiæ, & in Bulla de Jubilæo nupero. V. n. 254. Quærit Carolus 3tiò: An, si Sacerdos turpiter ageret cum mare, posset illum absolvere? Respondet Pastor: Non posset, quia, etsi reservatio videatur tantùm loqui de peccato cum muliere complice, quod frequentius

tius est, tamen comprehendit etiam peccatum tale cum mare: nam, ùt habet regula Juris, cùm lex frequentioris usûs causâ aliquid decernit, casum minùs frequentem non excludit, sed comprehendit. Vid. n. 254. Regulâ quintâ, & n. 257. Regulâ 6.

Quærit 4. An statutum Episcopale, quo sub pœna suspensionis jubentur Sacerdotes singulis mensibus confiteri, obliget venialibus solùm peccatis obnoxios? cum enim nec lege Divinâ, nec Ecclesiasticâ teneamur venialia, aut mortalia semel ritè confessa clavibus subjicere, mihi non apparet, quomodo id præcipere possit sub tam gravi pœna? Resp. Pastor: Sicut Episcopus potest aliarum virtutum actus non nimis difficiles præcipere, ità potest præcipere menstruam Confessionem tanquam actum virtutis, qui non est nimis difficilis. Nec sic fiunt venialia materia necessaria Confessionis, sed vel illa vel semel confessa materia necessaria præcepti: liberum enim relinquit unum, vel alterum confiteri. Unde qui non obedit, incurrit suspensionem, nisi causa justa excuset à Confessione. Vid. P. 1. n. 141. La Croix L. 6. p. 2. n. 2018

Quærit 5. An lex Pontificis v. g. præcipiens sub pœna excommunicationis, ne Sacerdos absolvat suam complicem in turpi & inhonesto peccato contra sextum præceptum obliget in provinciis, in quibus non est legaliter promulgata, præsertim cùm

cùm pœnalis sit? Resp. Parochus, si Pontifex signanter exprimat se, post factam Romæ promulgationem, ubi illius notitia ad subditos pervenerit, ut facit in lege jam memorata ex sententia omnium Theologorum, & Canonistarum obligat in conscientia etiam lex pœnalis, quia ex natura rei plus requiritur, quàm ut promulgatio sit facta in curia, vel civitate residentiæ Principis, & aliàs Pontifex non haberet independentem ab Episcopis, efficacem, & necessariam potestatem regendi Ecclesiam. Vide p. 1. à n. 159. & n. 161.

Quæritur, an Pastor bene responderit?

CASUS XLVI.

Casparus confitetur in Quadragesima: Est dispensatum in abstinentia à carnibus, ità, ut diebus operariis liceat tantùm semel, diebus verò Dominicis bis comedere carnes; ego Dominicâ elapsâ in prandio, & vespere comedi carnes, & manè offam ex jusculo de carne; hæsitavi, an id liceat?

Quæritur 1mò. An, si die Dominico permittatur bis, liceat sæpius? Ratio dubitandi est, quia dispensatio est odiosa, adeoque strictæ interpretationis.

Quæritur 2dò. Quomodo Casparus censendus sit peccâsse? V. n. 260.

De Censuris.

CASUS XLVII.

Episcopus lege latâ prohibuit Clero suo sub pœna excommunicationis lusum chartarum in publicis diversoriis : Castor, & Casimirus, Sacerdotes, in alia Diœcesi existentes peregrini, exercent lusum illum ad plures horas. Castor advertens, Casimirum fraudem contra leges lusûs committere, ex subito motu impingit illi alapam : Casimirus, injuriam non ferens, arripit Castorem crinibus, percutit, & in facie vulnerat.

Quæritur 1mò. An bini illi, extra Diœcesin ludentes, incurrant illam censuram? n. 279. Coroll. 3.

Quæritur 2dò. Quos effectus habeat excommunicatio? à n. 272.

Quæritur 3tiò. Quæ culpa requiratur ad incurrendam censuram, & an ex subito motu Castor percutiens Casimirum, incurrerit excommunicationem? n. 265.

Quæritur 4tò. Quæ percussio dicatur enormis, & inducat excommunicationem, Papæ reservatam? n. 283. §. *Porrò*

Quæritur 5tò. Quid dicendum de Casimiro? An sit excommunicatus vitandus? n. 286.

Quæritur 6tò. An possit absolvi ab Episcopo? n. 289.

CA-

CASUS XLVIII.

Cerberinus, suo Parocho malè affectus, obviat illi, equo insidenti, in sylva: arripit frœnum, sistit equum inquiens: quo pergis maledicte Popa? Parochus addit calcaria equo, & pergit; insequitur eum Cerberinus: Parochus metuens gravius malum, citato cursu equi properat, & ex improviso labitur in foveam.

Quæritur 1mò. An Cerberinus per violentiam illatam Parocho suo incurrerit excommunicationem, Papæ reservatam? sub n. 283. *Quæritur 2dò.* Quid dicendum, si Cerberinus dicat, se non cogitâsse, nec scivisse, se, sic equum sistendo, incurrere excommunicationem, & lapsum in foveam non prævidisse? sub n. 267.

CASUS XLIX.

Cerbonius, vir curiosus, & ab Hæreticorum Secta non alienus, mandat Celso filio suo, ut sibi prælegat temporis fallendi causâ jam concionem, ab Hæretico typis datam, jam libros prohibitos; recusat Celsus, Cerbonius exardens irâ minatur Celso fustigationem, aliaque mala, nisi obtemperet: Celsus minis territus obedit, cogitans, pater meus imputet sibi, si malus est.

Quæritur 1mò. Qui libri sint sub excom-

communicatione prohibiti ? n. 287. & in Analysi n. 52.

Quæritur 2dò. An per lectionem concionis Hæretici incurratur excommunicatio ? n. 288. Coroll. 2.

Quæritur 3tiò. An audiens legentem Cerbonius eam incurrerit ? Ibid. Coroll. 6.

Quæritur 4tò. An Celsus metu adactus prælegendo sit excommunicatus ? n. 267.

CASUS L.

Claudius accepit titulum ordinationis à communitate aliqua cum hoc pacto, ut suscepto Sacerdotio titulo cedat, aut saltem nihil ex illo exigat; factus Sacerdos, Simoniacè obtinuit Parochiam, Parochus jungit matrimonio personas alienas sine licentia Parochi alterius; pergit tamen exercere Parochialia.

Quæritur 1mò. An Claudius sic ordinatus incurrerit suspensionem ? n. 293.

Quæritur 2dò. Quos effectus habeat suspensio ? n. 290.

Quæritur 3tiò. Quam censuram incurrerit per Simoniam procurans sibi Parochiam ? n. 292.

Quæritur 4tò. An exercens Parochialia, factus sit irregularis ?

Quæritur 5tò. Quis possit absolvere à suspensione ? n. 306.

CA-

CASUS LI.

Clavius, quia in Paſchate non communicavit, & detinuit æs alienum, & interdicto ſubjectus, periculosè ægrotat, advocat Parochum: hic audit ejus confeſſionem, abſolvit à peccatis, & interdictis, datque ei extrema, mortuum ſepelit in loco ſacro.

Quæritur, an omnia rectè fecerit? à n. 295. & à n. 303. 324.

De Irregularitate, & Eccleſiaſtica ſepultura.

CASUS LII.

Clemens, novem annorum puer, ut ſolus eſſet hæres ſuorum parentum, veneno occidit fratrem ſuum, adhuc infantem: dum dat operam ſtudiis, ex febri perdidit potentiam viſivam oculi ſiniſtri, ſine deformitate tamen, aut apparentia: abſolutis ſtudiis, jamque Sacerdos ordinatus, legit in Theologia, homicidas, & carentes potentiâ viſivâ ſiniſtri oculi, eſſe irregulares, celebrat tamen Miſſam, donec habeat occaſionem conſulendi Theologum, ſibi notum.

Quæritur 1mò. An ignorans, homicidio annexam eſſe irregularitatem, eam contrahat? n. 308. §. *Dicitur 4.*

Quæritur 2dò. An impuberes incurrant

rant irregularitatem ex delicto ? n. 320. in fine.

Quæritur 3tiò. An Clemens sit irregularis ob defectum illum oculi ? n. 310.

Quæritur 4tò. An de irregularitate sua dubius, celebrando peccârit, & pœnam aliquam incurrerit ? sub n. 308. §. *Dicitur 2dò.* & n. 300.

Quæritur 5tò. An saltem, si fratricidium fieret notorium, non posset sine dispensatione uti ordine ? n. 317.

CASUS LIII.

Cletus, vivente adhuc uxore suâ, abit aliò, & ducit aliam, & ex ea suscipit filium; hic absolutis studiis, ignarus, se esse illegitimum, seu spurium, suscipit sacros ordines, dein intelligit, se spurium esse.

Quærit, an possit exercere ordines, vel sit irregularis ? n. 312.

CASUS LIV.

Cletus, absolutâ Philosophiâ, dat nomen militiæ, adest aliquoties conflictibus: non scit quidem, se propriâ manu aliquem occidisse; alios tamen suâ præsentiâ animavit ad pugnandum fortiter: à bello dimissus, frequentat Theologiam, aspirat ad Sacerdotium, ordinatur, nullâ factâ mentione vitæ suæ militaris, promovetur ad Parochiam. Post annos aliquot summam

pe-

pecuniæ, quam comparavit, aufert illi Clepius: hic capitur, & reperitur aliorum furtorum reus; Cletus, sperans, se recepturum suam pecuniam, quia Clepius dives est, defert furtum illud ad Judicem, cum protestatione expressa, nolle se, ideo eum supplicio affici.

Quæritur, an Cletus tum in bello, tum deferendo Clepii furtum sit factus irregularis? n. 315. & 316. Coroll. 2. & 8.

CASUS LV.

Prædones invadunt de nocte domum Clini Parochi, eam spoliaturi: Clinus fistulâ suâ jaculatoriâ unum occidit, alteri aufert nasum, diffugiunt reliqui, duo capiuntur, & ad mortem condemnantur. Advocatur Clinus, ut eos disponat, & comitetur ad supplicii locum; obsequitur Clinus, & quia est aura pluviosa, hortatur aurigam, ut festinet, & viam capiat breviorem. Clinus redux invisit infirmum, eum solatur, & quia videt incommodè jacere, eum elevat, & infirmus inter levandum moritur.

Quæritur, an Clinus in aliquo ex his casibus factus sit irregularis? sub n. 316. Coroll. 9. & 11.

CASUS LVI.

Conradus Sacerdos, post auditas vario-

rum confessiones, cupiens intelligere, an bene resolverit, Theologo proponit sequentes quæstiones: 1mò. Quidam inimicum suum ex odio graviter vulneravit, qui & mortuus est; sed dubitabat, an mors ex vulnere, vel negligentia medici sit secuta? 2dò. Alius in bello, suâ opinione justo, pugnavit, & dubitat, an jaculando inter alios, aliquem occiderit? 3tiò. Alius puellæ, quacum carnaliter peccavit, suasit, ut abortum procuraret, quod & factum; sed dubium est, an fœtus fuerit animatus? 4to. Alius deinque alteri suggessit modum, & occasionem, quâ vindictam posset sumere ab hoste suo, eum vel mutilando, vel occidendo, sed dubium erat, an mors vel mutilatio sit secuta?

Quærit Conradus, quid dicendum? an illi incurrerint irregularitatem? à n. 320.

CASUS LVII.

Cùm plures Pastores in familiari consortio sese recrearent, in discursu dilabuntur ad sermonem de Ecclesiastica sepultura. Unus ajebat: veni ad virum hæreticum infirmum, in mea Parochia habitantem, quem cùm instruxissem de modo eliciendi Fidem, Spem, Charitatem, & dolorem de peccatis, inveni eum teneri desiderio beatitudinis: elicui cum ipso Fidem, &c. Sed, quia vidi, eum putare, quemque Christianum

ſtianum in ſua religione poſſe ſalvari, & reſpectu humano retrahi à fide Catholica externè profitenda; quæſivi, an non vellet abſolvi à peccatis, paratuſque foret religionem Catholicam amplecti, ſi ſciret, ſuam eſſe erroneam: cumque annueret; eum de peccatis ſuis in genere ſe accuſantem abſolvi, & poſtea mortuum, petentibus id cognatis, ſepelivi more Catholico. Alter dicebat: habeo in mea Parochia duas familias acatholicas, infantes ſuos ad me deferunt baptizandos: hos, ſi moriantur ante uſum rationis, cum conſenſu parentum id petentium, ſepelio in cœmiterio noſtro, quia hos ego in Chriſto genui, & Eccleſiæ Catholicæ aggregavi, nullamque adhuc ipſi amplexi ſunt religionem: & quamvis baptizati à Prædicante cenſeantur eſſe ejuſdem religionis, cujus ſunt parentes, non puto tamen, hoc habere in caſu meo locum. Tertius referebat: habui virum probum, ſed taciturnum, in mea Parochia: hic veſperi domi ſuæ commiſit ſe nocturnæ quieti, manè autem inventus eſt ſuſpenſus ex poſte lecticæ, & mortuus: ego omnibus expenſis, ſuppreſſi mortis genus, & eum ſepelivi more aliorum.

Quæritur 1mò. Quibus competat ſepultura Eccleſiaſtica, & quibus non? *2dò.* An prædicti Domini Paſtores rectè proceſſerint? à n. 323.

De Peccatis & Merito.

CASUS LVIII.

Cornelius, Neo-Presbyter, nuper approbatus ad audiendas Fidelium confessiones, audit inter cæteros unum, qui confitetur: tribus annis turpiter vixi, usus ancillâ meâ, tanquam concubinâ. Sæpe fovi impura desideria. Obvias quasque concupivi, &c. Cornelius, ut illum ad dolorem moveat, monet, ut consideret pœnas peccatis præparatas, & turpitudinem eorum. Reponit pœnitens: hanc non ità apprehendo, exponat mihi illam. Hæsitat Confessarius, eâ tamen utcunque expositâ, illum absolvit.

Quæritur 1mò. An pœnitens satis explicaverit speciem, & numerum peccatorum? *2dò.* Unde dignoscatur distinctio specifica, & numerica peccatorum, & quomodo pœnitens ille fuisset examinandus? *3tiò.* Quomodo exponenda turpitudo peccati? *4tò.* An licitè potuerit pœnitens ille statim absolvi, & quid ei injungendum? à n. 340. 348. 331.

CASUS LIX.

Crescentius ante annos tres grave damnum intulit cum culpa gravi Crispino: in confessione promisit reparationem damni,

ni, occasione proximâ faciendam; sed omisit hactenus, & modò id aperit Confessario; graviùs admonitus iterum promittit restitutionem. Quare Confessarius eum absolvit.

Quæritur 1mò. Quâ ratione Crescentius examinandus sit de numero peccatorum omissionis, & ad quid obligandus? 2dò. An Confessarius rectè fecerit eum absolvendo? n. 351. Coroll. 9. in Neo-Conf. à n. 232.

CASUS LX.

Cupedius, in domo patris sui, ancillæ familiarior, accusat se in confessione, quòd sæpe cum ea peccârit, cum ea colloquens, sæpe habuerit impura desideria; Confessarius interrogato numero, hortatur ipsum graviter, & præscribit ei media contra relapsum, & absolvit. Post mensem redit Cupedius, & se in eadem peccata relapsum confitetur, addens, non posse se impetrare à patre, ut ancillam illam dimittat, quin suos lapsus fateatur. Confessarius præscribit ipsi alia difficiliora media, & absolvit. Post mensem iterum redit Cupedius, & ait, media quidem adhibui, sed iterum relapsus sum, etsi non toties.

Quæritur 1mò. An sit obligatio vitandi, vel deserendi occasionem peccandi proximam, quando sine gravi incommo-

do deseri, vel vitari non potest, potest tamen per media ex proxima reddi remota? 2dò. Quid dicendum, si remota reddi vix, aut non possit? 3tiò. An rectè processerit Confessarius, & quid nunc agendum? à n. 361.

CASUS LXI.

Cyriacus, variis tentationibus agitatur, & frequenter angitur, an consenserit: petit à Confessario media contra tentationes, & signa, ex quibus possit colligere, an consenserit, vel non? n. 373. in Neo Conf. à n. 244.

CASUS LXII.

Cyrillus, in risum pronus, plerumque ridet, dum audit turpia verba ingeniosa, imprecationes à rudibus, modo rustico ingenioso prolatas, aut videt rixantes mulieres, &c.

Quæritur 1mò. An liceat gaudere, vel ridere ob ingeniosum modum, quo peccata fiunt? 2*dò.* Unde dignoscatur, quòd risus & gaudium sit tantùm de modo? à n. 389. 390.

CASUS LXIII.

Desiderius semel est delectatus de copula cum Conjuge aliena, semel de copula

la cum libera , iterum de copula cum consanguinea sua. Confitetur autem: Ter delectatus sum , repræsentando mihi carnalem copulam.

Quæritur, an rectè explicaverit peccatorum suorum speciem ? P. 1. n. 340. P. 2. n. 207.

CASUS LXIV.

Desidius copulam ter habuit cum persona libera, sed imperfectam. Quare accusat se in confessione dicens ; Ter turpiter attigi personam liberam.

Quæritur 1mò. An rectè explicaverit sua peccata ? *2dò.* Quomodo sit examinandus ? P. 1. à n. 340. P. 2. n. 200. §. *Porrò.*

CASUS LXV.

Didacus 1mò emisit votum , pro promotore suo ad Parochiam , dicendi , ubi obierit, decem Sacra. 2dò. Debuit Pio 20. Imperiales ex legato, 3tiò. Promiserat pro ædificanda ruinosa Ecclesia 50. Imperiales , obligando se , non ex justitia, sed solùm ex fidelitate. Postquam jam annus à morte sui promotoris elapsus esset, scit quidem, se sacra dixisse pro ipso aliqua , sed nescit, an omnia ? Probabile tamen ipsi est , quod omnia dixerit. Pariter ipsi probabile est ex variis conjectu-

ris, quòd 20. Imperiales ex legato debitos Pio numeraverit, certus tamen esse non potest; quia Pius jam obiit, nec quidquam annotatum reperit. 4. Promissos pro ædificanda Ecclesia 50. Imp. non tradidit; quia in circumstantiis promisit, cùm nondum essent benefactores, qui templi ædificationem susciperent; nunc autem Episcopus curat id ædificari ex redditibus Præposituræ, quam eum in finem petiit, & impetravit à Pontifice. Hæc omnia Didacus animo diu versavit, & in his dubiis, an non teneretur ad sacra, & ad 20. Imperiales, Pio debitos, hæredibus ejus solvendos? similiter, an nihilominus teneretur pendere 50. Imperiales pro ædificando templo? In his dubiis, inquam, longo tempore, cum gravi remorsu conscientiæ, hærens, neglexit iisdem satisfacere.

Quæritur 1mò. An, qui operatur, vel omittit cum conscientia dubia, ejusdem speciei peccatum committat, atque committeret, si sciens obligationem suam, hanc non impleret? *2dò.* An Didacus adhuc teneatur ad sacra, quæ dicta esse ipsi solùm probabile est? *3tiò.* An probabilitas solutionis factæ Pio, ipsum reddat tutum in conscientia? *4tò.* An teneatur ad 50. Imperiales, etiam mutatis circumstantiis, pro templo dandos? P. 1. à n. 186.

CASUS

CASUS LXVI.

Emmericus 1mò dubitavit de tribus fidei articulis. 2dò. Coram quinque per calumniam gravi contumeliâ affecit Didymum. 3tiò. Semel defraudavit decimatores tres. 4tò. Semel furto subduxit rem, pertinentem ad hæredes Placidi non divisâ adhuc hæreditate. Hæc peccata sic confitetur: Semel dubitavi in fide. Semel proximum gravi affeci contumeliâ. Semel defraudavi decimas. Semel furatus sum rem gravem.

Quæritur, an rectè explicaverit peccatorum, vel malitiæ numerum? sub n. 354. Coroll. 1. sub n. 355. Cor. 6.

CASUS LXVII.

Eremundus, offensus à Sergio, 1mò. Statuit, ubi potuerit, huic grave malum inferre: audiens concionem de charitate proximi, illam voluntatem retractavit, proponens sibi, eidem benefacere: postmodum, recurrente offensâ, resumit priorem voluntatem. 2dò. Pressus debitis, statuit, furto subducere pecuniam, ad quam ei via patet in domo divitis: post diem retractat illam voluntatem, hac sub conditione: nisi novam à creditoribus molestiam patiar. 3tiò. Die 1mâ Januarii ex intentione, vindictam sumendi à Sergio,

gio, inquæsivit hunc, sed non invenit; manens autem in priore intentione, altero die exit, eumque inventum, graviter percutit, & vulnerat. Hæc autem peccata sic confitetur: Ter graviter volui nocere proximo meo.

Quæritur 1mò. Quando actus interni plures faciant unum, vel plura numero peccata? *2dò.* Quid dicendum de Eremundo, an plura per resumptionem intentionis, vel interpositam moram, peccata commiserit, in confessione explicanda? P. 1. à n. 349. *3tiò.* An rectè explicaverit speciem peccatorum?

CASUS LXVIII.

Ericus, offensus à Monasterii Abbate, per annum coxit iras, & fovit odium, intendens, Monasterio inferre damna gravia, ubi occasio tulerit; sed quia occasio defuit, sæpe religiosis illis optavit diversa mala, paratus, ea inferre: non rarò eorum famam graviter læsit. Tandem peccata illa confitetur, dicendo: Fovi odium contra certum Regularium Monasterium: optavi illis mala diversa: etiam de illis inhonorificè locutus sum.

Quæritur 1mò. An Ericus, fovendo odium per annum, unum, vel plura numero peccata commiserit, & quomodo sit circa hæc examinandus? *2dò.* An rectè

ctè explicaverit numerum, & speciem aliorum peccatorum? *3tiò.* An Monasterio imprecando mala, vel detrahendo, singulis vicibus unum tantùm numero peccatum admiserit? P.1. sub n. 349. Coroll. 3. & n. 352. 353.

CASUS LXIX.

Evodius, existens in statu peccati mortalis, excepit plurium confessiones, plerosque absolvit, alios verò sine absolutione dimisit: auditis omnibus, in eodem statu distribuit Sacram Communionem; postea facti pœnitens confitetur: in statu peccati administravi Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

Quæritur, an rectè sit confessus, vel an debeat dicere numerum personarum, quibus indignè illa Sacramenta administravit? sub n. 351. Coroll. 4. 357.

CASUS LXX.

Ferdinandus, vir nobilis, die Sabbati sub vesperum statuit, exire die sequenti ad venationem cum suis famulis, & Sacrum non audire, quia in ejus loco celebratur unicum, idque circa nonam: mane, resumptâ priore voluntate, exit, & in loco, ubi ipsi soli jus venandi competebat, invenit alterius venatorem: hunc irâ abreptus, percutit graviter, & vulnerat,

nerat, & tandem, quia is se opponebat, timens malum gravius, eum glande plumbea trajicit, & occidit. Post longi temporis intervallum confitetur: Semel die Dominicâ omisi Sacrum, & famulum, qui, violans jus meum, se mihi audebat opponere, glande plumbeâ trajeci.

Quæritur, an unicum peccatum omissionis, & unicum commissionis commiserit Ferdinandus, & rectè exposuerit sua peccata? sub n. 351. Coroll. 1. & 8.

CASUS LXXI.

Fridolinus, familiaris puellæ, cum delectatione venerea eam tangit, osculatur, cum ea amorosos, turpes miscet sermones, tandem cum ea, amore intercepta, fornicatur. Facti postea pœnitens, confitetur: Semel fornicatus sum, nullâ factâ mentione actuum præcedentium.

Quæritur, an rectè exposuerit omnia, sive ex, sive absque intentione copulæ, actus antecedentes exercuerit? sub n. 351. Coroll. 5.

CASUS LXXII.

Fructuosus, timoratæ conscientiæ, horret quandoque vehementer, dum quid mali objicitur, v. g. sermo contra famam proximi, & quandoque subitò loquitur, quod, ut malum, apprehendit: non

raro

raro etiam operatus est, non distin[illegible] an malitia sit gravis, vel levis: hin[illegible] gitur sæpe, [illegible]imens, ne graviter pec[illegible] rit.

Quæritur 1mò. Quæ requirantur peccatum mortale? *2dò.* An horror sit sufficiens indicium, quòd materiam apprehenderit, ùt gravem? *3tiò.* Unde dignoscatur, quòd malitia sit apprehensa, ùt gravis? *4tò.* An non distinguens in operando, an malitia sit gravis, vel levis, peccet graviter? à n. 369.

CASUS LXXIII.

Formosus in Quadragesima repræsentat sibi delectabilitatem in esu carnis, & eo delectatus dicit intra se: si non esset prohibitum, comederem hodie carnes. Ex his delabitur ad alia desideria conditionata hæc: Si non esset peccatum, è medio tollerem Cajum inimicum meum: si essem conjugatus, agerem, quod meritis licet.

Quæritur 1mò. An delectatio de objecto prohibito sit peccatum, & quale? *2dò.* Quando desideria conditionata sint graviter, vel leviter mala, & prohibita? n. 386. 394.

CASUS LXXIV.

Franciscus Parochus, pro concione, & in

nerat ,nfessionali sæpe increpat suos, dicentimen peccatores per suas orationes, & opera bea t:e bona, nihil mereri.

Quæritur 1mò. Quid requiratur ad meminum? *2dò.* An peccatores, quid, & quomodo mereri, & impetrare valeant? *tiò.* An prudenter procedat Parochus? n. 402. 409. 410.



Eremitarum Camaldulensium Montis Regii







R. P. REUTER
HEOLOGIA
MORALIS

P. I.

Psalm 9[illegible] Jutrz[illegible]

1. Pójdzcie, radujmy się Panu,
śpiewajmy Bogu zbawicielo-
wi naszemu: uprzedźmy
oblicze jego z wyznawaniem:
a psalmamy śpiewajmy
mu.

2. Albowiem Bóg wielki Pan:
i król wielki nadewszemi
Bogi: Bo w ręce jego są wszy-
stkie kraje ziemie: i gór wy-
sokości jego są.

3. Bo jego jest morze, a on je
uczynił: a sucha utworzy-
ły ręce jego. Pojdźcie pokłoń-
my się i upadajmy, i płacz-
my przed panem który nas
stworzył, albowiem on jest
Panem Bogiem naszym:
A my ludem pastwiska, jego
i owcami ręki.

4. Dziś jeżeli głos jego usłyszy-
cie: nie zatwardzajcie serc
waszych: Jako w drażnieniu
wedlednia kuszenia na pu-
szczy: kędy mnie kusili oj-
cowie wasi, doświadczali
mnię i ujrzeli uczynki moje.

... dziesięć ... lat gniewałem się na ten naród: i rzekłem zawsze ci błądzą sercem. A ci nie poznali dróg moich. iakom przysiągł w gniewie moim, ieśli wnijdą do pokoju mego. —

6. Chwała Ojcu i Synowi i Duchowi Śmu jak było na początku teraz i zawsze i na wieki wieków Amen. —



